DE MIRACULIS AUCTORE ANDREA SPAGNIO SACERDOTE FLORENTINO

Andrea Spagni, Josè Maria Fonseca de Evora



DE
MIRACULIS

AUCTORE

ANDREA SPAGNIO

SACERDOTE FLORENTINO



ROMAE MDCCLXXVII.



Typis Archangeli Caſaletti ad S. Euſtachium.

Superiorum Permiſſu.





XII. APOSTOLIS
JESU. CHRISTI. D. N.
QUI. NATURÆ. POTENTES
AD. PROMULGATIONEM. DIVINÆ. LEGIS
SALUTEM QUE. HUMANI. GENERIS
ORBEM. TERRARUM. PRODIGIIS. PERAGRARUNT
ANDREAS. SPAGNIUS
COMMENTARIUM. SUUM
DE MIRACULIS
SACRUM. ESSE. JUBET
PATRONIS. CÆLÆSTIBUS. SALUTARIBUS



ANDREAS SPAGNIUS
LECTORI
S. D.



Iracula ſunt argumentum, de quo frequens eſt ſermo inter homines, quos dividam in Incredulos & Chriſtianos. Ac primi quidem negant omnia miracula: Ex Chriſtianis autem qui ſunt hæretici, admittunt quæ ſuis erroribus non opponantur, & alia fingunt, quæ iiſdem faveant. Qui vero ſunt Catholici, etſi omnes, ut tales ea ſola credant, quæ ab ipſa Catholica Eccleſia audiant admitti ut vera, nihilominus ubi nondum hoc ipſius judicium intercesſerit, aliqui nimis facile accipiunt tamquam vera miracula, quæ ſunt falſa, vel contra pro falſis habent quæ vera ſunt. Quare non injuria primi accuſantur de credulitate vel ſuperſtitione, ſecundi de moroſitate, utrique autem de ignorantia. Quis itaque non videat quanti interſit ſtatuere naturam veri miraculi, & certas habere regulas, quibus vera miracula a falſis dignoſcantur. Qui hoc rite faciat, jam poterit Incredulis demonſtrare certitudinem miraculorum, & ſurperſtitioſos ac ignorantes cautos reddere in admittendis aut reiiciendis, quæ audiant tamquam nova miracula celebrari. Hoc mihi propoſitum fuit pro meis viribus exequi in hoc commentario, quem placuit aggredi poſt alios bene multos, quia inſe-

insedit animo S. Augustini sententia, (1) *Utile est plures* (libros) *a pluribus diverso fieri stylo, non diversa fide etiam de quaestionibus iisdem ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic*: Tuae erit humanitatis Lector benevole, hisce meis conatibus favere, iisque ignoscere, quae minus apposite censeas pertractata. Vale.



(1) S. August. l. 1. de Trin. c. 3.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Franciscus Antonius Marcucci ab I. C. Episc. Montis Alti Vicesg.

APPROBATIONES.

UT jussis obtemperarem Rmi P. Magistri Ricchinii legi librum, cui Titulus, de *Miraculis*, in quo tantum abest, ut aliquid vel contra Fidem, vel bonos mores repererim, quin immo cum ea tradat, quae miraculorum spectant naturam, ac veritatem tam dilucide, tamque perspicue, ut haereticis contra eadem delirantibus os prorsus occludat, & aliunde eas doceat leges, veramque tesseram statuat, quibus vera a falsis, ab incertis certa secerni possint, idcirco reor, ut quam primum Typis mandari possit.

Dabam ex Aedibus S. Mariae Novae de Urbe die 21. Novembris 1776.

D. Angelus Mancini Lector Theol. Olivetanus & in Archigymnasio Sapientiae publicus Hist. Ecclesiasticae Professor.

EX mandato Rmi P. Ricchinii S. P. A. Magistri legi opus *de Miraculis* Cl. Auctoris Andreae Spagni, in eoque nihil quod notis legibus quae librorum editionem impediant opponatur inveni; sed omnia rursus quae hanc commendent atque accelerent. Res enim tota de miraculis ita pertractatur ut ad ejus completam cognitionem non solum directa sed amoena etiam via Lectorem deducat. Quorum alterum debemus ingenio Auctoris in severioribus disciplinis constanter exercitato, ut declarant tot alia ab eo jam edita commentaria, in quibus video quasi sagacem Architectum qui supra claras rerum de quibus agit notiones primo propositas tanquam supra stabile fundamentum novit suorum tractatuum aedificium in suas partes aptissime distributum erigere: Alterum vero ejusdem eruditioni qui meminit de iis quae apud alios legerit qui jam antea in eadem re scripserunt. Atque cum de miraculis extiterint jam hac ipsa nostra aetate tam multi impro-

probi homines, quorum intereſt ea elevare vel in dubium revocare conquiſitis undique ſophiſmatis calumniis & mendaciis, ut licentiæ vivendi, ex qua naſcitur eorum contra omnem religionem odium, indulgeant, hos invenio ſuis quoſque locis profligatos penitus, & oppreſſos. Eſt igitur opus meo quidem judicio omni ex parte pulcherrimum, quod typos omnino illuſtriores mereatur. Sic cenſeo.

Romæ apud SS. Vincentium & Anaſtaſium in Trivio Sexto Kalendas Julii 1777.

Thomas Gabrini C. M. Lector Emeritus tertiò Viſitator & Parochus ejuſdem Eccleſiæ.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

OR-

ORDO OPERIS

PARS I.

Definitiones & diverſiones miraculi.

ART. I. DE Miraculi definitione quam ſequor. pag. 1.
ART. II. De Synonimis miraculi. 4
ART. III. De diverſis miraculi acceptionibus. 7
ART. IV. De tribus miraculi ſpeciebus. 9
ART. V. De Miraculis primi gradus. 11
ART. VI. De miraculis ſecundi & tertii gradus. 13
ART. VII. Animadverſiones ad gradus miraculorum. 15
ART. VIII. De miraculis ſupra præter & contra naturam. 18
ART. IX. De Miraculis punitionis. 20
ART. X. De miraculis beneficii. 23
ART. XI. De Gratiis Sapientiæ Scientiæ Fidei Sanitatis & Virtutum. 25
ART. XII. De gratia prophetiæ. 27
ART. XIII. De Gratia diſcretionis ſpirituum, linguarum, & interpretationis. 32

PARS II.

De Eſſentia miraculi.

PROPOSITIO. Ad eſſentiam miraculi pertinent quatuor, ſenſibilitas effectus, impotentia ad illum efficiendum in omnibus cauſſis creatis, ea ipſius ſupernaturalitas, quæ non ſupponat media ad illum habendum ordinaria, & finis ad Divina conducens. 35
ART. I. Argumenta pro tota propoſitione. 35
ART. II. Argumenta particularia pro prima propoſitionis parte. 36
ART. III. Argumenta pro ſecunda propoſitionis parte. 38
ART. IV. Argumentum pro tertia propoſitionis parte. 41
ART. V. Argumenta pro quarta propoſitionis parte. 44
ART. VI. De definitionibus miraculi quorumdam Anglorum. 48
ART. VII. De definitionibus miraculi quorumdam Gallorum. 51
ART. VIII. De definitionibus miraculi aliorum Autborum. 53

PARS III.

De possibilitate miraculorum.

PROPOSITIO. I. *Miracula sunt possibilia.* 58
ART. I. *De adversantibus propositioni.* 58
ART. II. *Argumenta pro propositione.* 61
ART. III. *Objectiones.* 63
PROPOSITIO. II. *Miracula fieri non possunt in confirmationem ullius erroris.* 66
ART. I. *Argumenta pro propositione.* 66
ART. II. *Objectiones ex Scriptura.* 71
ART. III. *Objectiones ex historia.* 75
ART. IV. *Aliæ objectiones.* 79

PARS IV.

De existentia Miraculorum.

PROPOSITIO. I. *Multa ante legem Gratiæ extiterunt miracula.* 81
ART. I. *De Adversantibus propositioni.* 81
ART. II. *De Miraculis Novi Testamenti in cognitionibus.* 83
ART. III. *De miraculis Veteris Testamenti in Cœlo.* 90
ART. IV. *De miraculis Veteris Testamenti in igne.* 93
ART. V. *De Miraculis Veteris Testamenti in aere.* 95
ART. VI. *De Miraculis Veteris Testamenti in aqua.* 96
ART. VII. *De Beneficis Veteris Testamenti Miraculis in Terra.* 99
ART. VIII. *De poenalibus aliisque in Terra miraculis V. T.* 102
ART. IX. *Argumenta pro propositione.* 105
ART. X. *Objectiones generales.* 107
ART. XI. *Objectiones contra miraculum Diluvii quantum ad existentiam.* 112
ART. XII. *Objectiones contra Diluvium ex illius caussa formali.* 116
ART. XIII. *Objectiones contra Diluvium ex illius caussa efficiente* 119
RRT. XIV. *Objectio contra trajectionem Erythræi & Jordanis.* 122
ART. XV. *Objectiones contra stantem solem sub Josue.* 125
ART. XIV. *Objectio contra miraculum jejunii Moysis & Eliæ.* 126
ART. XVII. *Objectiones contra ecstases & splendorem vultus.* 130
ART. XVIII. *Objectiones contra prophetias.* 132
PROPOSITIO. II. *Multa in promulgatione Legis Christianæ extiterunt miracula.* 136
ART. I. *De Adversantibus propositioni.* 136
ART. II. *De miraculis Novi Testamenti ante prædicationem Christi.* 139

De

Art. III. *De Miraculis Novi Testamenti in prædicatione Christi exceptis sanationibus.* 143
Art. IV. *De Miraculis sanationum in prædicatione Christi.* 149
Art. V. *De Miraculis in Passione & Resurrectione Christi.* 134
Art. VI. *De Miraculis Sanctorum quæ sunt in Novo Testam.* 157
Art. VII. *Argumenta pro propositione ex ratione.* 163
Art. VIII. *Argumentum ex Testimoniis sacris.* 166
Art. IX. *Argumentum ex Testimoniis profanis.* 321
Art. X. *Argumentum ex negatis miraculis.* 327
Art. XI. *Objectiones contra miraculum resurrectionis Christi.* 178
Art. XII. *Objectiones contra miracula Christi tamquam opera Diaboli.* 184
Art. XIII. *Objectio contra miracula Christi tamquam effectus sui temperamenti.* 188
Art. XIV. *Objectiones contra miracula Christi tamquam effectus naturales.* 190
Art. XV. *Aliæ objectiones contra miracula Christi.* 192
Propositio. III. *Miracula tam Judaicæ religionis, quæ in veteri, quam Christianæ, quæ in novo Testamento referuntur non habent exemplum apud Ethnicos.* 195
Art. I. *Argumenta pro propositione.* 195
Art. II. *Objectio pro redivivis etiam apud Ethnicos.* 198
Art. III. *Objectio pro miraculis apud Ethnicos similibus illis Christi Dni.* 200
Art. IV. *Objectiones pro prophetiis etiam apud Ethnicos.* 206
Art. V. *Objectiones pro martyribus in quavis religione.* 208
Art. VI. *Objectiones pro aliis miraculis apud Ethnicos similibus illis utriusque Testamenti.* 214
Propositio. IV. *Multa quovis tempore in Ecclesia Catholica existunt miracula.* 217
Art. I. *Argumenta a priori pro propositione.* 218
Art. II. *Argumenta a posteriori pro propositione.* 221
Art. III. *Objectiones ex Authoritate.* 226
Art. IV. *Objectiones ex vi Imaginationis.* 230
Art. V. *Objectiones contra multa miracula ex illorum levitate.* 234
Art. VI. *Objectiones ex aliis rationibus.* 236
Propositio. V. *Miracula quæ promulgantur a Sede Apostolica in Beatificationibus & Canonizationibus Sanctorum certiora sunt alia quavis historia.* 239
Art. I. *De jure olim servato a Sede Apostolica in promulgatione miraculorum.* 240

De

ART. II. *De jure quod nunc servat Sedes Apostolica in promulgatione miraculorum.* 243

PARS V.

De Caussâ finali miraculorum.

PROPOSITIO. *Causa finalis miraculorum est multiplex.* 252
ART. I. *Argumenta pro propositione.* 252
ART. II. *Objectiones contra miracula ex fine omnibus communi.* 254
ART. III. *Objectiones contra miracula ex fine particulari constituendi Religionem revelatam.* 258
ART. IV. *Objectiones contra miracula ex fine conservandi religionem revelatam.* 265
ART. V. *Objectiones contra miracula ex fine manifestandi alicujus Sanctitatem.* 269

PARS VI.

De potestate creaturis concessâ patrandi miracula.

PROPOSITIO. I. *Sancti tum in terris viventes tum beati in Cœlis, quin immo ipsa Christi Dn. humanitas sunt miraculorum causa dumtaxat moralis.* 272
ART. I. *Argumentum pro prima parte.* 274
ART. II. *Argumentum pro secunda parte.* 276
ART. III. *Argumenta pro tertia parte.* 280
ART. IV. *Objectiones contra primam & secundam partem.* 283
ART. V. *Objectiones contra tertiam partem.* 286
PROPOITIO. II. *Sancti quamvis sint caussæ dumtaxat morales miraculorum, nihilominus cum proprietate possunt absolute dici facere miracula.* 290
Corollarium. Possumus sine ulla absurditate Sanctos orare, ut nobis miracula faciant. 291
PROPOSITIO. III. *Homines actu mali possunt esse caussæ morales miculorum.* 292
ART. I. *Argumenta pro propositione.* 292
ART. II. *Objectiones & Corollaria.* 298

DE



DE MIRACULIS

AUTHORE

ANDREA SPAGNIO



PARS I.

Definitiones & Divisiones miraculi.

ARTICULUS I.

De Miraculi definitione quam sequor.

1. Iraculum significat effectum aliquo modo nobis sensibilem, qui non solum supernaturalis est, sed non habetur per media, quæ per Divinam institutionem ordinaria evaserint ad illum habendum, & qui nos ad Divina deducit. Definitio indiget determinatione sensus in quo accipitur effectus supernaturalis. Hæc per me est hujusmodi: Effectus quem nulla caussa creata efficere potest. Cum effectus supernaturalis contraponatur effectui naturali, jam per oppositam definitionem innotescit, in quo sensu sumatur hoc loco effectus naturalis. Sed quoniam plures aliæ sunt tam naturalis, quam supernaturalis acceptiones, e re nostra censeo ipsarum aliquas observare

post Cardin. Ptolemæum (1), Bussierium (2), & Vernejum (3). Incipiam a nomine naturalis.

2. I. Naturale dicitur, quod evenit secundum consuetas atque communes naturæ leges in subjecto, prout est in quodam determinato statu, cujus est capax. Ita talis arteriarum motus in sano animali æqualibus micationibus se manifestans dicitur naturalis. Naturali in hoc sensu opponitur insuetum, sive extraordinarium. Sic pulsus irregularis in homine ceteroquin sano non dicitur pulsus naturalis.

3. II. Naturale appellatur quod non est Diabolicum, sive per Magiam superstitiosam, quæ juxta Layman (4) est *ratio efficiendi mira opera, auxilio Dæmonis per signa ab ipso instituta*, & in varias species, qnæ apud ipsum videri possunt, dividitur. In hoc sensu naturale sumitur ab iis, qui viso aliquo admirabili effectu, qui potest esse ab aliquo Dæmone, statuunt ipsum non esse effectum naturalem. Atque hujusmodi sunt, qui ad sui existentiam non postulant circumstantias mere physicas, sed alias etiam ut ita dicam morales, ut talis hominis, talis figuræ, talium characterum, talis intentionis. Ita si cyanus, aut anulus aureus suspensi per filum intra vas vitreum, quo utimur ad bibendum, & non ad alium usum, pulsaret horas, utique effectus iste, quem aliqui quidem affirmant haberi, alii vero, inter quos Derhamus (5) negant, non esset naturalis.

4. III. Naturale idem aliquando est ac non artificiale, seu dependens ab industria humana. Ita naturaliter eloquens dicitur, qui nullius excultus studiis ita loquitur, ut persuadeat. Ita arbores, quæ in silvis nascuntur sunt quid in hoc sensu naturale: contra vero ejusdem speciei arbores, quæ manum cultoris patiantur, jam sunt aliquid artificiale. Atque perpauca sunt in iis, quæ versantur in usu quotidiano, quæ in hoc sensu dici non possint esse artificialia.

5. IV. Naturale dicitur, quod confert ad conservationem alicujus rei. In hoc sensu vinum, & multo magis aqua est potio naturalis homini: contra vero spiritus vini non est potio naturalis.

6. V. Tandem naturale opponitur libero a necessitate sive intrinseca sive extrinseca. In hoc sensu dicebat S. Thomas (6) *si fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate*

(1) Pto. Philos. diss. 22. Logico-Phys. sec. 1.
(2) Buff. Prem. Verit. n. 325.
(3) Ver. Metaph. li. 4. c. 13.
(4) Lay. Theol. li. 4. tr. 10. c. 4. nu. 1.
(5) Der. Physico-Theol. ca. 9. nota ultim.
(6) S. Tho. 1. 2. q. 17. art. 6. O.

ſtate noſtra, ſed in ordine naturæ, & ideo proprie loquendo naturæ imperio ſubjacet. Et in eodem ſenſu eſt hæc S. Auguſtini doctrina (1), *Quia motum animi ab incommutabili bono ad commutabilia non dubitamus eſſe culpabilem, omni modo negandum eſt eſſe naturale, & ideo non eſt ſimilis illi motui, quo naturaliter movetur lapis*.

7. Venio ad ſenſus diverſos alterius nominis *ſupernaturale*. Philoſophi hoc nomine denotant id, quod non eſt corporeum, & de eo tractant in Metaphyſica, quæ propterea ut notavit Fonſeca (2) appellatur etiam ſcientia ſupernaturalis, ſive ſupernaturalium. Theologis ſupernaturale idem eſt ac ens ſupra naturam. Hinc illa cum Cajetano (3) diviſio entis in ens ſupra omnem naturam tum creatam tum creabilem, & ens ſupra naturam creatam per ſolam vim intelligendi noſtram cognitam. Primum vocatur etiam ens ſupernaturale per dignitatem: ſecundum vero ſupernaturale per cauſalitatem.

8. Ens ſupernaturale per dignitatem aliud non eſt niſi ſolus Deus: & huic ſupernaturalitati ſynonimum eſt ſuperſubſtantialitas, quam paſſim Deo tribuit S. Dionyſius Areopagita (4) illum vocans eſſentiam ſuperſubſtantialem. Ens ſupernaturale per cauſalitatem eſt illud, cujus cauſa phyſica nequit eſſe ulla creatura. Exemplum illuſtre hujuſmodi entium commemorat Apoſtolus, ubi de cæleſtibus bonis utique ſupernaturalibus dicit (5), *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Quid enim magis remotum a potentia creaturæ, quam id quod ne in ejus quidem mentem cadit. Hæc acceptio communis eſt apud Auctores; Nam naturæ nomine, ſupra quam dicunt eſſe effectum ſupernaturalem, certe non intelligunt neque eſſentiam rei, cum effectus etiam ſupernaturales habeant ſuam eſſentiam: Neque ipſum Deum; Nihil enim eſſe poteſt ſupra Deum, cum interea multa admittant ſupra naturam: Nec univerſitatem rerum omnium creatarum; Nam cum inter entia creata ſint etiam ipſi effectus ſupernaturales, non poſſent amplius dici ſupernaturales: Nec aliud quid, quod nomine naturæ veniat, quæ aliter explicetur, quam per collectionem omnium rerum creatarum, quas eſſe aut eſſe poſſe cognoſcimus per ſolam vim intelligendi noſtram, excluſa ſcilicet Divina revelatione, & omni miraculo. Hanc ipſam naturæ notionem videtur mihi Ripalda protuliſſe, ubi poſtquam fuſe diſſeruit de ſenſu, in quo ſumi debeat natura, dum loquimur de

(1) S. Aug. de lib. arbit. lib. 2. c. 22. nu. 54.
(2) Fon. Metaph. c. 8. in proemio.
(3) Caj. in 1. par. qu. 12. ad art. 5.
(4) S. Dio. de divin. nomin. c. 1. & 2. & alibi.
(5) 1. ad Corinth. ca. 2. v. 9.

de ente ſupernaturali, hunc tandem adprobat (1), *Natura eſt collectio ſubſtantiarum nunc exiſtentium, earumque poſſibilium, quæ exiſtentibus adnexæ & affines ſunt*.

9. Theologi, qui paſſim ens & effectum ſupernaturalem commemorant, tum ſenſum tum nomen a SS. Patribus deſumpſerunt; Nam S. Dionyſius Areopagita dicit (2), *Virginem ſupernaturaliter concepiſſe*: S. Cyrillus Alexandrinus (3), *Aſcendamus*, inquit, *ad ſupernaturalem dignitatem per Chriſtum*: & alibi, *Gratia ad ſupernaturalem gloriam evolamus*: S. Jo: Damaſcenus loquens de Euchariſtia ait (4), *Panis vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus Sancti ſupernaturaliter tranſmutatur in Corpus & Sanguinem Chriſti*. Idem tandem nomen cum expoſita ſignificatione confirmatum jam habetur authoritate Apoſtolica poſt damnatas per Bullam propoſitiones Baii, inter quas præter XXII., *Humanæ naturæ exaltatio in conſortium Divinæ Naturæ naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis*, eſt hæc XXV. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio quodam ſupernaturali dono fuiſſe exaltatum, ut Deum ſupernaturaliter coleret*.

ARTICULUS II.

De Synonimis miraculi.

10. Miraculi nomen in Novo Teſtamento nuſquam, & in Veteri ſolum novies reperitur, ut ex Concordantiis Bibliorum patebit, ſed in ſenſu poſitæ jam definitionis ibi ſolum ſine controverſia accipitur, ubi ſcriptum eſt Iſraelitas intellecturos ex inſigni miraculo ſubitæ intra unam noctem mortis primogenitorum omnium tam in hominibus Ægyptiis, quam in eorum jumentis (5), *quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios & Iſrael*.

11. Pro miraculo alia in Scripturis uſurpantur nomina. Quod frequentius occurrit eſt nomen ſigni. Itaque omnia miracula, quæ per Moyſem facta ſunt, ipſemet Deus appellat ſigna (6), *Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Omnes* (7) *viderunt ſigna, quæ feci in Ægypto & in ſolitudine*. Evangeliſtis pariter familiare eſt hoc nomen; Nam converſio aquæ in vinum dicitur (8), *initium ſignorum Jeſus*: Sanatio (9) filii Reguli: Viſus (10) cæco

(1) Rip. de Ente ſupernat. to. 1. l. 1. diſp. 3, ſec. 2.
(2) S. Dio. epiſt. 4. ad Cajum.
(3) S. Cyr. in Joa. li. 1. c. 13. & 14.
(4) Dam. de Fide li. 4. c. 14.
(5) Exod. c. 11. v. 7.
(6) Num. 14. v. 11.
(7) Ibid. v. 22.
(8) Joan. c. 2. v. 11.
(9) Ibid. c. 4. v. 53.
(10) Ibid. c. 9. v. 16.

cæco nato restitutus: Lazari (1) reditus ad vitam signa appellantur. Ipsemet Christus Dominus signum dicit satiasse quinque millia hominum præter mulieres ac pueros fœcunda quinque panum & duorum piscium distributione: Ajebat enim (2), *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus*. Quoniam autem signum juxta Augustinum (3) *est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire*, hoc aliud semper est cognitio potentiæ Dei, & quicquid tamquam particularem finem ipsæ cujuscumque miraculi circumstantiæ solent declarare, quemadmodum docet S. Thomas (4), *Secundum id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale communiter dicuntur signa*.

12. Aliud miraculi Synonimum est prodigium. Quod S. Thomas citato nuper loco docuit denotare *excellentiam* miraculi: Lyranus vero deinde expressius dixit significare miraculum, quod sit admodum singulare, vel quia perquam rarum, vel quia est evidens vindicta alicujus culpæ, vel vindictæ timorem incutit. Video primum sensum de singularitate, aut secundum de vindicta in Scriptura, ubi mentionem faciens de miraculis, quæ acciderunt in exitu Israel de Ægypto, utitur utroque nomine signi & prodigii (5), *Dominus fecit signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto*: *Posuit* (6) *in eis* (Aaron & Moyse) *verba signorum suorum & prodigiorum*: *Posuit* (7) *in Ægypto signa sua & prodigia*. *Eduxisti* (8) *populum tuum de terra Ægypti in signis & prodigiis*. Similiter postquam Scriptura meminit de diversis Apostolorum miraculis & definite de morte Ananiæ & Zaffiræ, quæ accidit simul ac Petrus illorum mendacium reprehendit, dicit (9) *Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa*. Video autem significari timorem Divinæ vindictæ, ubi contra Divinarum legum prævaricatores dicitur (10). *Erunt in te signa atque prodigia*. *Dabo* (11) *prodigia in Cælo & in Terra*. In hoc sensu verum est, quod dicit S. Augustinus, miracula nuncupari (12) *prodigia, quod porro dicant, idest futura prædicant*: & alibi (13) *Prodigium appellatum est quasi porrodicium, quod porro dicat, & aliquid futurum esse portendat*, quam etimologiam afferebant etiam Calepini usitati ante illum Facciolati.

13. Alia duo synonima sunt portentum & ostentum, quorum signi-

(1) Ibid. c. 12.
(2) Joan. c. 6.
(3) S. Aug. de Doct. Christia. c. 1.
(4) S. Th. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 3.
(5) Deut. c. 6 v. 22.
(6) Psal. 104. v. 17.
(7) Psal. 77.
(8) Baruch. 2. v. 11.
(9) Act. 5. v. 12.
(10) Deut c. 28. v. 46.
(11) Joel. c. 2. v. 30.
(12) S. Aug. de Civit. li. 21. c. 8.
(13) Id. in Joan. tr. 16.

ſignificatio eadem eſt ac prodigii, quandoquidem in Scripturis plerumque uſurpantur, ubi ſermo eſt de liberatione Iſraelis ab Ægypto (1) per *ſigna atque portenta*, ſeu *oſtenta* (2).

14. Frequens eſt etiam nomen virtutis pro miraculo. Itaque (3) *Nemo eſt*, inquit Chriſtus apud Marcum, *qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me*. Paſſim alia exempla occurrunt apud eumdem Marcum (4), Matthæum (5), Lucam (6), & Paulum (7). Hoc autem nomen alludit ad primum miraculi attributum, eſſe quid ſuperans omnes naturæ vires: (8) *Miraculum*, inquit S. Thomas, *eſt aliquid excedens facultatem naturæ, & ſecundum hoc miracula dicuntur virtutes*: quod magis declarat Maldonatus (9) dicens, *quia iis faciendis maxime Dei virtus & poteſtas oſtendatur*.

15. Monſtra etiam, Mirabilia, Magnifica, Magnalia ſunt in Synonimis miraculi. Monſtra & Mirabilia tribuuntur Eliſeo (10), *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt*: Et de Elia paulo ante ſcriptum fuit (11), *Amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis*. Mirabile ſæpe etiam habetur in Pſalmis (12). Magnifica legitur in primo Regum (13), *Vidiſtis magnifica, quæ in vobis geſſerit* Dominus. Magnalia vocantur in Pſalmis, quæ pro Hebræis Deus (14) *fecit in Ægypto*, & quæ in eodem Pſalmo appellantur *terribilia in Mari rubro*, in Exodo dicuntur magnalia (15), *State & videte magnalia Domini*.

16. Tandem miraculum appellatur gloria Dei. Itaque de coturnicibus ad Hebræos in deſerto miſſis, & de primo mannæ deſcenſu e Cælo, quo iidem ad ſatietatem veſcerentur dictum fuit (16), *Mane videbitis gloriam Domini*: Et de exſuſcitatione Lazari a quatuor diebus mortui prædixit Chriſtus Marthæ (17), *Si credideris, videbis gloriam Dei*. Ratio appellationis eſt ad exprimendum finem primarium omnium miraculorum eſse ut Deus a nobis cognoſcatur colatur commendetur; (18) *Deus* enim, ſic S. Auguſtinus, *non dedignatur facere viſibilia miracula in Cælo vel in Terra, quibus ad ſe inviſibilem colendum excitet animum*.

AR-

(1) Deut. c. 4. v. 34. Et c. 7. v. 19. Et c. 19. v. 3. Et Joſue c. 24. v. 5.
(2) Exod. c. 4. v. 2. Et c. 7. v. 3.
(3) Mar. c. 9. v. 39.
(4) Mar. 6. v. 5. & v. 14.
(5) Mat. c. 6. v. 5. Et c. 7.
(6) Luc. c. 6. v. 19. Et c. 10. v. 13.
(7) 1. ad Corinth. 12. v. 9. Et 2. ad Corinth. c. 12.
(8) S. Tho. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 3.
(9) Mald. in Marc. c. 6. v. 5.
(10) Eccli. c. 48. 14.
(11) Ibid. v. 4.
(12) Pſal. 71. 85. 135.
(13) 1. Reg. c. 12. 24.
(14) Pſal. 105.
(15) Exod. c. 14. 13.
(16) Exod. c. 16. v. 7.
(17) Joa. c. 11. v. 40.
(18) S. Aug. de Civit. lib. 10. c. 12.

ARTICULUS III.

De diversis miraculi acceptionibus.

17. STabilitam (n. 1.) miraculi definitionem esse communem apud Authores, dum castigate loquuntur, inferius ostendam. Nunc dicam de acceptionibus diversis a data definitione, quæ passim occurrunt apud eos, quibus occasio non erat scrupulose versari in usu hujus nominis.

I. Miraculi nomen usurpatum est pro quovis effectu non vulgari, seu insolito causæ nobis ignotæ. Hæc acceptio adhæret etimologiæ; Nam miraculum dicitur ab admiratione, quæ numquam deest ubi effectus est manifestus, & caussa occulta. Hujus acceptionis usum videmus in vulgato nomine miraculum naturæ, quod tribuimus quibusdam effectibus naturalibus, ex quibus plures enumerat S. Augustinus (1).

18. II. Miraculum dicitur de effectu, quem omnes homines admirantur, quia arduum & insolitum, etiamsi ejus caussa cognoscatur esse ex creatis. In hoc sensu miracula artis dicta sunt plura hominum opera, in quibus septem sunt, quibus quasi proprium evasit hoc nomen propter ipsorum celebritatem, I. Templum Dianæ Ephesiæ columnis 127. ornatum altitudinis pedum 60., opus annorum 220. II. Mausoleum ab Artemisia Regina Cariæ Mausolo viro suo defuncto erectum. III. Colossus Solis in Rhodo. IV. Simulacrum Jovis Olympici ex ebore a Phydia cælatum. V. Muri Babylonis a Semiramide constructi. VI. Pyramides Ægypti. VII. Ædes Ciri Medorum Regis ex lapidibus auro colligatis Memnonis arte fabricatæ. Aliqui loco harum ædium ponunt Pharum Alexandriæ.

19. III. Miraculum sumitur pro effectu ipsius caussæ increatæ etiam quotidiano, quem non possumus comprehendere, quonam modo existat. In hoc sensu S. Augustinus miraculum appellat Mundum, ejusque gubernationem, (2) *Miracula omnia, quæ fiunt, minora sunt, quam hic mundus, quem fecit Deus. Majus* (3) *miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus.* Miraculum dicit hominem, ejusque animam, (4) *Omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo. Quid* (5) *ipsa anima humana quæ non videtur? & per opera*

(1) Id. Ibid. li. 21. c. 4. & 5.
(2) Id. Ibid. li. 10. c. 12.
(3) Id. in Joan tr. 24.
(4) Id. de Civit. li. 10. c. 12.
(5) Id. in Evang. Joan. tra. 8.

opera quæ exhibet in carne magnam præbet admirationem. Miraculum vocat accensionem calcis vivæ per aquam, (1) *Hoc miraculum si de aliquo indico lapide legeremus, & in nostrum conspectum venire non posset, profecto aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur*. Idem persæpe ortum (2) animalium, diei noctisque vices, decidentes & redeuntes frondes, vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum sonorum odorum saporumque varietatem vocat quotidiana miracula, quæ non cognoscendi facilitate, sed sentiendi assiduitate viluerunt.

20. IV. Miraculum idem aliquando est ac effectus quivis supernaturalis etiam insensibilis. Sic S. Augustinus de mysterio Incarnationis dixit (3), *Miraculum majus est, quod Deus factus est Homo, quam miracula omnia, quæ Deus fecit inter homines*. Eodem jure S. Bernardus (4) transitum parvulorum ad beatam vitam, qui de hac terra exeunt per baptismum regenerati, dixit miraculum Dei.

21. V. Miracula tandem dicta sunt effecta sensibilia, quæ sint supra id, quod potest ea virtus causarum creatarum quæ nota nobis est ex eo, quod plerumque solet ab illis fieri. In his consistit Ars, quæ vulgo vocatur Magia, & dividitur in naturalem & superstitiosam. Atque prima bene definitur cum Antoine (5), *Ratio efficiendi mira industria humana absque Dæmonis opera*; quare est licita: Secunda vero, *ratio efficiendi mira opera Dæmonis*, quare est illicita & detestabilis. In hoc sensu nomen miraculi est apud Jeremiam (6), *Seduxerunt populum meum in mendacio suo & miraculis suis*. Et in Apocalypsi, (7) *sunt spiritus Dæmoniorum facientes signa*; Nam signa & miracula ex dictis (n. 11.) sunt synonima. Idem sensus est S. Augustino familiaris; Dicit enim (8) *Miraculum voco quicquid arduum aut insolitum supra spem aut facultatem mirantis apparet*, quod hoc loco dividit in duas species; *Quædam enim sunt quæ solam faciunt admirationem, quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant; Nam siquis volantem hominem cernat, miratur tantummodo: Siquis autem desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suæ sanantis etiam charitate superabit*. Alibi vero (9) in quatuor species distinguit, Divinum & mere humanum, & humanum per auxilium Dæmonis, & Dæ-

(1) Id. de Civit. li. 2. c. 14.
(2) Id. in Joan. tr. 8. & 9. Et de Util. creden. c. 16 Et li. 50. homil. 32. in fine c. 2.
(3) Id. in Evang. Joan. tr. 17.
(4) S. Ber. in Cantic. serm. 5. n. 1.
(5) Ant. Theol. Mor. tr. de Virt. relig. c. 5. art. 1. qu. 6.
(6) Jer. c. 23. v. 31.
(7) Apoc. c. 16. v. 14.
(8) S Aug. de Utili. creden. c. 16.
(9) Id. de Civit. li. 21. c. 6.

& Dæmoniacum a ſolo Dæmone factum. Et illud commemorans (1) *Pſeudopropheta dabunt ſigna magna & prodigia*, dicit (2), *intelligamus quadam miracula etiam ſceleratos homines facere*. Quod hic dicit *quadam miracula*, diſtinctius alibi apud S. Thomam dixit (3) *miracula ſimilia illis qua fiunt per ſervos Dei*, & quaſi per contemptum *Mirabilarios* (4) appellavit, qui ea facerent.

22. S. Thomas ſæpe advertit hanc ſignificationem (5), *Dicitur*, ſic ille, *quandoque miraculum large quod excedit humanam facultatem & conſiderationem; & ſic Dæmones poſſunt facere miracula*. Quare alibi diſtinxit miraculum ſimpliciter a miraculo quoad nos, quod alii dicunt miraculum ſecundum quid. Et primum ſtatuit in iis (6), *qua fiunt prater ordinem totius natura creata*. Secundum vero in iis, *qua fiunt prater ordinem natura creata nobis nota per virtutem creatam nobis ignotam*. Et alio in loco vult ea, quæ non ſunt miracula ſimpliciter, appellari (7) *mira vel mirabilia*. Data itaque definitio (§. 1.) procedit de miraculo ſimpliciter, quod verum etiam miraculum opportune dicitur, quoniam Scriptura vocat (8) *prodigia mendacia*, quæ Pſeudoprophetæ, ut Antichriſtus olim patrabunt per operationem Satanæ.

ARTICULUS IV.

De tribus miraculi ſpeciebus.

23. MIraculum dividitur in miraculum quoad ſubſtantiam, quoad ſubjectum, & quoad modum. Diviſio eſt cum S. Thoma (9), & exhibet tres miraculi ſpecies, quarum prima ut idèm ait *tenet ſummum gradum*: ſecunda *ſecundum*: tertia *infimum*. Perquam multi hanc diviſionem amplexi ſunt, quos erudite nominat Lambertinus (10).

24. Dices: Quævis miracula ſunt ſupra totum ordinem naturalium cauſſarum, & omnia ut addit S. Thomas (11), *Divina Potentia comparata ſunt minima*, & urget Clarke eos reprehendens (12), qui in notione miraculi notam difficultatis importune obtrudunt: ergo omnia miracula ſunt æqualia, & temere conſtituuntur diverſi illorum gradus.

(1) Matt. c. 24. 24.
(2) S. Aug. li. 83. qu. 79.
(3) S. Tho. 1. par. q. 114. art. 4.
(4) S. Aug. tr. 13. in Joan.
(5) S. Tho. 1. p. q. 114. art. 4. O.
(6) Id. 1. par. q. 110. art. 4.
(7) Id. de Potentia qu. 6. art. 2. O. Et in 2. ad Theſ. lec. 2. in fine.
(8) 2. ad Theſſal. c. 2. v. 9.
(9) S. Tho. 1. p. q. 105. art. 8.
(10) Lam. de Beatif. li. 4. c. 1. nu 6.
(11) S. Tho. li. 3. cont. Gent. c. 101.
(12) Cla. Relig. Chret. c. 19. n. 1.

Resp. *Conc. ant*, *& dist. conseqs.* Omnia miracula ſunt æqualia, & nulli ſunt in illis gradus, quatenus omnia ſunt extra facultatem cauſarum ſecundarum, *conc. conſeqm*: quatenus omnia æquali ut ita dicam intervallo ſunt extra hanc facultatem, aut eadem facilitate cognoſcuntur a nobis eſse extra hanc facultatem, *nego conſeqm.* Itaque quoniam miraculum dicitur juxta S. Thomam (1) *per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit, cum nihil poſſit dici miraculum ex comparatione Potentiæ Divinæ*, jam quod magis diſtat a vi naturæ, cujuſmodi eſt, quod per illam prorſus numquam exiſtit, eſt majus miraculum, quam id quod extra certas circumſtantias talis ſubjecti aut modi per ipſam exiſtit. Hac de cauſa laudat S. Auguſtinus Medicum, qui feminæ narranti ſibi modum, quo divinitus ſanata fuit a cancro, quem ipſe inſanabilem pronunciaverat, reſpondit, (2) *Putabam magnum aliquid te mihi fuiſse dicturam: Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum mortuum ſuſcitavit.*

25. Præterea facilius ſine ullo errore ſtatuitur eſse miraculum id, quod non indiget conſideratione, & ne mentione quidem ſubjecti aut ejus ſtatus, quam id quod hujuſmodi conſiderationes requirit, antequam in miraculis computetur. Tandem cum in iis etiam, quæ pro miraculis habemus, aliqua ſint, quæ quaſi ſplendidiorem ſuæ qualitatis ſupernaturalis evidentiam præſeferant, ideo altera majora alteris miracula communiter dicuntur. Itaque ſanat Chriſtus multos infirmos, & admirantur, qui vident: Sanat deinde cæcum a nativitate, & admiratio tanta eſt, ut brevi tota urbs & ſynagoga commota fuerit: Tendens poſtea ad monumentum Lazari lacrymatur, & qui hoc obſervant, dicunt (3) *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur*, nec venit illis in mentem ex eodem antecedenti inferre quod poſset ipſum ad vitam revocare, tamquam miraculum longe majus altero. En igitur in ſubita infirmorum ſanatione, in cæci illuminatione, in mortui ſuſcitatione quaſi ſeries quædam creſcentis miraculorum magnitudinis, quam ipſa Sacra Scriptura proponit commemorans aliqua miracula cum adjuncto diverſæ granditatis, ut (4) *Factum eſt grande miraculum*. Et (5) *Admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo*. Et (6) *Dominus fecit ſigna atque prodigia magna & peſſima*. Et (7) *Viderunt oculi tui ſigna illa portentaque ingentia*. Et (8) *Signum magnum apparuit in Cælo*. Quid plura? Chriſti Dni ſunt

(1) S. Tho. 1. pa. q. 105. art. 8.
(2) S. Aug. de Civit. li. 22. c. 8.
(3) Joan. c. 11. v. 37.
(4) Num. 26. v. 10.
(5) Iſai. 29. v. 14.
(6) Deut. c. 6. v. 22.
(7) Ibid. c. 29. v. 3.
(8) Apocaly. 12. 1.

ſunt hæc, (1) *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*.

ARTICULUS V.

De Miraculis primi gradus.

26. QUod dixi miraculum primi gradus, ſive quoad ſubſtantiam, alii vocant miraculum ſimpliciter: Sic Ferrarienſis, (2) *Simpliciter*, inquit, *miraculum dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ per virtutem ſecundum ſe a quocumque intellectu creato incomprehenſibilem*, quam appellationem ex dictis (n. 22.) adhibuit etiam S. Thomas. Alii miraculum appellant ſupernaturale per ſe, vel intrinſece, vel quidditative. Melius quia magis latine Pererius (3) dixit eſse miraculum in eo quod fit. Hoc definias effectum ſenſibilem, qui propter ipſam ſuam eſſentiam cognoſcitur eſse ſupernaturalis (n. 1.), & nos ad Divina deducit. Exempla hujuſmodi miraculorum habentur in robore Samſonis, in ſplendore vultus Moyſis poſt colloquium cum Domino, in Sole ſtante in Cælo, in Nativitate Chriſti Dni ex Virgine ante partum & in partu, in ejus Reſurrectione ex ſepulcro non aperto, in ejus ingreſſu ad diſcipulos januis clauſis, in ejus ſplendida & glorioſa transfiguratione ſupra montem Thabor, in jejunio Moyſis ceteroquin ſani & robuſti, qui (4) *per quadraginta dies & quadraginta noctes non comedit & non bibit*, quod etiam de Elia, & Chriſto Dno prædicatur. Hæc & ſimilia præſtare certe natura rerum quam cognoſcimus, omnino non poteſt. Quare ſubito pronunciamus ea non eſse effectus naturales, ſed ſupernaturales, & quidem tales, ut bene iiſdem aptetur definitio miraculi quoad ſubſtantiam, ut conſideranti patebit.

27. Ejuſdem ſpeciei miracula ſunt rerum multiplicationes, qualis illa panum & piſcium bis facta ad benedictionem Chriſti, ut ſuperfuerint in prima (5) duodecim cophini, & in ſecunda ſeptem ſportæ, quam multiplicationem tenet S. Thomas (6) *non factam per modum creationis, ſed per additionem extraneæ materiæ in panes converſæ*, quia ut in ſimili alibi dicit (7) *omnia ſimul fuiſſe creata ad minus in materia, Sancti communiter tradunt*. Huc reducantur rei unius in aliam converſiones, qualis illa aquæ in vinum in nu-

(1) Joan. c. 14. v. 12.
(2) Fer. in li. 3. cont. Gent. c. 102.
(3) Per. in Exod. diſp. 5. in c. 7. n. 37.
(4) Exod. 34. v. 28.
(5) Matt. c. 14.
(6) S. Tho. 3. p. q. 44. art. 4. ad 4.
(7) Id. in 4. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 1.

ptiis Canæ. Quare bene Authores apud Lambertinum (1) advertunt calliditatem Diaboli, dum volens certum fieri de Divinitate Christi, de qua vehementer dubitabat ex audita forte voce cælesti, *Hic est filius meus dilectus*, aut ex prædicatione Joannis, aut ex fama, postulavit ab illo miraculum primi gradus conversionem lapidum in panes, (2) *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*.

28. Ad eamdem pariter speciem pertinent Prophetiæ. Hoc suadet ipsa Scriptura, in qua prophetare aliquando idem est ac patrare miracula præclarissima, ut ubi de Eliseo dicit, (3) *mortuum prophetavit corpus ejus*, quia projectum in ejus sepulcro cadaver cum (4) *tetigisset ossa ejus, revixit*. Idem sentiunt quovis tempore omnes tam docti quam indocti. Docti erant, quos tempore Danielis Rex Babylonis Nabuchdonosor volebat, ut sibi revocarent in mentem somnium, de quo non meminerat, illudque explicarent: qui ei responderunt, (5) *Non reperietur quisquam, qui indicet illud exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio*, idque confirmavit deinde Daniel (6) *respondens coram Rege, mysterium quod Rex interrogat, sapientes, magi, arioli, auspices nequeunt indicare Regi: sed est Deus in cælo revelans mysteria*. Nec Nabuchdonosos aliter reipsa cogitabat; Nam cum a Daniele divinitus instructo audisset somnium suum, ejusque significationem, (7) *cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & ait, vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum*. Doctus erat etiam Nathanel, quem aliqui recentiores apud Maldonatum (8) dissentientes a S. Augustino & antiquis authoribus contendunt eumdem esse cum Apostolo Bartholomæo; Hic enim audiens a Christo Dno, cum primo in ejus conspectum venit id sibi dici, quod sibi soli notum esse certo sciebat, statim magnitudine miraculi correptus, ut Cyrillus & Augugustinus notant, (9) *respondit ei & ait, Rabbi tu es Filius Dei*.

29. Indocti erant, qui dixerunt, (10) *Propheta magnus surrexit in nobis*, quando viderunt filium viduæ revocatum ad vitam a Salvatore: Indoctus pariter erat cæcus natus, cui Christus Jerosolymis aperuit oculos, qui interrogatus a Pharisæis, (11) *Tu quid dicis de illo, Ille dixit quia propheta est*: Et duo discipuli euntes in Emmaus, qui ipsi Jesu sibi ignoto narrabant, quod Jesus Nazarenus (12) *fuit vir*

(1) Lam. de Beatific. li. 4. par. 1. c. 4. nu. 7.
(2) Matt. 4. v. 3.
(3) Eccli. 48. v. 14.
(4) 4. Reg. c. 13. v. 21.
(5) Dan. c. 2. v. 11.
(6) Ibid. v. 27.
(7) Ibid. v. 46.
(8) Mal. in Joan. c. 1. v. 47.
(9) Joan. c. 1. v. 49.
(10) Luc. c. 7. v. 16.
(11) Joan. c. 9. v. 17.
(12) Luc. c. 28. v. 19.

vir propheta, potens in opere & sermone. Quare non est mirum Justinum Ethnicorum Philosophorum doctissimum a prophetiis, quas legebat in Sacra Scriptura de Christo Dno ejus vita miraculis & novæ legis per ipsum institutione, aliisque multis, quæ jam suismet oculis videbat eventu comprobata, persuasum fuisse ipsomet profitente (1) tum de Divinitate Bibliorum; est enim ut argute de illis dixit Tertullianus (2) *testimonium Divinitatis, veritas divinationis*: tum de sanctitate ac necessitate Christianæ Religionis ad salutem obtinendam, ut eam amplexus pro eadem martyr extiterit gloriosissimus.

ARTICULUS VI.

De Miraculis secundi & tertii gradus.

30. MIraculum secundi gradus, sive quoad subjectum, sive in eo in quo fit, significat effectum sensibilem, qui non propter suam essentiam, sed propter circumstantiam subjecti, in quo fit, cognoscitur esse supernaturalis, & nos ad Divina deducit. Exempla hujus sunt cum S. Thoma (3), Visio reddita cæco, Vita reddita mortuo, Generatio in conjugibus jam decrepitis, ut (4) in Abraham *centenario*, & Sara nonagenaria, & in femina sine opera viri; Nam quod homo videat, vivat, generet, sunt in se, sive ut ait Suarez (5) in facto esse quid, quod quotidie a natura videmus effici, non tamen in cæco, in mortuo, in decrepito, in virgine.

31. Consuli potest Paulus Zacchias (6) qui sint morbi, quorum sanationes adscribi tuto possint huic miraculi speciei saltem si fiant in instanti, quia extra controversiam est nullo modo ea tribui posse naturæ. Huc spectant quæ S. Augustinus sic commemorat, (7) *Vi divina advocantur aquæ maris & effunduntur supra faciem terræ: sed cum orante S. Elia factum est, quia præcesserat longa serenitas, nec ea hora, qua ipse oravit, nec mox futuræ pluviæ signa prætulerat, consecutis tantis imbribus apparuit Vis Divina. Deus operatur solemnia fulgura atque tonitrua: sed quia in monte Sinai inusitato modo fiebant, miracula erant. Quis attraxit humorem per radicem vitis ad botrum, & vinum fecit, nisi Deus? sed cum ad nutum Domini aqua in vinum conversa est, Vis Divina declarata est. Quis arbusta fronde & flore vestit, nisi Deus? Verum cum floruit virga Aaron, colloquuta est quodam-*

(1) S. Just. Dial. cum Triphone.
(2) Tert. Apologet. c. 20.
(3) S. Tho. 1. p. qu. 105. art. 8.
(4) Gen. c. 17. v. 17.
(5) Sua. Metaph. dis. 30. sec. 17. n. 30.
(6) Zac. li. 4. q. 8. n. 23.
(7) S. Aug. de Trinit. li. 3. c. 5.

dammodo cum dubitante humanitate Divinitas: Et alia ibidem prosequitur.

32. Ejusdem gradus miraculum est expulsio malorum Dæmonum ab obsessis aliter quam per facultatem in Ordine Exorcistatus collatam, ut per orationem aut invocationem alicujus Sancti, aut contactum reliquiæ sive carnis sive ossis sive vestis sive alterius rei ipsius, quemadmodum de sudariis & semicinctiis Pauli scriptum est, quod cum (1) *super languidos deferrentur, recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur*; Nam ut arguit Laurentius Brancatus de Lauræa, qui postea fuit Cardinalis (2), imprimis quod homo sit sine Dæmone in ipso inhabitante est evidenter conforme naturæ humanæ: igitur non est miraculum quoad substantiam, quod ab illo quis liber realiter sit. Deinde Dæmon, qui aliquem ex Dei permissione invaserit, non potest vi ulla humana ab eo expelli, quandoquidem de Dæmone dicitur, (3) *Non est potestas quæ comparetur ei super terram, qui factus est, ut nullam timeret*. Igitur hæc expulsio est miraculum ratione subjecti jam incapacis redeundi naturaliter ad pristinam libertatem.

33. Miraculum tertii gradus, sive quoad modum, sive in modo quo fit, significat effectum sensibilem, qui nec propter suam essentiam, nec propter subjectum, sed propter modum quo fit cognoscitur supernaturalis, & nos ad Divina deducit. Hujus exemplum habemus in cessatione venti, & tranquillitate maris simul ac Jesus (4) *dixit mari, tace obmutesce*. Experientia enim docet a procella magna ad tranquillitatem magnam non dari saltum in natura, sed per gradus paulatim venti desæviunt, & aquæ fluctus conquiescunt. Pluvia pariter quam Elias post tres annos cum dimidio perpetuæ siccitatis impetravit, hujus tertii gradus miraculum fortasse melius quam secundi dici potest; Nam quod nubes & pluviæ consequantur diuturnam serenitatem naturale est, non vero quod ad preces hominis condicta hora dicatur cum veritate, (5) *Ecce Cæli conturbati sunt, & nubes & ventus & facta est pluvia magna*.

34. Hujus classis miracula sunt etiam sanationes sine præviis remediis aut crisi, & cum subita virium recuperatione, quoties tamen hæ contingant in ægrotis, de quibus spes adhuc esset recuperandi valetudinem progressu temporis, & artis medicæ auxilio. In his enim accidit, ut miraculum non fit in eo quod fit, cum quotidie videamus naturaliter sanos fieri, qui ægroti antea fuerunt: neque in eo in quo fit, cum dicatur hujus ægroti valetudo nondum fuis-

(1) Act. c. 19. v. 12.
(2) De Lau. in 3. Sent. disp. 10. de Miracu. n. 13.
(3) Job. c. 41. v. 24.
(4) Mar. c. 4. v. 36.
(5) 3. Reg. c. 18. v. 45.

fuisse conclamata: est igitur miraculum solum in modo, quo fit scilicet subito & perfecto; Caussæ enim creatæ cum non agant nisi per motum, qui in instanti fieri nequit, ut alibi (1) demonstravi, non potest ab illis hujusmodi effectus provenire, & opus omnino ad hanc sanationem fuit potentia agentis per voluntatem, cujusmodi est solus Deus. Hujusmodi miraculum videtur fuisse liberatio a febri in socru Petri, quæ ad imperium Christi (2) *dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis*.

35. Quod si sanationes sint a morbis, qui per vires naturæ, & cujusvis rei creatæ depelli amplius nullo modo possint, ut cæcitas a nativitate, vel ab oculo effosso aut aliter destructo, paralysis in omnibus vel fere omnibus corporis partibus, atrophia seu ariditas alicujus membri, carcinoma confirmatum, & alia similia, jam ad miracula secundi gradus pertinent, quia vere jam affirmatur sanitatem restitui subjecto, quod illius erat jam naturaliter incapax. Hujus generis miraculum dicam cum Brancato (3) liberationem a febri in filio Reguli (4) *illa hora, in qua dixit ei* (Patri obsecranti) *Jesus, filius tuus vivit*; Nam novimus ad Jesum accurrisse regulum, quando filius *incipiebat mori*, adeoque quando jam deficiente virtute naturæ ad superandum morbum, subjectum incapax erat sanationis, etiamsi verum esset, quod idem Auctor (5) tenet non convaluisse nisi successive, propterea quod observat Jesum non dixisse, Vade filius tuus sanus est, sed vivit, nec servos occurrentes regulo nunciasse sanum esse, sed vivere, nec ipsum interrogasse an sanus esset, sed *in qua hora melius habuerit*, & servos non respondisse jam sanus est, sed *heri hora septima reliquit eum febris*. Multo autem magis miraculum secundi gradus est, si momento temporis perfectam valetudinem recuperavit, ut (6) *valde*, inquit Maldonatus, *probabiliter existimant* Chrysostomus & alii Patres, explicantes occursum servorum ad gratulationem de vita filio per preces ejus a Christo impetrata.

ARTICULUS VII.

Animadversiones ad gradus miraculorum.

36. MIraculis tam primi quam secundi gradus proprium est palam præseferre iis visis aut auditis aut alio modo apprehensis operationem Virtutis Divinæ. Quare solent etiam appel-

(1) De Motu.
(2) Luc. ca. 4. v. 39.
(3) Bra. de Mirac. n. 87.
(4) Joan. c. 4. v. 50.
(5) Bran. ibid. n. 872.
(6) Mal. in Joan, c. 4. v. 51.

pellari miracula quoad rem, ut ait Brancatus (1): in quo fundari potuerunt Archidiaconus, & Bellamera, qui apud Lambertinum (2) duos solum miraculorum gradus admiserunt. Persuasum enim est omnibus ea superare vim cujusvis creaturæ, cum ingerant statim ideam cujusdam creationis, quæ solius Dei est. Propter quam etiam caussam in sanationibus, quæ concludantur esse miracula quoad rem non requiritur, ut observat Brancatus (3) *probare quod aliquod remedium applicatum non sit, vel quod neque crisis acciderit, neque aliquod superstitiosum fuerit applicatum, cum hac media hos eventus efficere nequeant*. Neque attenditur successive ne an in instanti acciderint. Evidens enim semper est nihil in iis esse naturale. Itaque non minus miraculum apparuit cum in Sarepta Sidoniorum ad preces Eliæ statim (4) *reversa est anima* (mortui) *pueri intra eum, & revixit*, quam cum Sunæ ad illas Elisei primum (5) *calefacta est caro* alterius defuncti pueri, qui deinde *oscitavit septies*, & tandem *aperuit oculos*. Nec minus Christus Dn. probavit se Deum, cum cæcum Bethsaidæ quasi per gradus curavit ex vidente (6) *homines velut arbores*, reddens *clare videntem omnia*, aut cum alteri cæco visum reddidit, postquam (7) lavit in natatoria Siloe oculos luto linitos, quam cum oculos duorum cæcorum tangens Jerichunte (8) *confestim* illuminavit.

37. Sola igitur miracula tertii gradus sive quoad modum postulant ut fiant in instanti, vel saltem eo modo, quo naturaliter numquam contingunt, quemadmodum adducta exempla satis declarant. Itaque Auctores, qui visi sunt docere de ratione miraculi esse ut fiant in instanti, vel habuerunt præ oculis quod plerumque contingit in quavis miraculi specie, ut ostendit Brancatus (9), vel de miraculis dumtaxat quoad modum illud statuere intelligendi sunt juxta Bordonum (10), & alios multos, quos nominat Lambertinus (11).

38. Opus fuit diligenter distinguere hujusmodi miraculorum gradus, quia frequens illorum mentio est apud Auctores, qui scribunt in Caussis de collocandis in numero Beatorum aut Sanctorum homines jam defunctos juxta ritum a Romano Pontifice Joanne XV. introductum, ut volunt Musantius (12), Novaes (13), aliique, ad quem

(1) Bran. de Mirac. n. 85.
(2) Lam. de Beatif. li. 4. p. 1. c. 1.
(3) Bran. de Mirac. n. 1068.
(4) 3. Reg. c. 17. v. 22.
(5) 4. Reg. c. 4. v. 34.
(6) Mar. 8. v. 24.
(7) Joan. c. 9. v. 6.
(8) Matt. c. 20. v. 34.
(9) Bra. de Mirac. n. 868.
(10) Bord. de Mirac. Medit. 1. n. 24.
(11) Lam. de Beatific. li. 4. par. 1. c. 8. nu. 18.
(12) Mus. Tabulæ Cronolog. Aetas septima. Tab. 9.
(13) Novaes Storia de Pontefici artic. Giov. XVI.

quem effectum juxta rationem semper adhibitam a Sede Apostolica, & expressas constitutiones Innocentii III. (1), Gregorii IX. (2), aliorumque deinceps Pontificum requiritur juridicum examen miraculorum, quæ post mortem illius, de quo agitur patrata sint: cujus ratio est, quia illustriora habentur miracula, quo altioris gradus statuuntur. Atque hinc dum occurrunt miracula sanationis, Physiologia adhibetur, ut cognoscatur essetne curatio per naturam difficilis, & exquisita remedia & longum tempus requirens, an rursus facilis, an impossibilis naturaliter, ut decerni possit secundine, an tertii gradus miraculum sit: & quando tertii, an sit ex minoribus, an ex insignibus.

39. Opus etiam fuit de his gradibus exactas definitiones stabilire, quia ex hoc solum defectu nasci potuit, ut Arauxo (3) aliqua, quæ optimo jure, quemadmodum Lambertinus (4) contra ipsum ostendit, habentur pro miraculis ad aliquem ex tribus ab ipso ceteroqui distinctis gradibus pertinentibus, ut expulsio Dæmonum a corporibus obsessis aliter quam per Exorcistatum, odor suavis, quem corpus in sepulcro jacens emittat, subita cessatio tempestatis in mari, longum per menses jejunium, & alia, noluerit ipse in ullo hujusmodi graduum numerare, sed in quartam quamdam clasem rejecit, cujus nullam velit haberi rationem in caussis Canonizationum: Et ex eodem pariter defectu nasci credo, eos qui de uno eodemque miraculo scribunt non convenire circa gradum, in quo illud collocandum sit. Hoc observare cuique licet in libris de caussis Canonizationum, qui jam abundant, postquam sub Alexandro VII. eæ typis committi coeperunt primo quidem cum limitatione ad sexaginta exemplaria, & deinde sine ulla limitatione, quod antea parsimoniæ gratia in usu non erat.

40. Adverti tandem debet factam in diversas species seu gradus divisionem non significare, quod non possit unum miraculum participare attributa cujuscumque speciei, sed solum pose unumquodque ad unam ex tribus pertinere: Ceterum dantur etiam miracula, in quibus reperias differentias proprias duabus speciebus, ut in visu a Christo Dno reddito cæco, linitis luto ejusdem oculis, quod est miraculum quoad subjectum simul & modum, & alia etiam, in quibus sunt attributa omnium specierum, ut in loquutione humana ab asina Balaam instituta.

(1) Innoc. Const. Quia pietas.
(2) Greg. Constit. Cum dicat.
(3) Ara. Decis. moral. tr.3. q.23. §.5.
(4) Lam. de Beatific. li. 4. par. 1. c. 6. nu. 10.

Articulus VIII.

De Miraculis supra præter & contra naturam.

41. AD divisionem miraculi jam expositam duæ aliæ referuntur, de quibus oportet meminisse, quia usitatæ. Illam quæ in titulo articuli enunciatur, hic expono, dicturus de altera in sequenti. Est & tertia quædam partitio in miracula positiva & negativa, quam Matta proposuit, a qua statim me expedio, quia communiter explosa tamquam ex falsis principiis deducta, & nullius usus, ut ostendit Lambertinus (1). Quid nomine miraculi positivi author intelligat, patebit per definitionem negativi, quam sic profert, (2) *Miraculum negativum est illud, in quo nihil de novo ponitur alteratur vel immutatur, sed conservatur primus status*, adde, contra id quod ex physica necessitate deberet contingere. Hujusmodi dicit fuisse præservationem rubi ardentis a combustione, trium puerorum a fornacis incendio, & quascumque alias præservationes a morte ruina lapsu submersione, & similibus. Hanc ipse distinctionem intulit, quia censuit non posse in caussis Canonizationis haberi rationem de miraculis negativis, primo quia juxta Juris dispositionem non admittuntur in eodem subjecto duæ præsumptiones, quarum alteram dicit esse aliquid physica necessitate fieri debuisse, alteram id per miraculum factum non esse. At in exemplis allatis præsumptio non est, sed physica certitudo, quod igne consumi debeat corpus, quod in ejus medio sit, & collidi debeat homo, qui ex alto supra durum solum decidat: atque quando neutrum accidat, physica evidentia est, & nulla iterum præsumptio. Omitto alias ipsius rationes nullius pariter momenti.

42. Venio ad primam divisionem, quæ est in miracula supra præter & contra naturam. S. Thomas sæpe (3) hanc commemorat, quem permulti citati a Lambertino (4) jam olim sequuti sunt, & adhuc sequuntur, ut Merlinus apud Trevoltianos (5), & cum eo Alphonsus Nicolai (6). Ejus sensus & modus, quo ad prædictam divisionem hæc quoque revocetur, explicatis terminis statim innotescent. Igitur esse supra naturam idem est ac non posse effici a natura, hoc est a caussis naturalibus quacumque ratione cognitis, sive

(1) Lam. de Beatif. li. 4. p. 1. c. 22.

(2) Mat. de Canoniz. p. 3. c. 8. n. 13., & par. 4. c. 13.

(3) S. Tho. in 2. sent. dist. 18. qu. 1. art. 3. Et de Potentia qu. 6. art. 1. O. Et art. 2. ad 3.

(4) Lam. de Beatif. li. 4. p. 1. c. 1. n. 5.

(5) Trev. ann. 1742. art. 41. pag. 1038.

(6) Nic. Lezion. 7. dell' Esodo.

five in se ipsis, sive ab effectis, quia compertum est vim nullam illis inesse ad substantiam talis effectus. Exempla, quibus declarata sunt (n.26.) miracula quoad substantiam, hic quoque sunt opportuna.

43. Esse præter naturam idem est ac non posse effici a natura, quia compertum est vim nullam illi inesse non quidem ad substantiam efficiendam talis effectus abstracte ab omnibus circumstantiis consideratam, sed ad modum, quo ille producitur, spectatis scilicet circumstantiis, in quibus fit, cujusmodi sunt subjectum tempus modus. Itaque quod existant ranæ, quod manus arescat, quod viscera ex aliqua potione putrescant, non sunt supra naturam absolute considerata, quia quotidie horum exempla habemus, sed sunt præter naturam, hoc est præter usitatum cursum ordinemque naturæ, sive ut ait Pallavicinus (1) *citra ulla exigentiam naturæ*, considerata cum relatione ad circumstantias amplæ regionis, qualis Ægyptus, quæ repente scateat ubique ranis: & manus dispositæ ad scelus patrandum, qualis illa Jeroboam (2) contra Prophetam extenta, quæ subito arescat: & aquæ, qualis fuit illa Zelotypiæ (3) ab adultera epota, quæ ejus ventrem brevi putrefaciebat: quæ sunt exempla S. Thomæ in hac ipsa re. Quare miracula præter naturam sunt miracula vel quoad subjectum vel quoad modum.

44. Esse tandem contra naturam idem est, ac non posse effici a natura, quia compertum est illi inesse dispositionem ad oppositum. Redit hæc explicatio ad miracula quoad substantiam, vel quoad subjectum. Exempla S. Thomæ sunt ignis qui non comburat, ut habetur apud Danielem (4), & aqua fluminis, qualis Jordanis (5), quæ cursum repente inhibeat. Quando S. Augustinus dicit, (6) *Portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt; Quomodo est enim contra naturam, quod Dei fit voluntate?* ibi nomine naturæ intelligit decretum Dei vel Deum ipsum, qui dicitur Natura universalissima, sive Natura naturans ex dictis alibi (7), non intelligit cursum & ordinem nobis notum rerum creatarum, aut rem ullam particularem creatam, quæ dicitur Natura particularis, sive Natura naturata. Deus quidem faciens in rebus creatis, quicquid vult, non facit contra voluntatem suam, sed potest facere contra id quod ex consueto ipsarum ordine novimus esse ipsis proprium. Idem S. Doctor alibi hanc doctrinam sic clare exponit, (8) *Deus creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim erit* cui-

(1) Pall. in 1. 2. dis. 2. q. 2. ar. 2. n. 6.
(2) 3. Reg. c. 13. v. 4.
(3) Num. c. 5. v. 27.
(4) Dan. c. 3.
(5) Josu. c. 5.
(6) S. Aug. de Civit. li. 21. c. 8.
(7) De causa efficien.
(8) S. Aug. li. 26. cont. Faustum. c. 3.

cuique rei naturale, quod ille fecerit....sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id quod novimus in natura.

ARTICULUS IX.

De Miraculis punitionis.

45. VEnio ad alteram divisionem, quæ est in miracula punitionis, de quibus nunc, & miracula beneficii, de quibus postea dicam. Quando S. Augustinus distinxit miracula (n. 21.) in ea, quæ faciunt solam admirationem, & ea quæ benevolentiam etiam conciliant, dici potest hanc divisionem proposuisse, quam apertissime jam habent Trevoltiani (1). Hæ duæ miraculi species frequentius occurrunt, earumque differentia specifica ex ipso nomine manifesta est.

Ex miraculis punitionis multa habentur in utroque Testamento. Quin immo quæ sunt in Veteri maxima pars sunt hujusmodi; Nam sunt in vindictam malorum, ut advertit jam Brancatus (2) ad eorum differentiam, quæ leguntur in Novo, quæ paucis exceptis sunt in bonum aut privatum aut publicum, ut videas etiam ex hac parte, quam bene Novum Testamentum dicatur Legem Gratiæ continere. Juvat de miraculis punitionis mentionem facere percurrendo per eas Mundi ætates, quas Chronologi solent distinguere.

46. In prima itaque a Mundo condito ad diluvium universale est hoc ipsum diluvium perpetua quadraginta dierum pluvia, qua anno a creatione Mundi 1656. obruta omnia viventia deprehensa extra arcam a Noe jussu Dei fabricatam, intra quam ipse Noe cum uxore tribus filiis & tribus nuribus, & certo numero ex omnibus animantibus desumpto commune naufragium evasit.

In secunda a diluvio ad ortum Abrahæ est sublata repente unitas sermonis humani per exortum novarum linguarum in diversis familiis congregatis ad ædificationem turris Babelis susceptam contra Divinam voluntatem.

47. In tertia ab Abrahæ ortu ad exitum Israelis de Ægypto est incendium Sodomæ cum aliis urbibus prænunciatum ab Angelis Abrahamo, supra quas (3) *Dominus pluit sulphur & ignem*, quibus Scripturæ verbis quantum repugnet Lengletus de Fresnoy (4), qui a fulmine delapso in puteos bituminis & sulphuris repetit hujusmodi

(1) Trev. ann. 1742. ar. 41. p. 1011.
(2) Bra. de Mirac. n. 390.
(3) Gen. c. 19. v. 24.
(4) Fre. Metod. per l' Istor. to. 1.

di incendium per se patet, & melius intelligetur a Trevoltianis (1) ipsum confutantibus. Est praeterea repentina mors uxoris Loth commutatae in statuam salis, quia contra praeceptum sibi divinitus indictum respexit. Quod factum contra communem interpretum acceptionem aliqui apud Lambertinum (2) a miraculo eximunt dicentes sulphuris odore aut fumo praefocatam processu temporis induruisse. Sunt tandem decem Ægypti plagae illatae per Moysem ab Angelis, quos proinde Scriptura vocat malos, (3) *Misit in eos iram indignationis suae, immissiones per Angelos malos*, malos scilicet non morali malitia, sed vindicativa. seu non natura sed effectu, ut explicat Lalemand (4), & probabilius censuit Pererius (5) interpretandum.


48. In quarta ab exitu Israelis ad inceptam aedificationem templi Salomonis est excidium totius exercitus Ægyptiorum per aquas Erythraei supra ipsos relabentes, dum Hebraeos obstinate insequitur. Est mors Chore, Datan, & Abiron, quos terra vasto hiatu absorbuit Moysi & Aaroni obtrectantes. Est insignis Philisthinorum clades per Arcam Dei apud ipsos captivam illata: Est subita mors (6) multorum Bethsamitarum propter Arcam Domini irreligiose spectatam. Est similis interitus Ozae, dum ipsam arcam profanus homo audet contingere.

49. In quinta ab inchoato templi Salomonis aedificio ad finem captivitatis sub Cyro sunt plura poenalia miracula per Eliam & Eliseum patrata: Et occisio 85. millium Assyriorum una nocte per Angelum sub Hierosolyma a Sennacheribo obsessa.

In sexta a Cyro seu Monarchia Persarum ad Christi nativitatem est Heliodori castigatio per equitem caelestem, dum Hierosolymitani templi expilationem intentat. Et impotentia ad loquendum superveniens Zachariae Sacerdoti (7) eo quod non crediderit verbis Angeli Gabrielis, quae certiorem illum faciebant de sublata uxori Elisabeth sterilitate, & sanctitate Jo. Baptistae ex se & illa licet senibus nasciturI.

50. In septima tandem quae incipit a Christo nato habemus ex Scriptura mortem Herodis Agrippae consumpti a vermibus Angelo Domini illum percutiente, (8) *eo quod non dedisset honorem Deo*, subitum interitum Ananiae & Saphirae (9) ad solam Petri increpationem,

(1) Trev. ann. 1731. ar. 44. & 52.
(2) Lam. de Beatif. li. 4. p. 1. c. 3. n. 10.
(3) Psal. 77.
(4) Lal. Parafr. de Salmi.
(5) Per. disp. 12. in c. 7. Exod. n. 70.
(6) 1. Reg. c. 6.
(7) Luc. c. 1.
(8) Act. 12. v. 23.
(9) Ibid. c. 5. v. 5.



nem, & punitionem filiorum Scevæ, qui non credentes in Jesum (1) *tentaverunt invocare super eos, qui habebant spiritus malos nomen Domini Jesus, in quos insiliens homo, in quo erat Demonium pessimum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent.* Evidens etiam miraculum punitionis habemus hac ætate in dispersione Gentis Hebrææ, quæ per totum terrarum orbem præsefert talem statum, in quo videas continenter impleri, quod de ea prædictum jam fuerat, (2) *Erit Israel in proverbium & in fabulam cunctis populis*; Adhæret enim Religioni Deo amplius non acceptæ, rituum multitudine perquam onerosæ, inter quos est nota circumcisionis, quæ nequit suscipi sine dolore, & vulgo jam deridetur: Nullibi habet formam reipublicæ quæ sit sui juris: Nullibi obtinet Magistratuum gratiam, sed tolerantiam dumtaxat, & ubique infamiam atque contemptum experitur. Nihilominus, ubique extat, scilicet ut notitiam Evangelii omnes Gentes habeant, quæ dum quærunt de ipsius indole & natura Religionis quam sequitur, jam certiores fiunt de adventu Christi Dni ejusque redemptione per mortem a majoribus Judææ gentis per summam perfidiam ipsi inflictam, de quibus a Sacris libris, quos ipsa secum semper portat tamquam ut ait S. Augustinus (3) Cham servus fratrum suorum ad horum instructionem, sui vero onus, edoceri plenius possunt, aut in doctrina, quam jam didicerint, validius confirmari.

51. Cumulus demum hujusmodi miraculorum extabit sub finem mundi, & magnam horum partem exhibebunt Henoch & Elias, qui creduntur fore duo illi, de quibus scriptum est, quod (4) *prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*: & quod *habent potestatem claudendi cælum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.* Quod utique volent, quoties ante tempus præfinitum quis voluerit eisdem nocere; Etenim (5) *ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum.*

AR-

(1) Ibid. c. 19. v. 13.
(2) 3. Reg. c. 9. v. 7.
(3) S. Aug. li. 13. c. Faustum c. x.
(4) Apoc. ca. 11. v. 4.
(5) Ibid. v. 5.

ARTICULUS X.

De miraculis beneficii.

52. MIracula beneficii ſunt, quæ aliter Gratiæ gratis datæ dicuntur. Hæc Apoſtolus in novem ſpecies diſtribuit dicens, (1) *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum.* Noſtrum eſt de ſingulis advertere, quæ earum quaſi naturam declarent.

53. Imprimis omnibus convenit ratio miraculi beneficii, miraculi quidem, quia omnia dicuntur *manifeſtatio Spiritus* ſcilicet Divini: beneficii autem, quia dicuntur talis manifeſtatio ad utilitatem, & quidem alterius; Nam juxta S. Thomam (2) hæ gratiæ *dantur ad hoc ut homo ad juſtificationem alterius cooperetur*: Et ideo convenienter ex ejuſdem doctrina (3) novem ſunt, quia ut quis aptus ſit ad alios inſtruendos opus eſt habeat ipſe horum certam cognitionem, & poſſit eadem invicte comprobare, & opportune declarare. Ad cognitionem autem pertinent ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, & diſcretio ſpirituum: ad comprobationem gratia ſanitatum, operatio virtutum, & prophetia: ad declarationem genera linguarum & interpretatio ſermonum.

54. Deinde facultas efficiendi hæc miracula non eſt quædam entitas ſeu qualitas ſuperaddita creaturæ rationali, quemadmodum ex Philoſophia peripatetica aliqui exiſtimarunt; Nam hujuſmodi qualitates non dari jam olim concluſum eſt. Præterea ut infra demonſtrabitur, quævis creatura cum ſit cauſſa miraculorum dumtaxat moralis non phyſica, ſatis eſt ipſamet ejus natura ad hoc munus implendum ſive per preces, ſive per aliam ſibi proportionatam operationem, qua Deus moveatur ad miracula phyſice efficienda. Tandem hæc facultas eſt ita gratuita, ut non dependeat a meritis creaturæ; Nam S. Jo Baptiſta ex teſtimonio Chriſti Dni erat (4) *pluſquam Propheta. & eo non ſurrexit major*: attamen (5) *nullum ſignum fecit*, quod fortaſſe Divina Providentia factum fuit, ne Judæi ejus admirabilem Sanctitatem ſuſpicientes haberent pro Meſſia.

Qua-

(1) 1. ad Corinth. 12. v. 7.
(2) S Tho. 1. 2. q. 111. art. 1. O.
(3) Id. ibid. art. 4.
(4) Matt. c. 11. v. 9. & 11.
(5) Jo. c. 10. v. 41.

Quare in Cauffis Canonizationum hujufmodi gratiæ non admittuntur tamquam argumenta, quæ ullius fanctitatem evincant.

55. Hæc habens præ oculis Brancatus, qui præter alios multos, quorum mentionem facit Lambertinus (1), de fingulis pro dignitate differuit, gratiam gratis datam definivit, (2) *effe donum Dei fupernaturale fine meritis homini datum, non faciens per fe gratum habentem illud, principaliter ordinatum ad Ecclefiæ utilitatem, externo aliquo figno manifeftativum, quod Spiritus Sanctus operetur per illud*. Brevius & clarius ultima pars *externo* &c. exprimetur dicendo, & fenfibile in fuis effectibus, quod omnino pertinet ad notionem hujus gratiæ; Aliter enim tota definitio dici poffet de Apoftolatu, & Sacris Ordinibus, quæ non funt in numero hujufmodi gratiarum, ut obfervat Lambertinus (3).

56. Præter gratias gratis datas funt gratiæ quas vulgus ipfum fic abfolute appellat, intendens fignificare effectum fibi quidem utilem divinitus operatum, fed qui non eft miraculum, nec ulla gratia gratis data. Equidem hanc gratiam abfolute dictam definiam efse effectum aliquo modo nobis fenfibilem, utilemque, & a nobis exoratum, qui quamvis in fe fit fupernaturalis, attamen nobis non apparet talem efse, & ad actus religionis conducit. Exemplum fortaffe habemus in vifu reddito Tobiæ feniori, poftquam Angelo Raphaele monftrante ejus filius (4) *de felle pifcis linivit oculos patris fui*; Nam cum dicatur, quod linitu facto *fuftinuit quafi dimidiam fere horam, & cœpit albugo ex oculis ejus, quafi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, ftatimque vifum recepit*, credit Nicolaus Serarius (5) concludi hinc poffe recuperationem vifus Tobiæ fuifse effectum naturalem. Aliud efto exemplum in valetudine redeunte apparenter juxta leges naturales per medicos & remedia ab ipfis applicata, quæ tamen reipfa rediit per fpecialem feu non ordinariam actionem Dei, qui ad noftras vel aliorum preces fecit ut unum potius medicum adhiberemus quam alium, qui una potius via quam alia curam aggrederetur, & fortaffe etiam effecit, ut remedia applicata operarentur modo infolito, etfi invifibili. Alia exempla dabit Arnaldus (6), ubi de Gratiis loquitur, quas tamen minus bene vocat miracula invifibilia; Nam de ratione miraculi, ut jam obfervavit Bordonus (7) non eft efse beneficium & per preces impetrari, ut patet in miraculis punitionis, quorum utrumque eft de ratione hujus gratiæ juxta pofitam definitionem.

AR-

(1) Lamb. de Beatif. li. 3. c.42.
(2) Bran. in 3. fen. dif.19. n.6.
(3) Lam. de Beatif. li.3. c.42 nu.4.
(4) Tob. c.11. v.13.
(5) Ser. Comm. in c.11. Tob. qu.2.
(6) Arna. fur le noveau fyftem. de la nat. & de la Grace li 1. c.10.
(7) Bord. de Mirac. med.1. n.35.

ARTICULUS XI.

De Gratiis Sapientiæ Scientiæ Fidei Sanitatis & Virtutum.

57. PRima species gratiæ gratis datæ est *Sermo Sapientiæ*, hoc est Sermo de Divinis, qui sive dictus sive scriptus manifeste præsefert Spiritus Sancti inspirationem, quia factus sine humano studio, & quia tam efficax est, ut nemo illi contradicat, & increduli convertantur, & fideles in fide confirmentur. Talis gratia apparuit in Petro, dum die Pentecostes de Divinitate & Missione Christi Dni eam repente concionem habuit, qua tria hominum millia ad ejusdem agnitionem adduxit arguens ex Psalmis & Joele, de quibus ne cogitare quidem fortasse poterat, utpote sibi illiterato ignotis. Talis etiam sermo fuit in S. Stephano, de quo scriptum est, quod (1) *disputantes cum eo non possent resistere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur*. Talis in S. Paulo, prout apparuit in sermone, quem referunt Acta Apostolorum (2) habitum ab ipso in Synagoga Antiochiæ Pisidiæ, & prout ipsemet testatus est dicens, (3) *Sermo meus & prædicatio mea in ostensione spiritus virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Talis in feminis pueris & indoctis, de quibus Historia Ecclesiastica nos docet tanta vi & eloquentia de Fide Christiana coram Ethnicis Magistratibus prædicasse, ut omnes admirarentur, & plures ipsam Religionem amplecterentur.

58. Secunda species est *sermo scientiæ*. Cum de humanis dicatur Scientia, & de Divinis Sapientia ex communi Authorum consensu, bene nomine *sermonis scientiæ* juxta S. Augustinum (4) venit sermo sive verbo sive scripto prolatus de iis, quæ agere opus est ad æternam salutem consequendam præseferens S. Spiritus inspirationem ex iisdem rationibus ac dictum est de sermone sapientiæ. Præter exempla ibi indicata, quæ huc etiam pertinent, extat aliud insigne ultimis hisce temporibus in libro Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii Loyolæ, qui continet modum subtiliter excogitatum & optime ordinatum, uno verbo artem dirigendi vitam hominis mortalem juxta finem quo a Deo nobis concessa est, quem ipse perscripsit nulla humana scientia nondum instructus, adeoque per hanc gratiam gratis datam, quemadmodum censuerunt jam Auditores Rotæ in relatione Caussæ pro ipsius Canonizatione. Utraque igitur

(1) Act. ca. 6.
(2) Act. ca. 13.
(3) 1. Corinth c. 2.
(4) S. Aug. de Trini. li. 12. c. 14.

miraculi ſpecies Sermo Sapientiæ & Scientiæ numquam defuit in Ecclefia Catholica, & utraque reperitur non ſolum in hominibus, ſed in mulieribus etiam, cum hac tamen differentia, quam obſervat S Thomas (1), quod mulieres, quæ juxta Apoſtolum (2) non permittuntur docere, & (3) in Eccleſiis jubenter tacere, uti non poſſunt ſermone ſapientiæ aut ſcientiæ ad publicam doctrinam, ſed ſolum ad privatam & familiarem cum uno vel altero, certe quidem cum paucis.

59. Tertia ſpecies eſt *Fides*. Quo nomine vel intelligitur fiducia in Deum impetrandi vera miracula, qui eſt ſenſus S. Jo. Chryſoſtomi dicentis ſignificari hoc loco (4) *fidem, non quæ dogmatum eſt, ſed ſignorum*; quæ eſt etiam interpretatio S. Hieronymi: vel intelligitur fervor ille atque conſtantia in Fide, quæ elucet in ſuſtinendis quibuſvis malis & morte ipſa pro ejus aperta profeſſione, qualis apparuit in Martyribus cum tanta inſpectantium utilitate, ut ſcitum ſit effatum S. Cypriani, Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. Cornelius a Lapide in hunc locum relatis hujuſmodi explicationibus dicit, *optime Fides hic eſt intelligentia magna Myſteriorum Fidei ad ea contemplandum & explicandum*. Sed gratia, quæ eſt ad explicanda myſteria Fidei includitur in interpretatione ſermonum, de qua deinde fit mentio: gratia vero quæ eſt ad ea contemplanda eſt gratia ad utilitatem propriam, adeoque non pertinet ad gratias, quæ dantur in utilitatem Eccleſiæ ſive aliorum, de quibus hic ſermo eſt juxta receptam ab ipſo Cornelio interpretationem.

60. Quarta ſpecies eſt *gratia Sanitatum*, ideſt facultas curandi morbos ſine ullo remedio naturali in inſtanti. Hæc autem facultas alia eſse non poteſt, quam moralis quatenus Deus alicui concedit actuale quoddam jus ut ad preces ſuas Ipſe ſanitatem ægrotis reſtituat, ut explicat Brancatus (5). Talis gratia reſplenduit in Petro, qui claudum in nomine Jeſu ſanavit (6), & Æneam paralyticum (7) ab annis octo jacentem continuo in eodem nomine erexit: & in Paulo, qui Melitæ (8) a febri & dyſenteria principem inſulæ ſalvavit impoſitis manibus ita ut *omnes qui in inſula habebant infirmitates accederent & curarentur*.

61. Quinta ſpecies eſt *operatio Virtutum*, hoc eſt facultas operandi in aliorum utilitatem miracula, quæ magis admirari ſolent homines, nec revocantur ad ſpecies jam dictas atque dicendas. Hu-

(1) S.Tho. 2. 2. qu.177. ar 2.
(2) 1. ad Timot. ca.2.
(3) 1. Corinth. ca.14.
(4) Chr. hom.29. in 1.Corinth. c.12.
(5) Branc. de Grat. gratis data in 3. ſen. diſt. 19. nu.153.
(6) Act ca. 3.
(7) Ibid. ca.9. v.14.
(8) Ibid. ca.28: v.8.

Hujusmodi sunt suscitare mortuos, a flammis non lædi, super aquas ambulare. Allata interpretatio hujus nominis *Virtus* prout adhibetur hoc loco ad Apostolo est juxta mentem SS. Patrum atque Doctorum, quos dabunt Interpretes. Sanctus Chrysostomus quidem, & Theodoretus hic dicunt ad virtutem pertinere non solum sanationes, sed etiam punitiones. Quod plane ostendit eos virtutem hic etiam accepisse prout in aliis Scripturæ locis usurpatur vel pro quovis miraculo, vel pro majoribus, non exclusis ipsis sanationibus, ut in illo Actorum (1) *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria & recedebant ab eis languores*. Quæ interpretatio merito relicta est, utpote minus consona Apostolo, qui hoc loco agens de gratiis gratis datis intendit loqui de miraculis beneficii, non punitionis, & subiiciens gratiæ sanitatum operationes virtutum, jam virtutes aperte distinguit a sanationibus.

ARTICULUS XII.

De Gratia Prophetiæ.

62. SExta species est *Prophetia*, hoc est manifestatio rerum, quæ cum naturaliter homini ignotæ sint, ipsi a Deo revelantur. Communem hanc notionem reliquit Incredulus Dumarsais, statuens in sua Gallica *Analysi Religionis Christianæ*, quam facile Nonnote (2) pessumdat, *veram significationem Prophetæ esse prædicatorem aut hortatorem*; Quod fecit ut quocumque modo viam sibi aperiret ad contemnendas omnes Sacræ Scripturæ prophetias, easque præsertim, quæ pro Religione Christiana maxime omnium celebrantur.

63. Ex data interea prophetiæ notione. I. sequitur, manifestationem eorum, quæ homo noverit per revelationem Dæmonis non esse prophetiam. Vulgus ipsum hoc novit, quod non habet tamquam prophetiam quicquid Dæmon per aliquem obsessum enunciaverit, quod remoto etiam in loco contigerit.

II. Sequitur prophetias non esse quæcumque naturaliter de rebus futuris Dæmoni certo præcognita per suos Divinos prædixerit, & multo minus, quæ non certo sed conjecturaliter dixerit, etiamsi eveniant; Nam non solum deest hic Revelatio Divina requisita ad rationem prophetiæ, sed etiam infallibilitas eventus propria omnibus. quæ authorem habeant Deum, primam & æternam veritatem. Iisdem de caussis prophetiæ non sunt, quæ aliquis hypocrita,

(1) Act. ca. 19. v. 11.

(2) Non. Dict. Pihilos. ar. Prophetiea.

ta ., vel aliter perversus homo ad aucupandam famam vel ad alium finem temere prænunciet, licet contingant. Hæc confirmo verbis S.Thomæ, quæ suggerunt etiam distinctionem in prophetiam simpliciter, & secundum quid, qualis ex dictis (n. 22.) tribuitur etiam miraculo: (1) *Prophetia simpliciter, & proprie dicta fit per solam Divinam revelationem. Sed & ipsa revelatio facta per Dæmones potest secundum quid dici prophetia. Unde illi, quibus aliquid per Dæmones revelatur, non dicuntur in Scripturis Prophetæ, sed cum aliqua additione puta Prophetæ falsi vel Prophetæ Idolorum.*

64. III. Sequitur quod idem S. Doctor (2) notavit, omnes gratias gratis datas, in quibus intervenit aliqua cognitio objecti naturaliter ignoti, cujusmodi sunt sermo sapientiæ & scientiæ, fides & discretio spirituum, *sub prophetia comprehendi posse*, quæ ut inferius dixit (3) *se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt.*

65. IV. Sequitur ad rationem prophetiæ non pertinere, quod ipsemet propheta cognoscat aut intelligat, quæ manifestat. Quod confirmat illud S. Augustini, (4) *Propheta nihil est nisi enunciator verborum Dei hominibus.* Quare idem alibi (5) docet posse Deum movere alicujus mentem ad dicendum ea, quæ nescit, ut in hoc loquens mere passive se habeat. Id accidit Caiphæ, quando concilio contra Christum congregato dixit, (6) *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo.* Quod notat Evangelista *a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.* Idem fortasse accidit Patriarchæ Jacob, dum suis filiis annunciabat (7) *ventura in diebus novissimis* per ænigmata, cujusmodi sunt hæc, *Simon & Levi vasa iniquitatis bellantia. Catulus Leonis Juda. Issachar asinus fortis accubans inter terminos.* Saltem non constat horum significationem eidem fuisse revelatam.

66. Plerumque tamen Prophetæ donati fuerunt etiam tam clara cognitione eorum, quæ manifestabant, ut scriptum sit, (8) *Qui propheta hodie dicitur, vocabatur olim videns*: Et prophetiæ Isaiæ Abdiæ & Nahum inscribuntur (9) *Visio Isaiæ*, (10) *Visio Abdiæ*, & (11) *Liber Visionis Nahum.* Prophetia conjuncta cum cognitione ipsius objecti dicitur a S. Thoma (12) perfecta prophetia, & quæ ea careat instinctus propheticus, quem infra dicit esse (13), *quiddam imperfectum in genere prophetiæ.*

67. Per-

(1) S.Tho. 2. 2. qu.172. art.5. O.
(2) Id. ibid. qu.171. in proemio.
(3) Id. ibid. qu.178. art.1. O.
(4) S.Aug. in li.2. super Exod. qu.17.
(5) Id. li.2. de Gen. ad lit. c.17.
(6) Joa. ca.10. v.50.
(7) Genes. ca.49. v.2.
(8) 1. Reg. ca.9. v.9.
(9) Isai. ca. 1.
(10) Abd. ca.1.
(11) Nah. ca.1.
(12) S.Tho 2. 2. qu.173. ar.4. O.
(13) Id. ibid. ar. 5. O.

67. Perfecta autem prophetia suscipit magis & minus pro modo, quo cognitio ipsi essentialis acquiritur. Infimi gradus est, quæ cognitionem habet excitatam per impressionem factam in sensibus externis, quatenus Deus per suam potentiam obiicit sensibus objectum in re non existens, quod aliquando est merum symbolum alterius rei, cujus intelligentia donec divinitus non tribuitur, habetur solum ea quæ dicitur Visio: Revelatio autem, quoties hæc significatio cognoscitur: & Prophetia tandem, cum hoc ipsum aliis enunciatur. Visio fuit Ecstasis Apostoli, in qua (1) vidit linteum plenum animalibus omnis generis e Cælo descendens, & in Cælum iterum receptum, quin intelligeret quid significaret. Dum autem de hac cogitans audivit Cornelium & Gentiles, qui cum eo erant, missos ad se divinitus, ut eos Evangelium edoceret, jam novit linteum visum significare Gentium conversionem, jamque fuit revelatio, eaque prophetia evasit, quando hoc ipsum Cornelio enunciavit.

68. Magis perfecta prophetia habetur, in qua sit cognitio nata per solam commotionem sensuum internorum similem illis, qua de objectis olim per sensus usurpatis recordamur. Perfectissima prophetia est, in qua ea cognitio sit sine ministerio ullius sensus neque externi neque interni, cujusmodi fuit, quæ commemoratur ab Apostolo, ut suse exponit S. Augustinus (2), quando (3) *raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; Nam profitetur se nescire essetne in corpore an extra corpus, quod plane significat alterius generis cognitiones habuisse, quam quæ contingunt in statu unionis animæ cum corpore, dependentes a sensibus vel immediate vel mediate. Ratio autem hujusmodi gradationis est juxta S. Thomam, quia perfectior habetur ratio cognoscendi aliquam veritatem, quo magis appropinquat modo cognoscendi Beatorum, qui in Deo veritates conspiciunt: (4) *Inde est quod prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundum intellectualem veritatem est dignior, quam illa in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam visionem. Sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem a magistro nude prolatam capere potest, quam ille qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci*. Quare placent, qui nomine Paradisi, quem tertium Cælum paulo supra Paulus vocaverat, dicunt approbante eodem S. Doctore (5), venire cognitionem perfectissimam, quasi primum Cælum sit co-

(1) Act. ca.10.
(2) S.Aug. de Genes. ad lit. li.12. c.2.
(3) 2. ad Corinth. ca.12.
(4) S.Tho. 2.2. qu.174. ar.2. O.
(5) Id. ibid. qu.175. ar.3. ad 4.

cognitio per ſenſus externos, ſecundum cognitio per ſenſus ſolum internos, & tertium per ſolum intellectum.'

69. In hujuſmodi cognitionibus modo ſupernaturali habitis, quæ dum adſunt, impediunt apprehenſionem objectorum ſenſibilium aliis communem conſiſtit Ecſtaſis, quæ in Scriptura appellatur (1) *mentis exceſſus* & etiam *Spiritus*; Nam quod S. Joannes in Apocalypſi non ſemel (2) dicit ſe fuiſse in Spiritu, Interpretes notant ibi Spiritum eſse pro Ecſtaſi. Huic aliqui ſynonimum faciunt raptum: alii vero apud Lambertinum (3), hunc diſtinguunt ab Ecſtaſi tamquam ſpeciem a genere, volentes raptum ſignificare alienationem a ſenſibus conjunctam cum aliquo violento corporis motu, ut ejus elevatione aut volatu, qualem (4) *pluries*, inquit Brancatus, *vidi in Patre*, nunc per Decretum Clementis XIII. Sancto *Joſepho de Cupertino*, *qui anno* 1663 *die* 18. *Septem. obiit*, & alibi addit (5) *prima vice videns ejuſmodi factum ita obſtupui, ut & calorem vehementem in me ſenſerim excitatum, & capitis mei capillos obriguiſse, & per ſpatium aliquod temporis elanguerim præ ſtupore*. Qui ſic diſtinguunt raptum ab Ecſtaſi, habent pro ſe ipſam etimologiam; quare magis mihi videntur audiendi, quam illi qui in raptu genus, & in Ecſtaſi ſpeciem conſtituunt, raptum appellantes alienationem a ſenſibus a quacumque cauſsa veniat etiam naturali, ut meditatione vehementi alicujus rei: Ecſtaſim vero illam quæ venit a cauſa ſupernaturali, quæ mentem defigit in alicujus objecti contemplatione, ita ut aliquando Ecſtatici ne igne quidem admoto, aut ferro compuncti ad communes ſenſus revertantur.

70. Prophetiam eſſe, ut verbis utar Jamblichi (6) *opus Dei proprium agentis in nobis, nobis tunc a propria actione vacantibus*, ſcilicet vel intelligendi quod enunciatur, vel inquirendi verba, quibus enunciatur, ſi forte careat propheta ipſius cognitione, docet ipſa Scriptura, in qua legimus, quod Sapientia Dei (7) *prophetas conſtituit*: & apud Iſaiam (8) dicitur, *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*. Idem perſuadet hæc etiam obvia ratio, quod prophetia veniat neceſſe eſt a Deo, cui ſoli utpote infinito in omnibus perfectionibus præſens eſt omne tempus cum omnibus & ſingulis, quæ illud relate ad nos diſtinguunt. Idem tandem confirmat communis perſuaſio, quam habens præ oculis Huetius ſtatuit inter axiomata collocandam eſſe hanc

(1) Act. ca. 10. v. 10.
(2) Apoc. ca. 1. v. 10. Et ca. 4. v. 2.
(3) Lam. de Beatif. li. 3. ca. 49. nu. 3.
(4) Bran. de Mirac. nu 934 & 994.
(5) Id. ibid. nu. 971.
(6) Jam. de Myſteriis.
(7) Sap. ca. 7. v. 27.
(8) Iſa. ca. 41. v. 23.

hanc propositionem (1), *Omnis prophetica facultas a Deo est*.

71. Porro prophetiæ species sunt plures, de præteritis, de præsentibus tempore & loco, sed soli Deo notis, de præsentibus solo tempore, & de futuris non tamen necessariis, sed ut ajunt contingentibus. De præteritis observante S. Gregorio (2) exemplum habemus in Moyse scribente ipsam rerum Genesim. De præsentibus tempore & loco sed humanitus ignotis, in Petro, dum respondit Christo, (3) *Tu es Christus filius Dei vivi*, quod ex ipsius Christi testimonio illi *revelavit Pater qui in Cælo est*. De præsentibus solo tempore in Christo, quando palam fecit internas hominum cogitationes quæ locum non occupant, ut illam Pharisæi, qui videns mulierem, quæ pedes Jesu apud se manducantis lacrymis rigabat, (4) *ait intra se, Hic si esset propheta sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum*: Et in Eliseo, qui novit, quæ Giezi ejus servus accipiebat munera a Naaman Syro. De futuris in iis, quæ Jacob (5) morti proximus per allegorias atque ænigmata annunciavit singulis filiis eventura. De omnibus simul speciebus in Cantico Beatissimæ Virginis *Magnificat*, & in verbis, quibus Mater Præcursoris S. Elisabeth ipsam Virginem se invisentem allocuta est. Cum enim (6) *repleta Spiritu Sancto dixit, Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me*, manifestat præsentia, Virginem esse Matrem Redemptoris, quem actu in alvo gestat: & prosequens, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino* producit præterita & futura.

72. Observari potest cum S. Thoma, quod (7) cum prophetia ex vi vocabuli sit de iis, quæ procul sunt a cognitione nostra, *ad prophetiam propriissime pertinet revelatio futurorum contingentium, quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non sunt cognoscibilia*, quæ ratio locum non habet in præteritis & præsentibus.

AR-

(1) Hue. Demonst. Evang. axiom.4.
(2) S.Greg. hom.1. in Ezech.
(3) Matth ca.16. v.16.
(4) Luc. ca.7. v.39.
(5) Genes. ca.49.
(6) Luc. ca.1.
(7) S.Tho. 2. 2. qu.71. ar.3. O.

Articulus XIII.

De Gratia discretionis spirituum, linguarum & interpretationis.

73. SEptima species Gratiæ gratis datæ est *discretio Spirituum*, hoc est illustratio mentis, qua statim sine discursu & sine errore cognoscitur Divinane sit an humana, an Diabolica aliqua cogitatio aut doctrina sive nostra sive aliorum, de qua dubium intervenit. Hujusmodi dubium in apparitionibus & revelationibus, quæ sunt de objecto bono frequens est, & S. Augustinus docet esse (1) *discretionem sane difficillimam, cum Spiritus malignus transfigurat se in Angelum lucis ad hoc, ut cum illi in manifestis bonis creditum fuerit, educat ad sua.*

74. Hæc gratia differt a discretione spirituum naturali, quia hæc errori subjicitur & incertitudini, nec sine labore ac studio acquiritur, atque hæc est quam Theologi mystici completis tractatibus conantur docere. Habet Ecclesia Christi quovis tempore, qui hujusmodi gratuita discretione spirituum donantur, ne Fideles decipiantur ab iis, qui identidem erumpunt (2) *operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum; ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Utinam istos consulant, qui iis pro circumstantiis indigeant, vel per humiles ad Deum supplicationes hanc sibi discretionem pro re nata impetrent. Quo spectat S. Joannis admonitio, (3) *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in Mundum.*

75. Octava species est *genera linguarum*, hoc est loqui diversas linguas, quas numquam humano studio quis didicit, & loqui unam determinatam linguam, quam intelligant homines diversarum linguarum. Utrumque venire sub hac gratiæ specie probatur ex iis, quæ in Scriptura habemus. Primum de facultate loquendi diversas linguas divinitus infusa constat ex Actis, ubi dicitur (4) *Repleti sunt Spiritu S. & coeperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*: & deducitur etiam ex eo, quod oportuit ut Apostoli non solum alloquerentur alios diversarum linguarum, sed cum iis etiam colloquerentur. Dubitatum autem est an hæc scientia, atque facilitas loquendi diversas linguas fuerit in Apostolis per totam vitam permanens, & affirmativam partem sequutus est Car-

(1) S. Aug. de Genes. ad lit. li. 12. c. 13.
(2) 2. Corinth. ca. 11. v. 13.
(3) 1. Joan. ca. 4. v. 1.
(4) Act. ca. 2.

Carpovius (1) contra Salmasium, qui negativae adhaesit. Secundum de intelligentia unius linguae apud Auditores diversarum linguarum colligitur ex concione, quam S. Petrus in die Pentecostes habuit de Christi Dni mysteriis a Prophetis praenunciatis apud homines linguarum forte septemdecim, quoniam Acta mentionem faciunt de incolis totidem provinciarum, qui huic concioni aderant, & professi sunt Petri linguam optime a se intellectam, cum admirantes dixerint, *quomodo audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus*.

76. Alterutra gratia vel utraque colligitur concessa Virgini Beatissimae ex colloquio, quod habuit cum Magis, qui Christum natum adoraverunt. Eadem tempore Apostolorum erat quasi communis tessera collata iis, qui Fidem Christi amplecterentur. Nam in concione, quam Petrus habuit in domo Cornelii Centurionis coram ipso, & ad hunc finem (2) *convocatis cognatis suis & necessariis amicis*, cum omnes crederent in Christum, (3) *adhuc loquente Petro cecidit Spiritus S. super omnes: & obstupuerunt ex circumcisione fideles; audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*. Quare Petrus confestim (4) *jussit eos baptizari*. Et de iis, qui in Jesum Ephesi crediderunt edocti a Paulo, scriptum est, (5) *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. & loquebantur linguis*.

77. Qui objiciant, quod aliena lingua alicujus auribus resonet tamquam propria, est gratia, quae fit audienti non loquenti: ergo haec gratia *genera linguarum* non admittit hujusmodi explicationem.

Resp. *Conc. ans, & nego conseqm*; Nam haec gratia *genera linguarum* sumpta etiam quantum ad perceptionem aliorum, qui sunt diversae linguae ab ea, quam quis loquitur, in quo ex dictis non habetur nisi pars quaedam notionis hujus gratiae, non consistit in eo, quod quis audiat suam linguam, dum alius loquitur alienam, sed in eo, quod loquens alienam efficiat ut audientes intelligant se ipsum quasi loquentem propriam ipsorum linguam. Objectio non differt ab illa, quae diceret, sanitas est gratia, quae fit aegroto: ergo gratia sanitatum non potest dici de iis, per quos fiat sanitas, sed de iis in quibus fiat. In utraque argumentatione patet aequivocum in nomine gratiae, quod sumitur in sensu passivo, quatenus respicit subjectum cui miraculum beneficii confertur, quando deberet sumi in sensu activo, quatenus appellat ad causam, quae confert admirabile beneficium.

E 78. No-

(1) Car. de perfect. ling. §. 37.
(2) Act. 10. v. 24.
(3) Ibid. v. 44.
(4) Ibid. v. 48.
(5) Ibid. c. 19. v. 5.

78. Nona & ultima ſpecies eſt *Interpretatio ſermonum*, hoc eſt declaratio ſenſus in ſermone aliquo divino, qui minus apertus eſt. Exemplum hujus gratiæ habemus in interpretatione Scripturæ, quam diſcipuli euntes in Emmaus acceperunt ab ipſomet Chriſto Dno, quem nondum agnoverant, qui (1) *incipiens a Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant*.



PARS

(1) Luc. ca. 24. v. 27.

PARS II.

De Essentia Miraculi.

PROPOSITIO.

Ad essentiam miraculi pertinent quatuor, sensibilitas effectus, impotentia ad illum efficiendum in omnibus caussis creatis, ea ipsius supernaturalitas, quæ non supponat media ad illum habendum ordinaria, & finis ad Divina conducens.

ARTICULUS I.

Argumenta pro tota propositione.

79. Ropositio postquam probata fuerit, planum erit bonam esse definitionem miraculi supra (§. 1.) traditam. Igitur probatur ex regulis discernendi vera miracula a fictis vel falsis, quæ solent ab Auctoribus proponi, quandoquidem ipsæ tandem dicunt ordinem ad singulas propositionis partes, ut ex earumdem expositione quivis intelliget.

80. Prima itaque regula, quæ assignatur ad dignoscendum an aliquis effectus sit miraculum, est acquirere certitudinem de duobus, quæ dicuntur extrema miraculi, & sunt defectus præcedens rei, quæ asseritur facta per miraculum, & positio ipsius rei illi defectui opposita. Ita si agitur de cæco illuminato, debet constare tum de defectu antecedente visionis, tum de facultate videndi, quæ huic defectui supervenerit. Quod si non solum contendatur miraculum factum esse, sed factum ab uno definite ex cælitibus, tunc opus est constet etiam de invocatione seu precibus ad eum directis, quæ invocatio appellatur etiam medium miraculi, quia media est inter utrumque ipsius extremum, & etiam quia habet rationem medii ad existentiam secundi extremi. Quare ex hac regula manifestum est Authores requirere ad rationem miraculi, ut sit quid nobis sensibile.

81. Altera regula est acquirere certitudinem de impotentia caussarum naturalium ad illud efficiendum, de quo agitur: quod ut patet est inquirere an effectus habeat quod principaliter est de essentia miraculi. In hac inquisitione consistit Relevantia ut ajunt

miraculi, nomen forense passim usitatum in caussis Sanctorum; Eam enim Brancatus definit (1) *rationem miraculi. quod scilicet non potuerit a natura vel arte aut Dæmone provenire. Et hac dicitur probatio negativa coarctata, idest excludentis omnem aliam caussam, & restringentis ad supernaturalem caussam*. Atque qui distinctius de Relevantia agunt, quod inferius ipse etiam aliquo modo faciam, inter alia quæ dicunt ad eam postulari, unum est, quod non habeatur per media ordinaria id, de quo quæritur an sit miraculum: alterum quod deducat ad cultum Dei, idque solet apparere tum ex ipsius immediata vel mediata invocatione, tum ex fine propter quem miraculum petitur. Atque in hac secunda regula palam elucet, quod erat probandum, Authores postulare ad rationem miraculi præter sensibilitatem effectus etiam impotentiam totius naturæ creatæ ad ejus efficientiam, & eam supernaturalitatis speciem, quæ excludit media ordinaria, & tandem apparentiam finis deducentis ad Divina.

ARTICULUS II.

Argumenta particularia pro prima propositionis parte.

82. PRima pars, miraculum debere esse effectum aliquo modo sensibilem, probatur. I. quia aliter omnes effectus supernaturales, ut Unio hypostatica, hoc est Unio Personæ Verbi Divini cum natura humana, Transubstantiatio Eucharistica, Modus existendi Corporis Christi sub speciebus panis & vini, Justificatio pœnitentis, Glorificatio Justi, Gratia Divina, sine qua imbecilles sumus ad opera meritoria vitæ æternæ, dicenda essent miracula: quod est alienum a communi sensu & modo loquendi: ergo ad rationem miraculi requiritur ut sit aliquid sensibile. Non est tamen necessarium, ut illud sit sensibile secundum se, sed satis est, ut vel per effectus reddatur sensibile. Itaque S. Thomas miraculosam dicit fuisse scientiam Apostolorum, quia (2) *quamvis secundum se non fuerit manifestata, manifestatur tamen in effectibus*. Idem loquens de Justificatione, illam Pauli miraculosam dicit, quia (3) tam vehementer Deus ejus animam movit, ut statim quamdam perfectionem justitiæ fuerit assequutus, *adhibita etiam exterius miraculosa prostratione, & ideo conversio Pauli tamquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebranter.*

83. II. Probatur ex eo quod aperte scriptum sit de gratiis gratis

(1) Bran. de Mirac. n.1064.
(2) S.Tho. 1. p. qu.105. ar.7. ad 3.
(3) Id. 1. 2. qu.113. ar.10. O.

tis datis, ſpecie miraculorum quod ſit (1) *manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*: ergo quid ſenſibile.

III. Probatur ex cauſis finalibus miraculorum. Hæ enim, ut inferius demonſtrabitur ſunt Gloria Dei, Comprobatio alicujus veritatis præſertim ſi ſit ſupra rationem humanam, cujuſmodi ſunt in myſteriis Chriſtianæ Religionis, commendatio probitatis alicujus hominis adhuc viventis, vel jam defuncti, noſtra demum utilitas aliqua vel ſpiritualis vel corporalis: Sed hi fines non poſſunt a nobis obtineri niſi illorum effectus, miracula, ſint ſenſibiles: ergo.

84. IV. Probatur ex uſu Authorum. Sic Richeome (2) in definitione miraculi ponit ex communi Theologorum doctrina illud eſſe effectum evidentem. Satis ſit pro omnibus Theologis S. Thomas, qui hanc propoſitionem, Deus facit miracula ſic circumſcribit, Deus (3) *opera viſibiliter oſtendit, quæ totius naturæ ſuperant facultatem*. Theologis addo Canoniſtas, qui ad rationem miraculi præter alia requirunt, *quod non fiat ex vi verborum*, uti ſit *Tranſubſtantiatio in Euchariſtia*, ut habet Lambertinus, qui multos ſic docentes citat (4). Quod autem ipſe ibidem dubitet, an bene Canoniſtæ excluſerint Euchariſtiam a miraculis, & contendat legitime ſe hanc dubitationem fovere, hoc ſolum demonſtrat fruſtra apud ipſum requiri diſtinctam miraculi notionem, ad quam non pertinent effectus non ſenſibiles, qualis non eſt ea tranſubſtantiatio, nec qui ſint infallibiles poſitis mediis a Chriſto Dn. ad illos habendos inſtitutis. Ceterum ad conſenſum circa attributum ſenſibilitatis in definitione miraculi neceſſarium impellit ipſa etimologia, quam S. Thomas profert citato nuper loco, & alibi dicens (5) miraculi nomen a mirando nomen ſumere, admirationem autem conſurgere, cum effectus ſunt manifeſti, & cauſa occulta, quæ in miraculis occultiſſima eſt omnibus creaturis, quia ut jam dicam, alia non eſt niſi Deus, cujus modus operandi eſt remotiſſimus ab omni creaturarum intelligentia.

85. Propter defectum hujus primi attributi, quod intelligi debet de ſenſibilitate non relate ad unum, & quaſi privata, ſed relate ad plures, & quaſi communi, credo equidem Card. Bellarminum interrogatum an pro miraculo haberi deberet liberatio ab impura tentatione, cui per annum cum dimidio ita obnoxius fuerat Sacerdos quidam, ut amentiæ ac deſperationi quotidie proximus Confeſſario videretur, ſimul ac collo ſuſpendit reliquiam B. Aloyſii Gonzagæ, reſpondiſſe, *Neſcio an proprie appellari poſſit miraculum, ſed*

(1) 1 Corinth. ca. 12.
(2) Ric. De. mirac. ca. 2. nu 5.
(3) S. Tho. contr. Gent. li. 3. ca 76.
(4) Lam. ubi ſupra. ca. 4. nu. 6.
(5) S. Tho. de poten. qu 6. ar. 2. O.

sed nullus dubito illud testificari sanctitatem, & gloriam Beati Aloysii, non secus ac quodvis verissimum miraculum: eodemque modo respondit ad similem effectum de intento per quinquiennium mulieris amore in adulterum repente extirpato ad votum eidem Beato nuncupatum. Utraque historia habetur in Summario Caussae Canonizationis B. Aloysii edito Romae ann. 1721. (1), & primam retulit etiam Lambertinus (2). Qui de his & similibus differentes statuerunt ea esse vere & propria miracula, fortasse habuerunt prae oculis sensibilitatem non solum experimentalem subjectorum, in quibus ea acciderunt, sed eam etiam, quam aliis modis habere potuerunt eorum familiares, & maxime Confessarii.

Articulus III.

Argumentum pro secunda propositionis parte.

86. Secunda pars, scilicet ratio miraculi requirit impotentiam in quibusvis creatis caussis ad illud praestandum probatur, quia haec miraculi nota communiter recepta est ab Auctoribus. Richardus a S. Victore apud S. Thomam (3) dicit miraculum esse opus Creatoris manifestativum Divinae Virtutis. Ipsius S. Thomae sententia est quod (4) *ex hoc aliquid dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae: hoc autem non potest facere nisi Deus, quia quicquid facit Angelus, vel quaecumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturae creatae, & sic non est miraculum.* Clarius etiam alibi dicit (5) *Miraculum proprie dicitur, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae, sub quo ordine continetur omnis virtus creata.* Idem eandem notam ex aliorum etiam mente non semel proposuit, (6) *Aliqui*, inquit, *miraculum dicunt, quod est arduum, & insolitum praeter facultatem naturae, & spem admirantis proveniens*, quod paulo infra sic explicat, *arduum quia excedit facultatem naturae: insolitum non quia frequenter non eveniat, sed quia est praeter naturalem consuetudinem: praeter facultatem naturae non solum propter substantiam facti, sed etiam propter modum & ordinem faciendi: supra spem tandem naturae, non supra spem gratiae, quae est ex fide; Nam per fidem credimus & speramus resurrectionem mortuorum.* Quae definitio jure dicitur desumpta ex Augustino,

(1) Summ. nu. 749. & 798.
(2) Lam. ubi supra l. 4. c. 28. n. 1.
(3) S. Tho. de Potent. qu. 6. ar. 2. O.
(4) Id. 1. par. qu. 110. art. 4.
(5) Id. ibid. qu. 114. ar. 4. O.
(6) Id. 1. pa. qu. 105. art. 7. ad 2. Et de Potent. qu. 6. ar. 2. & 10.

no, qui illam sæpius adhibet (1), quin tamen recepta sit, tum quia minus claram esse suadent variæ objectiones a S. Thoma solutæ: tum quia aliud non enunciat, quam ad rationem miraculi requiri impotentiam creaturæ cujusvis ad illud præstandum. Quod propter hoc ipsum, quod tantopere inculcet hujusmodi impotentiam, ipsa fuit commemoranda, utpote confirmans hujusmodi impotentiam ad notionem miraculi pertinere.

87. Idem confirmatur etiam ex eo, quod passim occurrit apud Auctores miraculum non aliter definiri seu explicari, quam per hoc unicum attributum. Bellarmini sunt hæc; (2) *Dicitur miraculum, quod superat vires omnium creaturarum*. Et alibi, (3) *Vera miracula dicuntur illa, quæ a solo Deo fieri possunt, idest, quæ non habent caussas naturales, neque occultas neque manifestas, & ideo non solum in conspectu hominum, sed etiam Dæmonum & Angelorum sunt mirabilia*. Card. Pallavicinus, (4) *Miraculum*, inquit, *quatenus idem valet ac supernaturale est illud, quod est admirabile omnibus creaturis intellectualibus propter sublimitatem suæ caussæ omnium captum excedentis*. Similia habent Pererius (5), Cornelius a Lapide (6), Sylvester Petrasancta (7), Antoine (8), & auctor E. W (9), qui contra Stillingfleetum miracula propugnavit. Hujusmodi auctorum consensus circa secundam hanc miraculi notam ortus est ex scripturæ loquutionibus sæpius repetitis, quas inferius referam, in quibus proprium solius Dei dicitur esse facere miracula.

88. I. Objicitur. Supra naturalem facultatem cujuscumque spiritus creati tam boni quam mali non est, quod se exibeant conspiciendos in corporibus assumptis, ut accidit Christo Dno, quando ad eum (10) *Accessit tentator*, quem inquit Maldonatus, *omnes Auctores forma corporea eaque humana accessisse putant*: & sine ulla controversia accidit Tobiæ. Nec supra eorumdem facultatem est, brevi exercitum quantumvis magnum occidere, ut factum est cum illo Sennacherib. S. Thomas (11) virtuti Angelorum naturali tribuit cæcitatem improvisam Sodomitarum, qui (12) ostium domus Lot non potuerunt invenire. Idem docet Cornelius a Lapide de igne,

(1) S. Aug. de Utilit creden. ca. 16. Et de Trin. li. 3. ca. 5. Et tract. 8. in Joann.
(2) Bell. de Notis Eccles. li. 4. ca. 14.
(3) Id. de Rom. Pontif. l. 3. ca. 15.
(4) Pall. in 1. 2. dist. 2. q. 2. ar. 2. n. 6.
(5) Per. dis. 5. in Exod. ca. 7. nu. 36.
(6) A Lap. in Exod. ca. 7. v. 11.
(7) Petr. Thaumasiæ tom. 1.
(8) Ant. Theol. Mor. tr. de Virt. Rel. ca. 5.
(9) E discou. of miracl. ca. 1.
(10) Matt. ca. 4. v. 3.
(11) S. Tho. 1. par. qu 111. ar. 3.
(12) Genes. ca. 19.

igne, qui oblationes Gedeonis (1), & illas parentum Samsonis consumsit, & de conservatione trium puerorum in ardenti fornace, & de verbis ab asina Baalam pronuntiatis (2). Idem dico de aliis sexcentis, quæ in Bibliis narrantur tamquam miracula, & ut talia communiter habentur: Ergo ad miraculi notionem non pertinet impotentia ad illius productionem, omnis creaturæ. sed solius creaturæ visibilis & corporeæ.

89. Resp. *dist. an.* Quæ objiciuntur non sunt supra facultatem spiritus creati quantum ad eorum substantiam *conc.* quantum ad eorum modum, *nego ans & conseqm.* Esse quoad modum miracula concluditur ex eo, quod certum est Angelos sive bonos sive malos non posse uti sua facultate in iis efficiendis, quæ consuetum naturæ ordinem, & politicam humani generis gubernationem variarent ac perturbarent. Est igitur in illorum natura facultas ad hos effectus tantummodo in abstracto, numquam vero in concreto, nisi accedente imperio Dei, aut ejus permissione, qui utpote auctor ordines naturalis aliter aliquando disponat. Responsio confirmatur authoritate S. Augustini, qui agens de alloquutione Diaboli ad Evam per serpentem (3) *animal*, ut scite idem notat, *lubricum & tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum*, docet quod (4) *cum Diabolus decipere cuperet, non potuit nisi per quod animal posse a Deo permissus est; nocendi enim cupiditas inest cuique a se, sed potestas a solo Deo est*, & loquens generaliter de apparitionibus dicit (5) *eas fieri credimus per dispensationem Providentiæ Dei*. Atque hanc doctrinam relate ad apparitiones mortuorum sic repetit S. Thomas, (6) *Quod mortui viventibus apparent qualitercumque, contingit per specialem Dei dispensationem, & est inter Divina miracula computandum*. Quibus expresse consentiunt plures apud Lambertinum (7) Doctores.

90. II. Objicitur. Ratio veri miraculi postulat, quod sit effectus, quem quantum ad substantiam, aut saltem quantum ad circumstantiam subjecti nulla creatura nec visibilis & corporea, nec invisibilis & incorporea possit efficere: sed omnia miracula, quæ dicuntur tertii generis seu gradus, boni aut mali Angeli efficere possunt quantum ad substantiam & subjectum, ut constat ex ipsorum definitione, & ex ipsomet nomine, quo appellantur miracula non absolute, sed quoad modum: ergo omnia miracula quæ dicuntur tertii gradus non sunt vera miracula. Confirmatur, quia teste

(1) Levit ca.6. v.21. & ca.13. v.18.
(2) Num. ca.22. v.28.
(3) S.Aug. de Civit. li.14. ca.10.
(4) Id. de Genes. ad lit. li.11. ca.3.
(5) Id de Cura pro mortuis ca.15.
(6) S.Tho. 1. p. qu.89. art.8.
(7) Lam. ubi supra ca.32. nu.12. & 13.

teste Castellino (1), & post ipsum Pignatello (2) Sedes Apostolica non decernit Canonizationem, si inter miracula, quae approbantur, non sit aliquod primi vel secundi gradus.

91. Resp. *nego maj.* quia non complectitur distinctionem completam, quae juxta communem Doctorum consensum in veris & rigorosis miraculis includit etiam effectus, qui quantum dumtaxat ad modum sunt extra facultatem omnis creaturae. At dicebatur in confirmatione falso assumi hunc consensum, cum sint Auctores, qui proferunt consuetudinem in contrarium Sedis Apostolicae. Resp. cum Lambertino (3) citatos Auctores *deceptos fuisse*. Qui enim consulat collectionem Bullarum Pontificum, passim inveniet in iis, quae sunt de Canonizatione alicujus Sancti approbata miracula, quae non sunt nisi tertii gradus. Numquam igitur fuit hujusmodi consuetudo, nec esse poterit, tum quia miraculum sine controversia est in eo, quod hic & nunc constat a nulla creatura fieri potuisse, tum quia si ideo introduceretur ea consuetudo, quia fieri posset, ut quod dicitur miraculum tertii gradus esset effectus alicujus invisibilis creaturae, jam multa miracula etiam primi gradus excludi deberent a causis Canonizationis. Ita quoniam fieri potest, ut aliunde per velocitatem agendi propriam spiritibus sit deportata res, quae dicitur multiplicata, vel transmutata, non esset unquam de his miraculis in hujusmodi causis loquendum.

ARTICULUS IV.

Argumentum pro tertia propositionis parte.

92. Tertia pars, quod ad rationem miraculi requiratur ut effectus sit ita supernaturalis, ut non habeatur per media, quae sint ad illos obtinendos ordinaria, probatur, quia si sola effectus sensibilitas, & impotentia omnium creaturarum ad illum efficiendum sufficeret ad rationem miraculi, multa dicenda essent miracula, quae apud omnes ita habentur pro effectibus naturalibus, ut eorum intuitu Deus dicatur Auctor naturae & ordinis naturalis, non vero Auctor gratiae & ordinis supernaturalis. Cujusmodi sunt creatio animarum quotidiana, primariae affectiones materiae, motus primitus impressus materiae, & perpetuo conservatus, qui juxta Cartesianos est fons omnium effectuum naturalium, vel leges mutuae attractionis inter materiae partes, quibus Neutoniani primas tribuunt in omnibus, quae videmus contingere in

(1) Cast. de dilatio. Canoniz.
(2) Pign. Consult. 26. nu. 7. to. 5.
(3) Lamb. ubi alias ca. 6. n. 5.

in rebus materialibus, & quæ quotidie cuique obvia sunt, productio novorum fructuum, & generatio hominum, de quibus dicebat S. Augustinus, (1) *siquis consideret vim unius grani cujuslibet seminis, magna res est & horror consideranti... Mortuus resurrexit, mirati sunt homines: quotidie tot nascuntur, & nemo miratur. Si consideremus prudentius majoris miraculi est esse, qui non erat, quam reviviscere qui erat*. Hæc omnia constat solum Deum efficere & efficere posse, attamen miracula proprie non sunt.

93. Præterea malorum spirituum, qui homines obsideant, manifestatio per operationes sensibiles, quæ ab ipsis exigantur supra vires humanas, & præter id quod per naturam rerum materialium fieri novimus, sanatio a morbis, quorum iidem sunt caussæ, & ipsorum tandem expulsio per exorcismos ab Ecclesia approbatos, quos prævia Superiorum licentia seu jussione ii exerceant, qui in Hierarchia Ecclesiastica habent Ordinem non solum Exorcistatus, sed etiam Sacerdotii, non habentur pro miraculis a Theologis, inter quos exprefse sunt Brancatus (2), Calmet (3), & Lambertinus (4), qui improbat Bordonum, qui contrarium visus est sentire, & nuper Anonymus, qui pro Jo: Josepho Gassnero, hac nostra ætate exorcista per totam Europam, maxime vero per Germaniam, in qua vivit celeberrimo, edidit Augustæ Vindelicorum anno 1775., Demonstrationem de Conformitate cum principiis evangelicis, & sensu, & praxi Ecclesiæ in methodo prædicti Gassnerii medendi affectos vario morborum genere. Hujus opusculum placuit nominare, non quia sint extra controversiam, quæ de hoc Gassnerio narrantur: sed quia opusculi auctor egregie ibidem probat existentiam malorum spirituum, eorumque vim ex Dei permissione nocendi animis & corporibus hominum etiam post completam Redemptionem contra quosvis adversarios, qui si hæc non videant, somnia credunt & illusiones, vel si videant, aut sibi ipsi non credunt, aut vanis torquentur meditationibus, ut hæc aliter explicent, quam per malos spiritus in corporibus humanis inhabitantes, in quo suam jam profitentur vel impietatem vel ignorantiam vel audaciam, qui vel nesciant, vel contemnant, quæ de multis Dæmoniacis referunt Sacræ Literæ, & quæ in utroque Jure habentur contra maleficos Leges & Constitutiones. Sed plura contra istos dabunt Theophylus Raynaudus in Libro, quem morte intercedente imperfectum reliquit, cui titulus *Angelus malus hominem colaphizans* (5) a Lambertino (6) laudatum, & Calmet in Disser-

(1) S. Aug. in Evang. Joan. tr. 8.
(2) Branc. de Mirac. nu 125.
(3) Cal. Diss. de obsident. Dæmon.
(4) Lamb. ubi alias ca. 29. nu. 10.
(5) Ray. Oper. tom. 9.
(6) Lamb. ubi alias ca. 29. nu. 3.

Dissertatione *De obsidentibus & possidentibus corpora Dæmonibus*, & nuper Joseph Benvenutus in simili Dissertatione Lucæ edita anno 1775. apud Ephemerides Literarias Romanas (1). Vulgus ipsum in liberatione a Dæmoniis per Exorcistas non agnoscit nisi vim potestatis ordinariæ, quam ad hunc effectum novit Christum Ecclesiæ suæ concessisse, quæ siquando careat effectu, persuasum eidem est hoc accidere vel ob defectum fidei in Ministro aut in Energumeno, vel ob hujus crimina, vel ob alias caussas Deo notas.

94. Confirmatur hæc pars I. ex S. Augustino, qui ubi contractiorem sequitur miraculi notionem, alia ampliori (n. 21.) relicta, ponit in ea ut sit supra spem mirantis (2) *Miraculum*, inquit, *voco quicquid arduum aut insolitum supra spem aut facultatem mirantis apparet*; Quod enim ne cadit quidem in mentem hominis, profecto insolitum est, & supra ipsius spem. II. ex Theologorum authoritate, ut Suarez, qui statuens (3) *de ratione miraculi esse ut caussa effectus sit per se occulta*, dicit, *per se occultam voco, quæ ita excedit naturales caussas, ut per se etiam superet naturalem cognitionem intellectus*. Huc spectant illi ut Martinus del Rio (4), & Leonardus Coquæus (5), qui ad notionem miraculi dicunt pertinere non solum, quod effectus productus sit supra, sed etiam præter naturæ creatæ vires, quod hic satis opportune explicabitur cum citato supra (n. 43.) Pallavicino citra ullam exigentiam naturæ, quemadmodum multi expresse dicunt apud Aegidium Coninck (6).

95. Confirmatur iterum ex communi Doctorum sententia, quæ a supernaturalibus excludit quæcumque intelligantur exigi a rerum particularium naturis, quatenus sunt earumdem necessariæ consequentiæ. Hoc pacto immortalitas animæ nostræ, prout est incapacitas dissolutionis statuitur a Philosophis esse naturalis animæ proprietas, quia infertur ex demonstrata ipsius spiritualitate: Contrario modo immortalitas ex parte etiam corporis in homine concluditur supernaturalis, quia tantum abest ut ea inferatur ex data corporis nostri compositione, quin potius ex ea infertur oppositum, quemadmodum confirmat damnatio Bajanæ propositionis 78; *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*. Similiter hominem posse operari actus virtutum moralium, sed non conducentes ad vitam in æternum beatam est illi naturale, cum id ex ipsius rationali natura legitime inferri demonstrent

(1) Efem. an.1776. nu.36. art. Lucca.
(2) S Aug. de Utilit. cred. cap.16.
(3) Sua. de Angel. li.4. ca.39. nu.8.
(4) Rio. Disq. Magi. li.2. qu 7.
(5) Coq. in notis ad li.18. S. Aug. de Civit. ca.18.
(6) Con. de Moralit. disp.4. de actu supernat. dub.1. nu.3.

ſtrent Ethici ut Conimbricenſes (1): at hominem poſſe operari actus conducentes ad ſalutem, concluſum eſt ab Eccleſia Catholica non eſse naturale contra Pelagium, Lutherum, & Bajum: & hominem ipſum pervenire ad Beatitatem, in qua potiatur viſione Dei, probat S. Thomas (2) eſſe quid ſupernaturale, quia hujuſmodi viſio indebita eſt naturæ rationali creatæ.

ARTICULUS V.

Argumenta pro quarta propoſitionis parte.

96. QUarta pars rationem miraculi poſtulare apparentem ad Divina ordinationem, probatur. I. quia Scriptura ſæpe inſinuat deductionem ad cognitionem Dei eſſe characterem miraculi. En aliqua teſtimonia. Deus prædicens Moyſi facturum miracula in Aegypto, quæ narraret nepotibus, addit (3) *Sciatis quia ego Dominus*. In Pſalmis hæc ipſa miracula per Moyſem & Aaron patrata vocantur Verba Divina, quatenus Dei voluntatem Aegyptiis manifeſtabant (4) *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum & prodigiorum*. De Chriſto Dn. dicitur quod per miraculum tranſmutationis aquæ in vinum (5) *manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus*. De Gratiis gratis datis ſpecie miraculorum Apoſtolus exprimit tamquam ipſarum attributum, quod ſint (6) *manifeſtatio ſpiritus*, ideſt virtutis Divinæ. Chriſtus ipſe dum Lazarum quatriduanum ad vitam revocaret, ter teſtatus eſt ſe id facere (7) *pro gloria Dei*. Idem diſcipulis miſſis a Joanne, ut ipſum interrogarent, an eſſet Meſſias, reſpondit, (8) *Euntes renunciate, quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, mortui reſurgunt*, ex quibus cum hæc olim prædixerint Prophetæ Meſſiam facturum, voluit intelligi a Joanne, quis eſſet.

97. II. Probatur, quia excluſa a ratione miraculi manifeſta ad Deum ordinatione non ſupereſt nobis ratio expedita dignoſcendi miracula vera a falſis, hoc eſt ab effectibus in ſe quidem naturalibus, ſed admirabilibus, quia vel perquam raro contingunt, vel dependent ab arte & induſtria non vulgari, vel a vi creaturæ inviſibilis & corporeæ, cujuſmodi ſunt Dæmones, de quibus S. Auguſtinus dicit, (9) *Quid poſſint per naturam; & quid per ipſius naturæ ſuæ*

(1) Coni. in li. Ethic. diſ.7. qu.3.ar.1.
(2) S.Tho. 1. pa. qu.12. ar.4.
(3) Exod. ca.10. v.2.
(4) Pſal.104. v.6.
(5) Joan. ca.2. v.11.
(6) 1. Corinth.12.
(7) Joan. ca.11. v.4. & 40. & 42.
(8) Matt. ca.11. v.4.
(9) S.Aug. de Trin. li.3. ca.9.

suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile. Et S. Thomas dicit, (1) *tempore Antichristi Diaboli potestatem solvendam, in quantum multa facere permittentur, quæ modo non permittuntur.* Assumptum magis etiam sic declaratur.

98. Imprimis qui de hoc miraculi charactere non curant, negligunt etiam, quin immo & condemnant distinctionem miraculorum in vera & falsa, quam cæteroqui ipsæ Sacræ Literæ adhibent. Testem appello Samuelem Clarkem, qui absolute pronunciat (2) præter vim creandi non videre se, quod repugnet Deum suis creaturis posse aliam quamcumque vim participare: consequenter eos respuit, qui miraculum definiunt per effectum, qui a sola Dei Omnipotentia fieri potest, eosque multo magis, qui falsa dicunt miracula, quæ Spiritus nequam præstent ad aliorum deceptionem adhibentes ex permissione Dei vires sibi naturales, ut cum Simonem Magum in aera dicuntur rapuisse.

99. Præterea cum tam multi referantur a diuturnis & gravibus morbis repente convaluisse vel ex vi imaginationis, vel ex naturalibus caussis, quæ vim suam explicant ex insolitis circumstantiis, expedita regula judicandi hæc naturaliter contigisse habetur in defectu prædicti characteris eorum quæ miracula sunt.

100. Eadem de caussa nemo jam dubitat nullum esse miraculum in iis, quæ circulatores quotidie exhibent, quorum aliqua enumerans Vives dixit, (3) *nisi a tali hominum genere agerentur, pro miraculis qui caperent non deessent. Sunt qui credant sine Dæmoniaca vi non perfici: artis tamen sunt exercitatissimæ, quæ celeri motu atque agitatione defixum in res obtutum præstigiis frustratur,* quæ verba adhibuit deinde etiam Michael Medina (4). Per eamdem regulam quivis stans pede in uno negabit vera miracula esse, quæcumque mirabilia prædicitur facturus Antichristus, quorum aliqua definite commemorant Sacræ literæ, & alia plura nescio quo fundamento S. Hippolitus (5), suamque sententiam videbit approbari ab Apostolo, qui ea non aliter appellat quam (6) *prodigia mendacia*, nescias juxta Sanctum Augustinum (7), an quia apparenter tantum hæc faciet, an quia cum hæc per virtutem naturalem malorum Dæmonum exequetur, dicet facta a se esse virtute Divina: verosimiliter propter utramque caussam relate ad diversa, ut declarat Bellarminus (8) post SS. Ambrosium (9), & Hierony-

(1) S.Tho. de Poten. qu.6. art.6.
(2) Clar. Relig. Chret.ca.19. nu.2.
(3) Viv. in not. ad cap. 16. de Civit. S. Aug. li. 10.
(4) Med. Christ. Paræn. li.2. ca.7.
(5) S.Hipp. de Consumat. mundi.
(6) 2. ad Thessal. ca.2. v.9.
(7) S Aug. de Civit. li.20 ca.19.
(8) Bell. de Rom. Ponti. li 3. ca.15.
(9) S.Ambr. in Apoc. ca.13. Et in c.2 Epist.2. ad Thessa.

ronymum (1), Theodoretum (2), & S. Thomam (3).

101. Ejusdem fallacis generis per eamdem regulam statim cognoscuntur fuisse, quae malefici Pharaonis (4) fecerunt in Ægypto: Et quae Ovidii Metamorphoses complectantur: Et quae quidam referunt, si modo historias narrent, & non fabulas, ut quae teste S. Augustino (5) ferunt Gentilium libri de quadam Circe, quae Socios Ulissis mutavit in bestias, & de sacrificio oblato ab Arcadibus Deo suo Licaeo, ex quo quicumque sumerent in bestiarum formas convertebantur: Et quae leguntur in Decreto Gratiani (6) de mulieribus profitentibus se de nocte cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias: Et quae de Simone Mago leguntur apud Anastasium Nicaenum (7) Authorem saeculi septimi desumpta fortasse ex apocryphis Recognitionum libris S. Clementi Romano adscriptis, quod ille hominem ex aere formaverit, statuas animaverit, illaesus ab igne exierit, in ovem aut capram se commutaverit, invisibilem se reddiderit.

102. Non adhibita regula de conducentia miraculorum ad Deum, ut haec & similia negentur esse miracula opus erit longioribus ratiociniis, cujus modi sunt quae versantur circa efficaciam durationem utilitatem modum, aliasque regulas supra (n. 80.) stabilitas ad discrimen veri miraculi a falso, quemadmodum reipsa fecerunt Cornelius a Lapide (8), Pererius (9), del Rio (10), & Petrus Le Brun, qui cum primam faceret editionem anno 1702. suae *Historiae Superstitionum*, & in ipso titulo professus esset tradere se rationes & principia discernendi effectus supernaturales a naturalibus, opus dedit diffusum, quod usque ad quatuor tomos deinde auxit, ut habet ejusdem editio Italice reddita anno 1745. Et recentius Nonnote, ubi confutat quod Jo: Jacobus Rousseau in tertia ex suis *literis ex monte* digna Celso aut alio Christiani nominis osore statuerat non posse discerni miracula vera a falsis, ideoque nulla adhiberi posse pro ullius rei argumento. Haec Nonnote habet ad articulum *Miracula* sui *Dictionarii philosophici de religione*, quod anno 1772. protulit, & eo modo inscripsit, ut opponeret credo *Dictionario philosophico portatili* quod dicas de Incredulitate, cui Auctor, qui communiter creditur Voltaire, nomen non apposuit, ne poenas condemnationis subiret, quas opus hoc execrabile incurrit.

103. III. Pro-

(1) S. Hiero. ad Algasiam qu. 11.
(2) Theod. in 2. ad Thessal. ca. 2.
(3) S. Tho. 2. 2 qu. 173. ar 1. ad 2. Et de Potent. qu. 5. art. 5.
(4) Exod. ca. 7. nu. 11.
(5) S. Aug. de Civit. li. 18. ca. 17.
(6) Can. Episcopi 26. qu. 5.
(7) Ana. qu. 23.
(8) Lap. in Exod. ca. 7. v. 11.
(9) Per. Disp. 9. & 10. in ca. 7. Exod.
(10) Rio. Disq. Mag. li. 2. qu. 8.

103. III. Probatur quia hujuſmodi ordinationem ad Divina in miraculi notione apponunt Patres & Doctores. Ex Patribus occurrit Tertullianus, qui obſervat præmiſſas fuiſse prophetias de Divinitate Chriſti venturi, & de miraculis, quæ ad eam ſuadendam operaturus erat cum advenisset, quia ſicuti per has prophetias manifeſtatur, & certus redditur finis ſuorum miraculorum, ita per eaſdem, quatenus hunc finem manifeſtant, ipſius miracula concludunt & evincunt propoſitum, & pro veris miraculis agnoſcuntur. Aliter qui ſola miracula ſejunctim a prophetiis, adeoque a fine conſideraret, putat quod in Chriſtum credere ex ſufficienti ratione non poſſet. Ipſe enim Chriſtus, inquit (1) *edicens multos venturos & ſigna facturos, & virtutes magnas edituros, averſionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos, temerariam ſignorum & virtutum fidem oſtendit*. S. Auguſtini doctrina eſt, (2) *quæcumque miracula ita divinitus fieri, ut Dei unius cultum religionemque commendent*. Et infra jubet contemni omnia miracula tamquam falſa, quorum finis non eſt commendatio Dei, (3) *Quædam*, inquit, miracula gentilium *etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipſe quo diſcernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere; His enim non illis unus commendatur Deus*. Et quærens quonam modo, (4) *cum faciant Magi, qualia nonnumquam Servi Dei*, altera ab alteris diſcernantur, reſpondet, *Diverſo fine; Illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam, illi gloriam Dei*. S. Hieronymus ait, (5) *ideo ſigna fieri per Servos Dei apud barbaras nationes, ut unius Dei cultus & religio prædicetur*.

104 Ex Doctoribus occurrit ſtatim S. Thomas, qui (6) reddens rationem, quare Scriptura (7) diſtinguat gratiam ſanitatum ab operatione virtutum, docet non aliter diſtingui, quam ut ſpeciem quamdam a ſuo genere, aſſignans pro attributo gratiæ ſanitatum, *conferre homini beneficium ſanitatis corporalis, præter beneficium commune omnibus miraculis adducendi hominem in Dei notitiam*, adeoque per attributo generico in ratione miraculi aſſignat deductionem ad Divina. S. Thomam paſſim ſequuti ſunt alii Doctores. Horantius, qui fuit Oveti Epiſcopus contra Lutherum & Calvinum circa annum 1550. ſcribebat, (8) *Vana ſunt ea miracula, quæ non Dei ſed hominum gloriam ſpectant, ſicut & illa quibus nec innocentia aut juſtitia ſed ſcelus commendatur*, & infra (9) *fieri nullo condigno fine*, eſt

(1) Ter. li.3. con. Marcion. ca.3.
(2) S.Aug. de Civit. li.10. c.12.
(3) Id. ibid. ca.16.
(4) Id. li.83. qu.79.
(5) S.Hier. in ca.6. Dani.
(6) S.Tho. 2. 2. qu.178. art.1. ad 3.
(7) 1. Corinth ca.2. v.9.
(8) Hor. de Loc. theol. li.4. ca.9.
(9) Id. ibid. ca.10.

est inter notas, *quibus a veris miraculis distingui valeant* falsa. Michael Medina aperte pronunciat (1) *ubi neque honor Dei promovetur, neque credentium promovetur utilitas, divinam intercessisse virtutem non est credendum*. Maldonatus, (2) *Miraculorum*, inquit, *finis est, ut homines credant, & Gloria Dei manifestetur: Hinc de miraculis judicandum*. Justi Lipsii verba sunt, (3) *Non fallax est iste character, quod vera miracula ad verum & unum Deum ducunt*. Trevoltiani ubi rejiciunt regulam quamdam ab Anonymo propositam pro distinctione veri miraculi a falsis, concludunt (4) *bonitatem objecti vel doctrinæ, quæ enunciatur, & invocationem veri Dei esse duos characteres veri miraculi. Qui ad hos attendat expositus non est illusioni*, idemque alibi (5) repetunt. Idem requirunt Martinus del Rio (6), Anglus E. W (7), Vernetus (8), & Franciscius tum in suis *argumentis Religionis J. C. contra Spinositas*, tum in ejusdem religionis *Defensione contra Incredulos* apud Trevoltianos (9). Idem teste Auctore Historiæ Literariæ Italiæ (10) conatus est suadere P. Merlinus, & videri reipsa potest apud eosdem Trevoltianos in Epitoma hujus commentarii, & apud Alphonsum Nicolai (11), qui illum sequutus hanc notam vocat essentialem miraculo. Huc tandem confugit Samuel Clarke (12) tamquam ad certam normam, qua cognoscatur miraculum quod est a Deo, & id quod est a Creatura, quæ hominem superet in perfectione.

ARTICULUS VI.

De definitionibus miraculi quorumdam Anglorum.

105. EX assertis miraculi characteribus tamquam ex Lydio lapide dignosci poterit quam bonæ vel malæ sint definitiones, quas de miraculis aliqui satis nominati diversarum gentium Authores protulerunt, quarum aliquas incipiendo ab Anglis juvat examinare.

I. Locke in opusculo de miraculis, cujus Epitome habetur in Diario Sapientum miraculum definit, (13) *operationem sensibilem, quæ*

(1) Med. Christ. paræn. li 2. ca.8. sub finem.
(2) Mal. in Joan. ca.1. v.12.
(3) Lip. de Virgine Hallensi ca.5.
(4) Trev. ann.1756. ar 106. pag.2516.
(5) Ibid. ann.1753. art.123. pag. 3010. Et ann.1759. art.53. pag.1172.
(6) Ri. disq. mag. li 2. qu.7.
(7) E. disco. of mirac. ca.4. n.7.
(8) Ver. Verit. de la reli. sec.7.
(9) Tre ann.1751. art.117. pag. 2389. Et ann.1755. art.85. pag.1931.
(10) Sto. Vol.12. li.2. ca. 2. in not. ad nu. 5.
(11) Nic Lez. 7. su l' Esodo.
(12) Clar. Relig. Chret. ca.19. nu.6.
(13) Journ. des Sçav. ann.1708. ar.9.

quæ superat spectatorum captum, *& juxta illos est contra cursum naturæ*, *& accipitur tamquam operatio Divina*. Rejicitur. I. quia ita loquitur de impotentia creaturarum ad efficienda miracula, ut videatur loqui de impotentia etiam existimata, non autem de impotentia reali, quæ unice spectat ad notionem miraculi simpliciter. II. cum Hooke (1), quia juxta illam vera miracula non essent amplius miracula, si talia non haberentur a spectatoribus, & rursus fraudes ipsæ essent miracula, quoties a spectatoribus Divinæ Virtutis operationes crederentur: immo idem effectus esset simul miraculum & non esset, si diversa de eo judicia ferrentur a diversis spectatoribus. Concludam hanc definitionem esse talem, quæ a solis Incredulis videbatur expectanda.

106. Vidit ipse Locke suam definitionem subjici prædictis objectionibus, quibus inquit (2) *sufficit respondere nullius roboris esse* propter hoc argumentum: Objectiones factæ pertinent etiam ad illam definitionem satis communem, quæ dicit miraculum esse id, quod est supra leges juxta quas caussæ naturales operantur; Hoc enim posito nihil dici poterit esse miraculum, nisi id quod censeatur esse supra hujusmodi leges, & proinde quod dependet a spectatoribus, & iis, qui horum relationi credant: ergo prædictæ objectiones nullius roboris sunt. At respondetur I. *permitto ans*, *& nego conseqm*. Potior enim occurrit consequentia, ergo neutra definitio admitti debet. Resp. II. *nego ans*, ad cujus probationem negatur suppositum, quod ii, qui sapiunt, attendant judicium spectatorum de eo, quod aliquid sit vel non sit supra vires naturæ.

107. II. Guglielmus Kingius (3) *Miraculum*, inquit, *appello operationem Dei sensibilem*, *quæ contra naturam fit*, *& ex eo quod extra ordinem certum aut fixum accidit*, *Deum immediatam caussam & authorem probat*. Rejicitur, quia posita recepta distinctione de miraculis supra præter & contra naturam (n. 41.) non potest adprobari, quod notio miraculi limitetur ad ea, quæ sunt contra naturam. Mitto argumentum, quod contra eumdem urget Clarke (4) petitum ex obscuritate harum vocum *contra naturam*, quæ indigent prævia definitione, in quam non omnes consentiunt, cum ut idem advertit, aliqui opportunam protulerint, alii vero perquam absurdam, quemadmodum patet ex iis, qui male circa Divinam Providentiam philosophantur.

 108. III. Gu-

(1) Hoo. Princip. relig. tom. 2. dis. de Miracul. ca.1.

(2) Loc. Disc. sur le Miracl. to.1. Oeuvres divers.

(3) King. de Origi. mali ca. 5. sec 5. subsc. 4. nu.6.

(4) Cla. Relig. Chret ca.19. nu.3.

108. III. Gulielmus Fleetwodius definit miraculum eſse operationem Divinam contra curſum ordinarium naturæ, in ſua de Miraculis Diſſertatione, quæ non placuit Trevoltianis, qui ejuſdem epitomam concludunt dicentes (1) potuiſse eam etiam a Spinoſiſtis produci, cum ceteroqui profeſsus fuerit eamdem ſe contra ſimiles incredulos ſcripſiſse. Illa rejicitur tum quia contra eam militant rationes, quibus rejecta nuper eſt Kingiana, tum quia non meminit de ordinatione ſenſibili ad divina, quæ eſt nota eſsentialis miraculi. Ille quidem hanc conſulto neglexit, quia etiamſi admittat finem aliquem ſemper adeſse in miraculis, tenet tamen hunc aliquando nobis eſse incognitum. Atque hinc factum eſt ut miracula providentiæ vocaverit ea, quorum finem ſoli Deo cognitum reputavit, & quæ Sacra Scriptura ſatis aperte tribuit incantationibus magorum Pharaonis, ipſe tribuerit Deo, & ſtatuerit eſſe vera miracula: contra quam opinionem aliquid infra diſtinctius dicam.

109. IV. Warburton (2) miraculum definit actionem entis ſuperioris in aliquam partem rerum nobis ſenſibilium, per quam ipſæ acquirunt proprietates & directiones ab iis diverſas, quas novimus poſſe habere juxta leges materiæ & motus. Vernetus in ſuo Gallico tractatu de Veritate Religionis Chriſtianæ Sectione ſeptima apud Trevoltianos (3) ſimilem definitionem tribuens Lockio eamdem approbat. Auctor verior ipſius eſt Clarke (4), qui verum miraculum vult eſse quicquid fiat ab agente intellectuali, cujus natura perfectior ſit humana. Rejicitur, quia actio Angeli alicujus ſive boni ſive mali in materiam, qualis illa quæ apparuit per magos Pharaonis eſt actio entis ſuperioris, cui convenit quicquid dicit Warburton, quæ tamen non eſt miraculum.

110. V. David Hume, quem publicæ Ephemerides nunciant in Anglia mortuum elapſo anno 1776., agens de Miraculis in ſuo de his ſpecimine, quod cum aliis ejuſdem commentariis ad intellectum humanum pertinentibus Anglice Londini ter quod ſciam prodiit anno 1750., & 1753., & 1760., dicit (5) *Miraculum poteſt accurate definiri, tranſgreſſio alicujus legis naturæ per particularem voluntatem Dei, aut interpoſitionem alicujus inviſibilis agentis*. Rejicitur quia cum tranſgreſſio ſignificet culpabilem oppoſitionem legitimæ authoritati, hujuſmodi vocabulum non poteſt habere locum in miraculo, re quæ a ſolo Deo dependet. Niſi paullo ante, & non ſemel deinde (6) violationem dixiſset, quam nunc dicit tranſgreſſio-

(1) Trev. ann 1703. ar. 189. p. 1997.
(2) War. Julian.
(3) Trev. ann. 1747. ar. 128. p. 2474.
(4) Cla. Reli. Chret. ca. 19. nu. 6.
(5) Hum. Eſſai of Mirac. p. 1. in not.
(6) Id. ibid. pa. 2. ſub finem.

gressionem, credi poterat excidisse Auctori vocabulum transgressionis loco suspensionis, quo quidem modo liberaretur a nota incredulitatis vel impietatis, sed amitteret laudem accurationis in definiendo, quam sibi usurpat.

111. III. Contra illam præterea est falsa suppositio, quod aliquod invisibile agens, quod non sit Deus, possit vi sua physice suspendere aut transgredi leges naturæ. Ab hac tam vitiosa definitione miraculi tamquam ab ovo colubri erupit ipsius *Specimen de Miraculis*, de quo Georgius Campbell verissime professus est in ejus examine Anglice pariter edito anno 1762., & iterum ann. 1776., nihil in eo inveniri, nisi malitiosam fallaciloquentiam, apertas contradictiones, & odium omnis Religionis. Cujus censuræ argumentum aliquod statim propono ab ipso Campbell observatum (1), quod in decursu speciminis miraculum sit synonimum modo cum improbabilitate, modo cum absurditate, & aliquando etiam cum absoluta impossibilitate.

Articulus VII.

De definitionibus miraculi quorumdam Gallorum.

112. Claudius Buffier Parisiis mortuus anno 1737. ætatis suæ 76., qui illustrem locum tenet inter Metaphysicos, & aliarum disciplinarum Authores, (2) *Miracula*, dicit esse *effectus contra ordinem & cursum naturæ a Deo stabilitum*. Rejicitur tum propter rationes contra Kingium (n. 107.) dictas, tum propter defectum aliarum notarum, quas ostendimus necessarias in definitione miraculi.

113. Nonnote celebris multis contra Incredulos feliciter gestis dimicationibus in suo Dictionario Philosophico *miraculum*, inquit (3) *appellatur eventus, qui non potuit existere vi ullius caussæ naturalis, & est contra naturæ leges constantes & notas, & nequit tribui nisi Authori & Domino Naturæ*. Rejicitur tum quia prima & tertia pars invicem includuntur, tum quia secunda habet contra se, quæ contra superiorem jam dixi, & præterea quamdam in vocabulo *leges naturæ* obscuritatem, quod siquis, ut aliqui dicunt, velit significare principia certa juxta quæ fiunt motus corporum, jam definitio miraculi limitaretur ad solas res corporeas.

114. III. Petrus Sylvanus Regis, qui obit Parisiis anno 1707. ætatis suæ 75. Academiæ Scientiarum Parisiensi adscriptus dicit mira-

(1) Cam. A diss. on mirac. p. 1. sec. 2. in fine.

(2) Buff. Preuv. de la Relig. n. 229.

(3) Non. art. Miracl.

miraculum esse (1) rem de qua quantum ad modum, quo facta est, non potest haberi idea, etiamsi de ejus essentia & de modo, quo ipsa existat, habeatur in iis, quæ jam novimus existere. Hanc definitionem videor mihi invenire, ubi differens de differentia miraculum inter & mysterium statuit miraculum esse effectum, qui quantum ad modum, quo factus est, non potest concipi, ut mutatio virgæ in serpentem. Quamvis enim noverimus quid sit serpens, tamen quo modo virga in serpentem commutari possit non intelligimus: Mysterium vero esse rem, quæ quantum ad suammet substantiam, & quantum ad modum quo existit non potest concipi. Exemplum proponit in mysteriis Trinitatis Incarnationis & Eucharistiæ. Quantum enim ad naturam non possunt concipi Deus unus & trinus, nec Verbum Divinum unitum cum natura humana in unitate Personæ. Quantum autem ad modum non potest concipi existentia Corporis Christi Dn. sub speciebus panis. Rejicitur quia præstigiæ circulatorum, & multo magis Dæmoniorum juxta hanc definitionem erunt miracula, ut consideranti patebit.

115. IV. Malebranche (2) & Occasionalistæ apud Leibnitium (3) dicunt miraculum esse actionem Dei, quam non facit juxta leges generales a se sibi stabilitas in rerum creatarum conservatione & gubernatione. Rejicitur, quia leges generales in sensu Occasionalistarum sunt impossibiles, quippe non cohærent cum virtute agendi creaturarum, quam certum est ex alibi (4) dictis illas habere, immo de Fide est respectu creaturarum liberarum. Quod si leges istæ generales sumantur in sensu, qui non excludat a creaturis potentiam agendi, jam vel exceptio legum generalium significat effectum, qui fit a solo Deo, quia non potest fieri ab ulla creatura, & hoc non sufficit ad notionem miraculi, vel significat effectum, qui fit Deo aliquando permittente a caussa etiam creata, ut bono aliquo vel malo Dæmone, & hoc opponitur ipsi præcipuo attributo miraculi, quod postulat ut effectus sit solius Dei.

116. V. Petrus le Brun diversorum de re Ecclesiastica operum Auctor, mortuus anno 1729. ætatis suæ 67., in sua superstitionum historia (n. 102.) supra commemorata definit (5) *miraculum esse effectum a Deo productum independenter a legibus communicationis motus, aut ministerio Angelorum*. Rejicitur I. qui confundit miracula cum effectibus quibusvis supernaturalibus. Et revera ipse miraculum

(1) Reg. Usag. de la Raison. l.1. p.1. ca.28. nu.6.

(2) Mal. de la Natur., & de la Grace. dist 1. nu.59.

(3) Leib. Journ. des Scav. ann. 1709. supl. pag.601.

(4) De Cauf. Efficien.

(5) Bru. Stor. delle Superstit. li.1. c.8. c 9.

lum facit synonimum (1) effectui supernaturali, & duas miraculorum species constituit (2), aliam de miraculis ordinariis, exemplum ponens in aqua Baptismi, quæ mundat animam, aliam de miraculis extraordinariis vel ad tempus, utens exemplo aquæ, quæ in lege veteri epota ab adulteris illas occidebat. Quæ omnia sunt aliena a communi Doctorum sensu & cogitatione. II. quia confundit miracula cum effectibus naturalibus; Nam Deus independenter a legibus Mechanicis, & ministerio Angelorum, aut cujusvis creaturæ potest effectus naturales producere, quin immo aliquos quotidie producit. III. quia excludit a ratione miraculi, quæ Deus faciat independenter a legibus communicationis motus ministerio hominis; Nam meminisse speciatim in definitione miraculi de ministerio Angelorum dumtaxat est excludere a ratione miraculi ea, quæ fiant a Deo ministerio hominum.

Articulus VIII.

De definitionibus miraculi aliorum Authorum.

117. I. SUarez (3) approbat hanc miraculi definitionem, miraculum est opus superans omnem naturalem virtutem caussarum naturalium visibilium & corporearum, & censet concedi posse & debere ut necessariam & sufficientem ad rationem veri miraculi, quia inde evidenter concluditur esse etiam supra omnem virtutem Angelicam, cum hæc non possit effectus sensibiles efficere, nisi applicando naturales & corporeas caussas-activas passivis. Rejicitur, quia insufficiens est ea miraculi definitio, quæ excludit solas causas visibiles & corporeas, etiamsi ex hac exclusione inferretur illa caussarum creatarum invisibilium, quam tamen illationem non video esse legitimam; Nam effectus sensibiles sunt transferre hominem ex uno loco in alium, aut facere ut non possit penetrare, ubi nihil est sensibile præter aerem: Sed hi effectus possunt fieri ab Angelo nulla adhibita corporea caussa: ergo.

118. II. Franciscus Bordoni in opere posthumo de Miraculis, (4) *Miraculum*, inquit, *est signum sensibile, arduum, insolitum, excedens vires naturæ, a Deo factum ministerio creaturæ intellectualis ad bonum finem*. Rejicitur, quia imprimis in his verbis *vires naturæ* deficit claritas tam necessaria in definitione. Qui ex dictis (n. 114.) leges naturæ dicunt esse principia certa juxta quæ fiunt motus corporum, vires naturæ definiunt esse effectus legum naturæ, quæ explicatio mira-

(1) Id. ibid. li. 1. ca. 8. nu. 6.
(2) Id. ibid. nu. 12.
(3) Sua. de Angel. li. 4. ca. 39. nu. 10.
(4) Bord. Medit. 1. nu. 3.

miracula ad solas res materiales perperam limitaret. Deinde attributum ardui non potest habere locum in hac definitione; Nam si arduum dicitur respectu Dei efficientis miracula, falsum est aliquid illi esse arduum. Sin dicitur relate ad caussas secundas, harum respectu impossibile absolute est quodvis miraculum: ergo dici non debet arduum saltem in sensu obvio, qui est significare aliquid factu difficile: Tandem ne attributum quidem insoliti apponi debet, quia indiget explicatione, quæ cum allata fuerit, concludetur vel otiose vel falso positum. Si enim insolitum significet excludi solitum cursum naturæ, jam otiosum est, quia immediate dicitur miraculum esse quid excedens vires naturæ: sin insolitum excludat multitudinem atque frequentiam hujusmodi effectuum, jam falso dicitur; Nam ut advertit Lambertinus (1), cum Christus Dn. sanabat omnem languorem & infirmitatem, nemo negat fecisse miracula. Præterea primo Ecclesiæ tempore non solum Apostolis familiare quodammodo erat facere miracula, sed omnibus vel fere omnibus, qui recipiebant Sacramentum Confirmationis, communia erant hæc duo miraculorum genera, loqui linguis alias sibi ignotis, & ejicere Dæmonia, ut notat Maldonatus (2), eaque omnes ut talia celebrabant.

119. Confirmatur, quia cum communiter omnes agnoscant miraculum in dissolutione sanguinis S. Januarii, quoties in conspectu capitis ejusdem Martyris collocetur, Bordonus cogitur id negare, quia non est insolitum, sed quasi ordinarium, quemadmodum ex hac causa reipsa negat miraculum esse ad Gratiam sanitatis (n. 60.) pertinens, quod Reges Galliæ postquam inuncti fuerint, sanent quotquot strumis laborantes contingant, quin advertat (3) hinc sequi dicendum esse quid naturale, quod fortasse ipse idem non admittet. Mitto quod addit de ministerio creaturæ alicujus intellectualis, sine quo negat (4) ullum fieri miraculum Deo sic volente, quia non video satis ab eo hujusmodi Divinæ Voluntatis existentiam comprobari.

120. Dices. S. Augustinus agnovit in miraculis proprietatem insoliti, (5) *Miraculum*, inquit, *voco quicquid arduum aut insolitum supra spem aut facultatem miranti apparet*: & iterum (6) *servavit sibi quædam quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt*. His similia repetit alibi (7). Resp. agnoscitur

(1) Lamb. de Beatif. li. 4. par. 1. ca. 1. nu. 5.
(2) Mald. in Marc ca. 16. v. 17.
(3) Bord. Medit. 2. nu. 67.
(4) Id. ibid. nu. 63.
(5) S. Aug. de Utilit. cred. ca. 16.
(6) Id. in Joan. tr. 24.
(7) Id. in Joan. tr. 8.

ſcitur quidem hæc proprietas a S. Doctore in miraculis, quia plerumque in illis obſervatur, non vero quia ſit eſſentialis, ut ſine illa deſinat quid eſſe miraculum. & quoties ea ſit in aliquo effectu, toties hic ſit miraculum ſumpto hoc nomine in ſenſu proprio, & non in ſenſu aliquo ampliori, ut ſumi ſæpe ſolet ex jam (n. 17.) dictis. Hæc non dicit S. Doctor, neque ibi de rigoroſa miraculi definitione ſollicitus eſt, quam nullo modo haberi poſſe per ea verba S. Doctoris oſtendo veniens ad Authorem, qui eam definite propoſuit.

121. III. Brancatus (1) *Miraculum*, inquit, *eſt aliquid inſolitum & arduum ſupra ſpem naturæ inducens admirationem in ſpectantibus*. Rejicitur, quia attributa inſoliti & ardui ex nuper dictis non ſpectant ad bonam miraculi definitionem: alterum autem attributum, quod ſit ſupra ſpem naturæ eſt prorſus obſcurum; Nam indiget determinatione ſignificationis, quæ tribuatur nomini naturæ, quæ multis modis juxta alibi (2) adnotata accipitur. Qua poſita poterit intelligi quid ſibi velit ſpes naturæ. Tertium tandem attributum, quod ſit mirabile, eſt otioſum; Nam dato miraculo admiratio conſequitur neceſſario in quavis creatura. Imperfectio hujus definitionis ex eo etiam demonſtratur, quod ejus Auctor juxta ipſam ſtatuat (3) *negari non poſſe, quod Magi Dæmoniaci, & Dæmones poſſunt facere miracula*, quæ ſi ſint (4) *miracula quoad modum poſſunt vere & realiter ab eis fieri*: ſin autem ſint *miracula quoad ſubſtantiam vel quoad ſubjectum* (5), *non ſunt vera & realia, ſed apparentia & præſtigiæ*. His auditis ſic arguitur. Mala eſt ea definitio rei, per quam res ipſa non poteſt diſtingui ab omni alia diverſa re: Sed per definitionem prædictam miraculi non poteſt diſtingui miraculum ab eo, quod non eſt miraculum; Nam præſtigiæ non ſunt miracula: ergo prædicta miraculi definitio mala eſt. Non diſſimulabo aliud contra eamdem argumentum ad hominem, quo ipſe idem velit nolit ſe impugnat. Ejus eſt hæc theſis, (6) *Ad concludendum quod eventus aliquis ſit miraculum probanda eſt ratio miraculi, quod ſcilicet non potuerit a natura vel arte aut dæmone provenire*. Pro qua ſic arguit: *Niſi ratio miraculi probetur, omnis eventus novus & inſolitus diceretur miraculum: & ſic omnia Dæmoniaca facta, omnes ſanationes admirandæ a natura per criſes, vel ab arte medica procedentes miracula eſſent dicenda*. Igitur ipſomet judice miraculi ratio excludit effectum fieri poſſe a Magis Dæmoniacis & Dæmone, & longe alia attributa poſtulat ejus definitio, ac ea quæ ipſe poſuit.

122. IV. Le-

(1) Bra de Mirac. nu.677.
(2) De cauſſa efficien.
(3) Bra. de Mirac. nu.680.
(4) Id. ibid. nu.702.
(5) Id. ibid. nu.686.
(6) Id. ibid. nu.1064.

122. IV. Leibnitius (1) dicit *miraculum in ſenſu rigoroſo eſt id, quod nequit explicari per naturam rerum conditarum*: Alibi dicit, (2) *eſſe quod tranſcendit omnes naturæ creatæ vires*, addens inferius, *quicquid ex naturis rerum inexplicabile eſt, quemadmodum attractio generalis materiæ Neutonianæ, vel miraculoſum eſt vel abſurdum*. Rejicitur, quia non convenit ſolis miraculis; Nam complectitur effectus ſupernaturales inſenſibiles, & etiam effectus naturales, qui non poſsunt explicari per naturam rerum conditarum, quoties non fiant, nec fieri poſſint niſi a ſolo Deo, cujuſmodi ſunt creatio animarum & alii ſupra 148. relati.

123. V. Merlinus apud Trevoltianos (3), & Alphonſum Nicocolai (4) in ea de miraculis diſſertatione, cujus copioſa enarratio datur a Trevoltianis dicit *miraculum eſt effectus ſupernaturalis, in quo Deus ſuſpendit curſum ordinarium naturæ, & derogat ſuis legibus, ut confirmet quod nobis nomine ſuo annunciatur*. Rejicitur, tum quia non meminit de attributo ſenſibilitatis ſaltem clare: tum quia redundat in illis verbis *derogat ſuis legibus*, poſtquam dictum erat *ſuſpendit curſum ordinarium naturæ*: vel ſi nomine legum intelligat leges Mechanicas, nomine vero curſus naturæ intelligat creaturas ex ſe operantes, cujuſmodi ſunt, quæ ſunt ſpirituales, jam deficit a claritate neceſsaria in definitionibus: tum tandem quia finis miraculorum multiplex eſt ex dictis (n. 83.) nec proinde ſola confirmatio veritatis nomine Dei annunciatæ.

124. VI. Liberatus Faſſonus definit miraculum eſſe (5) effectum, *qui præter uſitatas naturæ leges mechanicas accidit, & omnes cauſſarum naturales vires egreditur*. Similem definitionem dederat jam Antonius Genuenſis (6). Rejicitur I. quia in definitione non debent apponi ſuperflua, cujuſmodi eſt dicere, quod accidat præter uſitatas naturæ leges mechanicas, poſtquam dictum fuit, ſuperare omnes cauſsarum naturalium vires. Leges enim mechanicæ ſunt ceu ramus hujus arboris vis cauſarum naturalium, quo nomine non ſolum mechanicæ leges, ſed etiam immechanicæ vires, cujuſmodi ſunt actiones ſpirituum quorumvis creatorum comprehenduntur. II. quia definitio debet enunciare ſufficientem differentiam ad diſtinguendam rem definitam ab omni alia: ſed dicere miraculum eſse id, quod ſuperat omnes vires naturales omiſsa nota ſenſibilitatis & conducentiæ ad Divina confundit miraculum cum omnibus effe-

(1) Leibn. Eſſai. de Theodic. par. 2. nu. 207.
(2) Id. Commerc. philoſ. epiſt. 231.
(3) Trev. ann. 1742. art. 41. pag. 1015. & art. 63.
(4) Nic. Lez. 7. ſu l' Eſodo.
(5) Faſſ. de Mirac. nu. 4.
(6) Gen. Elem. Metaph. par. 3. def. 8.

effectibus supernaturalibus, nec assignat sufficientem differentiam in multis casibus saltem facilem & expeditam: ergo.

125. VII. Benedictus Spinosa (1) dicit miraculum esse opus, cujus causam alterius rei solitæ exemplo interpretari & declarare non possumus, vel is saltem nequit, qui rem narrat. Rejicitur I. quia non meminit de impotentia creaturarum ad illum effectum, neque de conducentia ad Divina. II. quia si id, quod habet has duas notas ignorantiam hominis etiam singularis de causa ipsius, ejusdemque raritatem est miraculum, jam nescio quisnam relinquetur effectus naturalis. Itaque homo nequam multiplicat in immensum miracula; ut hac etiam via suum propositum promoveat, quod fuit de medio tollere omnia miracula.

126. VIII. Multi definiunt miraculum esse id, quod omnem caussarum naturalium ac hominum & Angelorum facultatem superat. Brevius Sylvanus Regis eamdem aliquando proposuit dicens (3) miraculum esse effectum naturaliter impossibilem. Rejicitur, quia quotidiana animarum infusio in corpora humana, Gratiæ Divinæ largitio, ipsa hæc Mundi conservatio sunt id, quod omnem caussarum naturalium ac hominum & Angelorum vim superat, attamen non sunt neque habentur tamquam miracula.



H PARS

(1) Spin. Tract. theol. ca.6.

(2) Reg. Usag de la raison li.1. par.1. ca.29. nu.3.

PARS III.

De possibilitate Miraculorum.

PROPOSITIO I.

Miracula sunt possibilia.

ARTICULUS I.

De adversantibus propositioni.

127 Ropositio, quam fuse propugnat S. Thomas in Summa (1) & multis aliis in locis, quae ad marginem singularum Summae quaestionum solent indicari, habet plures adversarios. Primo quidem plures diversorum temporum impios. In his sunt quidam Rabbini, qui omnia, quae Sacra Scriptura commemorat facta a Moyse, Josue, aliisque Patriarchis, agnita tamquam vera miracula reducunt ad effectus naturales, sed qui non possunt effici nisi ab iis, qui Scientia quadam instructi sint non vulgari, & quae in libris non reperitur, sed quam Deus in monte Sinai Moysi tradidit, & apud aliquos Hebraeos tantummodo manet per traditionem oretenus dimanantem. Cabalisticam ipsi vocant hanc scientiam referente Michaele Medina (2) juxta etimologiam hebraici nominis Cabala, quod Dominicus Magri (3) docet significare acceptionem alicujus scientiae per traditionem. Speciatim miracula Christi recentiores etiam Judaei revocant vel ad artem magicam, quam in Ægypto dicunt didicisse, vel ad vim nominis Dei ineffabilis, cujus cognitionem ipse acquisivit, quia in Sanctuarium templi ei contingit penetrare. Satis superque fuit de his meminisse historiae caussa; Apparet enim per se hominum perfidia & deliramentum in tam impiis & insulsis commentis, quae acceperunt a Thalmud, quod interpretatur doctrina, a libro scilicet pleno fabulis blasphemiis & absurdis Sacrae Scripturae explicationibus, quem auctore eodem Magri (4) annis centum quinquaginta a deleta Jerusalem composuit Judaeus quidam, & alii deinceps novis erroribus & impietatibus cumularunt, ut Joannes XXII. anno 1319. jusserit ipsum si fieri pos-

(1) S. Tho. 1. par. qu. 105. art. 6.
(2) Med. Christ. paraen. li. 2. ca. 7.
(3) Mag. Vocabl. Eccl. art. Kabala.
(4) Id. ibid. art. Talmud.

posset aboleri facta etiam in domibus Judæorum diligenti ejusdem perquisitione.

128. Propius nostris temporibus contra propositionem fuerunt, plures Increduli, Deistæ scilicet, qui sibi usurpantes philosophi nomen de rebus omnibus sententias suas etsi plerumque falsas & impias arroganter pronunciant, & in vulgus studiose disseminant, maxime de moribus, quos ad licentiam impellunt, & de Religione præsertim Christiana, & maxime de Catholica, cui propria faciunt superstitionis & fanatismi attributa, superstitionis quidem quia omnem cultum revelatum negant, fanatismi autem quia in eo tuendo speciem insaniæ constituunt. In his sunt Tolandus, de quo alibi (1) dixi, Marchio d'Argens, quem Gauchatus (2), & ex illo Trevoltiani (3) confutant. Est & David Hume, qui ineptissimis argumentis, ut declarat Campbell (4), aggressus est etiam authoritatem Pentateuchi, ne cogeretur admittere ea saltem miracula, quæ ibidem exponuntur.

Hoc facit etiam nobilis Anglus Bolingbroke in nequissimo libro, Examen magni momenti (*Examen important*), si tamen ille fuit ejusdem auctor, quod non credit Nonnote, qui sæpius affirmat (5) eumdem stylum, easdem sententias ac blasphemias in eo reperiri, quæ sunt in pluribus contra Religionem libellis, qui extra controversiam Voltairem habent auctorem, & quorum aliqui prodierunt Bolingbroke a multis jam annis mortuo. Hic pariter brevi a miraculis Pentateuchi, in quibus primas agit Moyses, credidit se liberasse revocando in dubium ipsam existentiam Moysis, eumque si forte extitit, traducendo tamquam barbarum & tyrannum. Quanta sit istius in hac re ignorantia, vel potius mentiendi libido, ex qua plane sequitur ipsius contemptus & detestatio, demonstrat Nonnote (6), qui etiam nos monet (7) ipsum alibi scripsisse pro certa habendam ab unoquoque esse victoriam hujus vel illius exercitus, si de hac adsit totius Parisiorum urbis testimonium: sed non credendam resurrectionem alicujus jam mortui, etiamsi adsit totius urbis testimonium, quia resurrectio mortui est quid *moraliter metaphysice impossibile*, in qua sola terminorum absurda conjunctione videas hominem odio religionis temere scribentem. Quid plura? Extat apud eumdem Nonnotem (8) hujus scelerati scriptoris professio se in Manichæorum stultitiam de duobus prin-

(1) De Bono nu.220.
(2) Gau. Lat. criti. to.3.
(3) Trev. an.1758. ar.104. pag.2504.
(4) Cam. diss. ou mirac. p.2. sec.7.
(5) Non. Dict. phil. art. Ecrituræ pag. 130. & 154. Et art. Paul. Et art. Propheties sub finem.
(6) Id. ibid. art. Moyse.
(7) Id. ibid. art. Certitude in fine.
(8) Id. ibid. art. Mirac Entr.4. in fine.

principiis, quorum unum destruat quod alter construxit, descensurum, si de aliquo miraculo testis esset.

Est tandem Benedictus Spinosa, qui ex vi systematis sui atheistici, quod sibi supra æquivoca verba, & confusas rerum notiones impie ædificavit, nullum admisit possibile miraculum, contra quem scripserunt ex Orthodoxis Calmet, & Michael Vassor (1) antequam hæreticus fieret, Merlinus (n. 123.) supra citatus, Fassonius (2), Hooke (3), & Valsecchius (4). Ex Heterodoxis vero Rodegnerus a Mansuelt, Cuperus, Gottliebus Canzius, & Petrus Bayle, cujus longam impugnationem referunt Trevoltiani (5), & Alphonsus Nicolai (6).

129. Contra propositionem est etiam Malebranchius; Nam principium & quasi basis sui de Natura & Gratia tractatus est, Deum neque in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ posse operari, nisi secundum voluntatem generalem, hoc est leges quasdam generales, quas sibi pro sua libertate sancivit, utpote modum agendi unice dignum Deo, non vero agere posse secundum voluntates hoc est leges particulares, propterea quod id ipsum dedeceret: ergo ut jam intulit Merlinus, impossibilia sunt omnia miracula, utpote actiones Dei, quæ non sunt secundum leges generales. Ipse idem tamen in eodem tractatu aliquando sibi parum cohærens ita loquitur, ut concedat possibilitatem miraculorum; Nam monet multa consideranda esse, antequam aliquid statuatur esse miraculum, & ponit exemplum (7) in pluvia, quæ dum per vias deducatur Eucharistia, frequens decidat circumquaque, non tamen supra umbellam Venerabile Sacramentum obumbrantem, quod negat dici tuto posse miraculum, siquidem cum Deus omnia faciat juxta actionem causarum occasionalium, *fieri potest, ut causa occasionalis intelligens habeat aliquem finem particularem, & sic determinet efficaciam legis generalis ad hanc exequutionem*. Similia quæ congeriem absurditatum continent, fusius habet agens (8) expresse de Miraculis.

AR-

(1) Vas. Veritabl. relig. li. 2. p. 1. c. 2.
(2) Fas. de Mirac.
(3) Hoo. Princ. reli. to. 2 dis. de Mira.
(4) Val. Fond. della reli. l. 2. c. 16. n. 8.
(5) Trev. an. 1742. ar. 41. pag. 1018.
(6) Nic. Lez. 7. su l' Esodo.
(7) Mal. de la Nat. & Grace. Eclair. 1. nu. 6.
(8) Ibid. Eclairc. dernier.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

130. I. IN consideratione hujus Mundi, & eorum quæ in eo sunt, necessario deveniendum est ad id, quod non est juxta leges seu cursum naturæ, cujusmodi est ipsa Mundi hujus existentia, quæ non potest dici esse juxta leges seu cursum naturæ; Nam ante ipsum Mundum nullæ sunt leges & nullus cursus naturæ, cum utrumque incipiat in ipsa Mundi creatione, & in ipso jam constituto contineatur: ergo caussa ad quam tandem deveniendum est in consideratione hujus Mundi, sicut potuit ipsum constituere præter leges & cursum naturæ, ita poterit etiam in ipso jam constituto aliquid efficere, quod non sit juxta leges & cursum naturæ. Atqui hoc importat miracula esse possibilia: ergo sunt. Antecedens qui negat, admittat necesse est Mundum esse ab æterno, & quidem vel a se vel a casu, quæ alibi (1) demonstrata sunt impossibilia.

131. II. Certum est Deum posse facere id, quod nulli creaturæ est possibile ad manifestandam suam gloriam nobis mortalibus, aliisque creaturis intellectualibus. Hoc enim pertinet ad Omnipotentiam Divinam, quam qui limitat ad ordinem naturalem, jam tollit, & ne informat quidem animo, quid sit ordo naturalis & a quo sit: Est autem a Deo, qui propterea dicitur Auctor ordinis naturalis, & nihil aliud est, quam talis rerum dispositio & continua diversorum effectuum existentia modo quodam constanti & uniformi, qui ab illius voluntate in omnibus & singulis numquam non dependet: Ergo Deus potest facere miracula. Antecedens qui negat, jam ex illis est, qui quod in corde suo dicit insipiens (2) *Non est Deus*, ille audacter ore etiam expromit.

132. III. Cum Trevoltianis (3) post Merlinum sic arguitur. Motus & ejus leges in materia sunt a Deo ut prima caussa perfectissime libera; Nam materia est creata a Deo cum perfecta libertate, & est essentialiter iners: Ergo motus & ejus leges in materia mutari vel suspendi possunt pro libertate primæ caussæ. Hæc enim libertas est perfectio ipsi essentialis: Sed miraculum est, quando motus & ejus leges in materia suspendantur vel immutentur: Ergo si motus & ejus leges in materia possunt mutari, etiam miracula possunt esse.

133. IV. Ideo per adversarios miracula non sunt possibilia, quia Deus

(1) De Mundo.
(2) Psalm. 13. & 52.
(3) Trev. ann. 1742. art. 41. pag. 1024. Et ann. 1748. art. 50. pag. 1057.

Deus nequit quicquam facere contra leges naturæ necesſarias & immutabiles: Sed falſum eſt leges naturæ eſse neceſſarias & immutabiles: Ergo miracula ſunt poſſibilia. Minor probatur, quia modi quidam operandi creaturarum conſtantes & uniformes ſunt id, quod leges naturæ appellatur, quæ definitio utpote comprehendens omnem naturam creatam eſt longe melior, quam quæ ex dictis ſupra (n.118.) dicebat eſse principia juxta quæ fiunt motus corporum. Hæ igitur leges non ſunt neceſſariæ, ſed eſsentialiter contingentes, nec ſunt immutabiles, ſed a perfectiſſima Dei libertate ſtabilitæ & perpetuo dependentes, neque ſunt ut Spinoſa aſſerit fatalis ſeries rerum hujus univerſitatis, a quibus realiter Deus non ſit diſtinctus, ut ſuadent omnia argumenta, quæ demonſtrant exiſtentiam Dei ut entis a ſe & cauſsæ omnium quæ videmus.

134. V. Contra Malebranchem ſpeciatim. Ideo ipſo judice nullum aut fere nullum eſt miraculum aut eſſe poteſt, quia omnis vel fere omnis eventus eſt juxta leges generales, quas Deus ſibi ſtatuit: Sed nullus fortaſse eſt eventus, de quo affirmari poſſit illum eſse juxta leges generales habita ratione non ſolum ad ipſius immediatam cauſſam, ſed etiam ad alias mediatas: ergo ſunt aut poſſunt eſse miracula. Minor declaratur cum Arnaldo (1) per exemplum mortis Abimelechi filii Gedeonis occiſi a femina ſaxo emiſſo ſupra caput ipſius, quod quidem juxta leges generales communicationis motus (2) *confregit cerebrum ejus*, & fuit ex proximis cauſſis ſuæ mortis: ſed quæ fuerunt remotiores cauſſæ, ut jaculatio ſaxi eo momento temporis, quo ille tranſibat ſub turri, nequit dici fuiſſe juxta leges generales: certe mors ipſa teſte Sacra Scriptura fuit in poenam ſcelerum ipſius. Igitur cum ſimiliter eventus phyſice boni aut mali, quibus in hac vita afficimur, ex Divina Providentia mundi moderatrice nonnullam connexionem habeant cum noſtris actionibus moraliter bonis aut malis ad earum præmium ſive ſupplicium, nemo confidenter decernet hunc vel illum eſse juxta leges generales.

Ar-

(1) Arn. Reflex. ſur le ſyſt. de la Nat. & de la Grac. li.1. ca.1.

(2) Judic. ca.9. v.53.

Articulus III.

Objectiones.

135. I. Objicitur. Possibilitas miraculorum arguit voluntatem Divinam esse mutabilem, & mundum non habere connexionem in omnibus quæ in ipso accidunt, nec rationem unius effectus dependere ab omnibus aliis a principio mundi præcedentibus: sed hæc dici non possunt: ergo neque dici potest miracula esse possibilia.

Resp. *nego primam partem maj.* Nam Deus ab æterno non solum decrevit hunc rerum ordinem pro rebus a se creatis, quem dicimus ordinarium generalem communem, sed etiam interruptionem hujus ordinis pro certis circumstantiis sibi a tota æternitate cognitis. Quare inquit S. Thomas, (1) *Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex caussa esset facturus. Unde cum præter hunc ordinem agit non mutatur,* Idemque alibi docet (2). Et concessa secunda majoris parte, hanc ipsam nego in minori; Nam falso omnia quæ accidunt in mundo asseruntur esse inter se ita connexa, ut constituant seriem effectuum, quæ successive evolvitur. Hanc objectionem, quæ antiqua est, ut constat ex allata S. Thomæ doctrina, renovavit Spinosa apud Calmet (3) & Lambertinum (4), & iterum alii promovent apud Nonnotem diversis verbis, in quibus ipse (5) ostendit nihil præter verborum sonitum inveniri.

136. II. Objicitur a Spinosa. Miraculum est quid excedens cognitionem nostram, & deducens nos in cognitionem existentiæ Dei, vel alicujus sui attributi: Sed impossibile est id, quod excedit cognitionem nostram deducere nos in ullius rei cognitionem; Nam ex illo, quod excedit cognitionem nostram nihil potest inferri: ergo impossibile est miraculum.

Resp. *dist. primam partem maj.* Miraculum excedit cognitionem nostram quantum ad modum, quo per virtutem Divinam existit *conc.* quantum ad existentiam sui, & quidem per virtutem Divinam, *nego* hanc partem, & etiam minorem cum ipsius probatione juxta datam distinctionem.

137. III. Objicitur a nescio quo incredulo apud Diarium Literato-

(1) S Tho. 1. par. qu. 105. art. 6. ad 3.
(2) Id. Quæst. disput. de Mirac. qu. 6. art. 1. ad 6. Et lib. 3. cont. Gent. ca. 99.
(3) Cal. Diss. de veris fictisq. prodig.
(4) Lamb. ubi alias ca. 1. nu. 10.
(5) Nonn. Dicti. Phil. art. Miracul. 1. entret.

ratorum Pisanum (1). Miracula se habent in ordine naturali, sicuti se habent mendacia in ordine morali; *Nam miracula sunt violatio ordinis moralis: sed mendacio non est credendum: ergo neque miraculis.*

Resp. *nego assumptum*, quod quam falsum sit statim intelliget qui subsumat, sed mendacia sunt peccata: ergo etiam miracula sunt peccata: de qua conclusione utpote aperta stultitia credo equidem nullum incredulum unquam somniasse. Venio ad probationem, ipsiusque primam partem sic distinguo, Miracula sunt violatio, hoc est suspensio vel exceptio ordinis physici facta a Deo Authore hujus ordinis, quae cum ipsius dominio optime cohaeret, ipsumque magis manifestat, & nulli ex suis attributis repugnat, *conc.* hanc partem. Miracula sunt violatio, hoc est quid vituperabile commissum contra ordinem physicum, *nego* hanc partem. Quoniam nomen violationis importat communiter secundum potius sensum, quem dicas proprium, quam primum, necessariam reddit hanc distinctionem, sicuti contra Humem, qui miraculum definivit transgressionem legum naturae supra (n. 110.) jam notavi: Et venio ad secundam partem. Mendacium est violatio ordinis moralis, & quidem proprie dicta, quae in Deo Auctore hujus etiam ordinis essentialiter repugnat, & in creaturis, in quas solum cadere potest, opponitur legi ab eodem Auctore latae, quae hujus moralis ordinis violationem prohibet, *conc.* secus *nego* hanc partem. Igitur Adversarii se & alios conantur decipere, dum in explicatione tam miraculi quam mendacii vocabulo violationis utuntur, quod est aequivocum, cum in miraculo significet suspensionem ordinis naturalis, qui liber est Deo hujus ordinis Authori, in mendacio vero significet culpam.

138. IV. Objicitur. Impossibilia sunt quae involvunt contradictionem: sed aliqua quae admittuntur miracula involvunt contradictionem: ergo haec saltem sunt impossibilia. Minor probatur. In miraculis numerantur apparitiones vel Angelorum vel mortuorum, horumque cum hominibus colloquutiones, hoc est visiones spirituum, qui corpus numquam habuerunt, vel animarum, quae cum corpore amplius non sunt conjunctae, & tamen nunc cum apparent, corpus habent & vestes & os & linguam qua loquuntur, quae est aperta contradictio. Similis contradictio palam extat, dum dicitur aliquis in supernaturali a sensibus alienatione vulgo ecstasi vidisse & audisse, quae alibi in remotis locis sunt, imo quae nullibi sunt, prout visa aut sensibus usurpata dicuntur, ut cum narrantur auditi Angelorum concentus, & visi Beati vestibus ornati praefulgentibus.

Resp.

(1) Giorn. tom. 5. art. 3. pag. 88.

Resp. *conc. maj. & nego min.* Ad probationem concedo fieri apparitiones & visiones Angelorum & defunctorum sub specie humana, ut frequentes Sacrarum literarum narrationes testantur: sed nego ullam ex iis inferri posse contradictionem; Nam hæ propositiones, quæ inde nascuntur, Angelus & defunctus non habent corpora sub specie humana, quæ sibi substantialiter uniantur, hoc est eo modo, quo anima hominis vivi est unita cum ejus corpore, & Angelus ac defunctus habent corpora sub specie humana, quæ sibi non uniuntur substantialiter, nullo modo sunt contradictoriæ, ut nemo non videt. Hæ autem sunt propositiones, quæ unice habent locum, dum sermo est de apparitionibus factis a spiritibus sub specie humana, cujusmodi præter alias fuit illa Moysis & Eliæ, quos Petrus Jacobus & Joannes circa Salvatorem in monte Thabor viderunt corporeis oculis, quandoquidem Petrus dixit Christo *Faciamus hic tria tabernacula*. Hæc itaque corpora formata forte ex aere, ut communiter Theologi tenent, non erant in unum compositum substantiale cum ipsis spiritibus unita.

139. Multo minus contradictoriæ sunt hæ duæ propositiones Angelus & defunctus non habent corpora realia sub specie humana, & Angelus & defunctus habent corpora aerea seu imaginaria sub specie humana. Atque hæ sunt propositiones, quæ affirmantur, dum sermo est de apparitionibus factis in somno vel ecstasi, & dici etiam possunt de illis extra somnum contingentibus, cujusmodi pariter plures Scriptura commemorat. Sicuti enim qui illusionibus phantasiæ subjicitur, & qui somniat, videt aut montes aut fluvios aut homines aut alia quæ non sunt in re, sed solum in imaginatione, ita necesse non est, ut Angeli & defuncti, qui hominibus sive vigilantibus sive dormientibus quovis modo apparent sub specie humana, habeant realia corpora. Exemplum est S. Augustini (1), quo hoc ipsum quod dicimus declarat. Omnis tandem ansa ad quærendas contradictorias sublata est, ubi solum affirmari potest, Angelus aut defunctus apparuit homini eumque alloquutus est, quin sermo sit de apparentia sub specie humana. Posse enim id etiam evenire dicam cum Brancato (2) suaderi ex illo Joannis, (3) *Vidi animas interfectorum propter Verbum Dei, & clamabant voce magna*, & ex Apostolo narrante (4) se raptum in Paradisum audivisse arcana verba, sed nescire an hoc ipsum ipsi contigerit in corpore an extra corpus.

I PRO-

(1) S. Aug. de Gen. ad lit. li.12. ca.4.
(2) Bra. de Mirac. nu.634.
(3) Apoc. ca.6. v.9.
(4) 2 Corinth. ca.12. v.3.

PROPOSITIO II.

Miracula fieri non posſunt in confirmationem ullius erroris.

140. PRopoſitio eſt contra aliquos, de quibus meminit Franciſcus Fevardentius in notis ad S. Irenæum (1), qui dubios ſe profitentur propter quorumdam Patrum, & aliorum qui ibidem citantur authoritatem, quam credunt eſſe in partem propoſitioni oppoſitam. Verum quando meminerimus miraculum ſumi etiam in ampliſſimo ſenſu pro re admirabili, majus negotium non faceſſent nobis hæ authoritates, quam illæ quæ poſſint objici, ubi præſtigiæ ipſæ circulatorum appellantur miracula.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propoſitione.

141. I. PRobatur. Chriſtus Dn. prædixit miracula ſequutura prædicationem Evangelii per eos, qui eidem credidiſſent, non vero per eos, qui errores ſeu repugnantia Evangelio, cui proinde non credunt, prædicaverint: (2) *Prædicate Evangelium. Signa eos qui crediderint ſequentur*: Ergo temere dubitatur an in confirmationem erroris poſſint fieri miracula.

142. II Idem Chriſtus Dn., poſtquam teſtatus fuit Judæis, ſe eſſe filium Dei, urget illos ad credendum (3) *propter opera ipſa*, & alibi contra reluctantes dicit (4) *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum*: Sed ſi miracula fieri poſſent in confirmationem erroris, hæ Chriſti Dn. argumentationes nullæ eſſent, quod nefas eſt dicere: ergo miracula fieri non poſſunt in confirmationem erroris.

143. III. Miracula ſunt teſtificatio quædam Dei de aliqua veritate: ergo cum Deus non poſſit teſtificari falſum, miracula non poſſunt fieri in confirmationem erroris. Ans probatur. I. ex Scriptura. In Pſalmis miracula appellantur verba Dei, (5) *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum & prodigiorum*. Marci ultimo dicuntur Apoſtoli prædicaſſe, *Domino ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. II. ex

(1) Fev. ad li.2. ca.56.
(2) Marc. ca. ultimo.
(3) Joan. ca.14. v.12.
(4) Ibid. ca.15. v.24.
(5) Pſalm.104. v.26.

ex Patribus. Satis sit S. Augustinus, qui dicit sicuti nos verbis loquimur, (1) *ita Divina Potentia factis loqui*. III. ex Doctoribus. Celebre est. quod Richardus de S. Victore Catholicorum nomine in hypothesi, quod falsa esset illorum fides dicit, (2) *Domine si error est, a te decepti sumus; Ista enim nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt*. S. Thomas, (3) *Operatio*, inquit, *miraculosa est quoddam Divinum testimonium indicativum Divinæ virtutis & veritatis*. Propter quam caussam iterum iterumque dicit (4) *nullum contra Fidem facere vera miracula*, & definite negat Spiritus nequam posse facere miracula, quia si illis (5) *quorum est tota voluntas ad malum, ea potestas daretur, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod Divinam Bonitatem non decet*. Idem alibi inquit, (6) Per miracula *creduntur ea, quæ dicuntur esse a Deo, sicut cum aliquis defert literas anulo Regis signatas creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur*. Eadem sigilli similitudine non semel usus est Cornelius a Lapide (7), & Cardinales de Lugo (8), & Gotti (9); Baronius ad annum Christi 765. *Quid aliud*, inquit, *sunt vera miracula, quam vox cælitus clamans*. Merlinus apud Trevoltianos (10) statuit miracula esse loquutionem Dei, qua populo loquitur, distinctam a loquutione, qua alicui privatim loquitur, & dicitur inspiratio, qua usus olim est cum Prophetis. Para definivit miraculum *interruptionem* (11) *legum naturæ factam in testimonium veritatis aut virtutis*. Trevoltiani (12) vellent in ipsa notione miraculi exprimeretur esse enunciationem numquam non conformem Legi naturali & Religioni revelatæ. Mitto alias ejusdem doctrinæ significationes diversis modis ab aliis traditas. His addatur consuetudo Sedis Apostolicæ, quæ in Caussis Canonizationis exigit miracula, quia inquit Auctor compendii operis Lambertini de Beatificatione (13) *ex miraculis alicujus intercessione post obitum a Deo editis ad ejusdem Sanctitatem patefaciendam Sanctitas ipsa comprobatur*.

144. IV. Patres expresse negant hæreticos posse facere miracula, ac ita generaliter loquuntur, ut dicas eos negare hæreticis potestatem faciendi miracula etiam in confirmationem veri dogmatis,

(1) S. Aug. epist. olim 49.
(2) Rich. de Trin. li. 1. ca. 2.
(3) S. Tho. de Potent. qu. 6. art 5. O.
(4) Id. 2. 2. q. 178. ar. 2. ad 3. Et lec. 2. in 2. ad Thessal. Et quodli. 2. q. 2. art. 6.
(5) Id. quæst. disp. q. 6. de Mirac. ar. 5.
(6) Id. 3. par. qu. 43. art. 1. O.
(7) Lap. can. 6. ante comment. in Evang. Joann. Et in Matth. cap. 7. ad v. 2.
(8) De Lugo de Fide dis. 2. sec. 1. n. 24.
(9) Got. Theol. to 10. dub. 6. §. 6. n. 29.
(10) Trev. ann. 1742. ar. 4. pag. 1037.
(11) Par. Elem. de Metaph. nu. 11.
(12) Trev. ann. 1751. ar. 117. p. 2393.
(13) Comp. li. 4. p. 1, ca. 5.

matis. Et quidem jure; Nam imprimis ad habenda miracula per aliquem ita ut appareat ipsum esse aliquo modo illius caussam, requiritur ut bene probat Brancatus (1), Fides supernaturalis, qua Hæretici carent, qui eo ipso quod in uno etiam articulo infideles sint, Fidem amiserunt. Deinde siquod miraculum quis illorum faceret pro vero articulo, daretur ansa rudibus credendi etiam iis, quæ contra Catholicam Fidem doceret: ergo in confirmationem erroris non possunt fieri miracula. Antecedens verum esse comperiet, qui meminerit celebre S. Augustini effatum, (2) *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ gremio teneant... tenet authoritas miraculis inchoata*, quæ proinde miracula apta ad persuadendum non agnoscit extra Ecclesiam, quemadmodum clarius alibi exprimit dicens contra hæreticos, *Miracula non facitis, quæ si faceretis etiam ipsa caveremus per instruentem nos Dominum, Exurgent Pseudoprophetæ, & facient signa & prodigia ut fallant*: atque cum his non semel comparat (3) quæ scelerati exhibeant miracula. Mitto alias ejusdem (4) & aliorum Patrum in hanc rem propositiones, ut S. Clementis Romani (5), & S. Irenæi (6), qui ad præstigias, & quamdam cæcitatem mentis eorum, qui illas non animadverterent, reduxit miracula, quæ impii ad confirmationem doctrinæ falsæ jactabant.

145. V. Probatur ex ipsamet confessione hæreticorum, & quovis modo errantium. Illi enim, qui jam extiterunt, & adhuc sunt, si de re ipsorum sit conservare errores suos contra veritatem, vel alios errores, quos in eorumdem detrimentum quis tentet disseminare, postulant miracula tamquam veræ & legitimæ doctrinæ argumenta. Sic Lutherum fecisse contra Thomam Muncerum docet Ræmundus (7). In quo videas, quam parum sibi cohæreant. qui dum urgentur a Catholicis proferre miracula pro sua secta, cum conscii sint nulla unquam extitisse, & nulla unquam fore, dicunt miracula jam esse inutilia.

146. VI. Probatur a posteriori. Plerique hæresiarcharum tam certi erant de impossibilitate ut miracula pro suis erroribus fierent, ut ne finxerint quidem hæc vel a se vel ab aliis secum sentientibus facta esse. Hoc certe non legitur neque de Jo: Wiclefo Anglo Presbytero, dum suos errores promulgaret damnatos in Concilio Constantiensi anno 1414. ab ejus morte 27., neque de Jo: Hus Boehmo, neque de hujus adjutore Hieronymo Pragensi, cum Sæculo XV. Val-

(1) Bra. de Mirac. nu.797.
(2) S.Aug. contr. Epist. fundam. c.4.
(3) Id. lib.83. Quæ. qu.79. Et lib.2. de Serm. Dom. in monte ca.40.
(4) Id. in Joan. tr.13. & 14.
(5) Cle. Recognit.
(6) S. Iren. contr. hæref. li.1. ca.13. Et li. 2. ca. 56.
(7) Ræm, de Ortu hær. li.2. c.1. n.5.

Valdensium & Wiclefistarum hæreses ab eodem Concilio in ipsis damnatas renovabant, neque de aliis multis Doctrinæ Catholicæ corruptoribus. Ex iis autem sive Ethnicis, sive Hæreticis, qui id quammaxime exoptabant, nemo unquam quocumque conatu potuit miraculum ullum patrare, quo populis probaret veram esse religionem seu hæresim suam, aut suaderet non esse absolute certam Fidem Catholicam: immo ne ea quidem aliquo modo mirabilia potuerunt a Dæmone obtinere, quæ illius vim non excedebant, quoties ex circumstantiis planum erat expeti, ut argumentum veræ Fidei.

Legi possunt (1) quanta nequicquam fecerint quadringenti & quinquaginta viri, qui prophetæ Baal dicebantur, ut ab hoc idolo seu Dæmone illud inhabitante obtinerent ignem ad consumationem victimæ sibi oblatæ, provocante Elia, qui parem victimam vero Deo paraverat, ut per hoc sensibile argumentum, quod certe non erat supra potestatem Dæmonis in aliis circumstantiis, dignosceret tandem seductus Israel, qui esset verus Deus adorandus. Habemus in Actis Apostolorum, quod cum filii Scevæ vel contemnentes vel nescientes dictum a Christo, (2) *qui crediderit, in nomine meo Dæmonia ejiciet*, ipsi in Christum non credentes & Judaicæ legis tenaces tentaverint ea ejicere ab homine in nomine Jesu clamantes, (3) *Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat, homo in quo erat Dæmonium pessimum invaluit contra eos ita ut nudi & vulnerati effugerent*. Notum est paganos numquam abegisse virtute suorum Deorum ullum Dæmonem ab obsessis, quo discessu nihil re absolute considerata facilius, & nihil opportunius ad promovendam Idololatriam, adeoque damnationem, cui mali Dæmones tantopere student. Sed cum ex vi præmissæ invocationis Deorum seu adjurationis hic discessus acciperetur pro signo veræ Religionis, redditus fuit ipsis impossibilis, sicuti observarunt SS. Justinus, & Antonius apud Richeomem (4).

147. Venio ad hæreticos. Ab his nullum unquam factum miraculum Joseph Binghamus unus ex ipsis ingenue fatetur, & late etiam (5) ostendit. Et quidem de Manete Sæculi III. monstro author est S. Epiphanius (6), quod cum nequicquam sanationem filii Regis Persarum procuraverit, sicuti in se receperat certo facturum, jubente Rege crudeliter interfectus obiit. De Episcopo Ariano narrant Gregorius Turonensis (7), & Baronius ad annum 484., quod cum

(1) Reg. li. 3. ca. 18.
(2) Mar. ca. 16. v. 17.
(3) Act. ca. 19. v. 19.
(4) Rich. des Miracl. c. 41.
(5) Bin. Orig. antiq. Eccl. ca. 5. §. 7.
(6) S. Epiph. hæres. 66.
(7) Greg. Histor. Franc. li. 2. ca. 3.

cum in suæ hæreseos confirmationem vellet visum restituere homini ad cæcitatis simulationem inducto pacta pecunia aureorum quadraginta, simul ac coram Leovigildo Visigothorum Rege ad illum accedens & manus imponens dixit *Fiat tibi secundum Fidem meam*, subita ille cæcitate acerboque oculorum dolore oppressus totam fallaciam coactus fuit declarare. S. Jo: Damascenus (1) irridet Mahumetem, qui Lunam in duas partes a se divisam dixerit. Nec minus ridicula sunt alia ejusdem miracula, de quibus meminit Csapodius (2), & usque ad decem numerat Cornelius a Lapide (3), ut nihil dicam de ejusdem revelationibus & vaticiniis, quæ quivis cum Pluche (4) facile agnoscat esse inepta mendacia & commenta chimærica. Hæc ignoravit Locke (5), aliter non dixisset a Mahomete nullum umquam miraculum in confirmationem suæ Religionis fuisse venditatum. Nihilominus parum hic impostor sollicitus revera fuit de miraculis, qui sæpe in Alcorano, libro scilicet in quo ipse vel per se vel per alios dogmata & leges suas perscripsit, profitetur se non fuisse missum, ut miracula operaretur, sed ut vi armorum Religionem propagaret.

148. Monachus Polychronius Monothelita cum ageretur Concilium Constantinopolitanum III. coram eo veniens dixit se ibi in omnium conspectu ad vitam revocaturum mortuum, ut pateret veritas suæ fidei de una dumtaxat voluntate in Christo. Recepta a Concilio oblatio: sed cum non potuisset allatum mortuum suscitare, dejectus cum derisione fuit, (6) *quomodo namque*, inquit citatum Concilium *esset possibile blasphemantem in Deum virtutes operarj*? Walemburgenses apud Lambertinum (7) pessundant Calvinistas, qui celebrem stellam, quæ anno 1572. apparuit in Cathedra Cassiopeæ, & paulatim intra triennium evanuit, ausi sunt edicere prodigium esse in approbationem suæ a Fide Catholica decessionis. Martinus del Rio (8) mendacem demonstrat esse Gulielmum Trokerum, qui Elisabetham Angliæ Reginam integro libro conatus est suadere præditam fuisse gratia sanandi strumas. Remundus (9) refert infamiam, quam sibi conciliarunt Lutherus & Calvinus, primus quidem, quia Dæmonem ab obsessa ejicere aggressus Wittembergæ ann. 1554., tamdiu tamquam trochus per totum cubiculum sub continuis verberibus a Dæmone circumactus fuit, donec perfracta tandem ab amicis porta semianimis evasit: in quo renovatum

(1) Dam. de centum hæres. in fine.
(2) Csa. Relig. revel. nu.163.
(3) Lap. in Apoc. ca.13. v.11.
(4) Plu. Spett. de la natu. to. 8. par.1. Demonst. Evang. ca.2. §.2.
(5) Loc. sur les miracl.
(6) Conc. Const. act.15.
(7) Lam. ubi alias ca.3. nu.20.
(8) Rio Disq. Mag. li.1. ca 3. qu.4.
(9) Ræm. de Ortu hær. li.3. ca.11. n.5.

tum fuit exemplum filiorum Scevæ (n. 116.): Secundus vero, quia volens excitare Brulæum quemdam, quem ipse spe lucri ac pecuniæ persuaserat, ut se mortuum fingeret, mortuum revera invenit. Hanc historiam, inquit Pamelius (1) *ocularis testis Hieronymus Belsei in vita ejus descripsit*, eamdemque ab Hæreticorum oppositionibus vindicat Card. Gotti (2), & fusius exponit Jo. Stephanus Menochius (3) ex alia Calvini vita scripta a Jacobo Lainger Doctore Sorbonico. Idem accidisse pariter Cracoviæ alteri ad similem fraudem inducto per prædicantem quemdam Calvinistam narrant varii apud Remundum. Quamobrem observante citato Pamelio ad literam intelligi potest, quod Tertullianus in sua Apostolorum cum Hæreticis comparatione dixit, *Agnosco maximam virtutem* (hæreticorum) *qua Apostolos in perversum æmulantur; illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt*.

149. Allatis exemplis, & aliis apud Malvendam (4), Theophilum Raynaudum (5) & Fevardentium (6) addantur illa tot hypocritarum, quorum celebrata aliquamdiu miracula, ut facta in testificationem Sanctitatis, quam non habebant, publica tandem authoritas deprehendit simulata, & in ipsorum ignominiam convertit. Videri etiam possunt de hoc argumento Bellarminus (7), Pichler (8) & Dauroultius (9).

Articulus II.

Objectiones ex Sacra Scriptura.

150. I. Objicitur. Miracula fuerunt, quæ Magi in Ægypto coram Pharaone fecerunt, virgas scilicet in Serpentes & aquas in sanguinem commutare, & ranas producere: Atqui hæc miracula erant in confirmationem erroris, quod Moyses non esset missus a Deo ad Pharaonem, vel facta fuerint a Spiritu nequam ut communiter Interpretes tenent, & satis significat Scriptura (10) dicens de singulis, quod ea fecerint malefici Ægyptiorum incantationibus suis, & nuper tenent etiam Clarke (11), Cudworthius (12), & Moshemius (13): vel facta fuerint ab ipso Deo ut iterum

(1) Pam. in li. de Præscript. Tertull. ca. 30.
(2) Got. de Eccles. to.1. ca.2. §.6.
(3) Men. stuore par.3. ca.8.
(4) Mal de Antichr. li.7. ca.15.
(5) Ray. Theol. nat. dis.4. qu.4. ar. 6.
(6) Fev. in li.2. Irenæi ca.56.
(7) Bell. de Ecclesia li.4. ca.14.
(8) Pich. Theol. polem. par.1. cont.3. ca. 2. art. 5.
(9) Daur. Flores exempl. ca.1. tit.14.
(10) Exod. ca. 7.
(11) Cla. Relig. natur. & revel.
(12) Cud. system. Intellect. ca.5.
(13) Mosh. not. ad Cudvorthium.

rum iterumque censet præter Fleetwoodum , ut supra (n.108) adnotavi , Jaquelotius dicens (1) *Moyses fecit miracula coram Pharaone, sed Deus permisit , vel potius ipsemet fecit miracula ad verba magorum*: ergo .

151. Resp. *nego maj.* ex rationibus allatis in definitione miraculi . Quod pertinet ad auctores, qui citantur in minori tamquam existimantes miracula fuisse, quæ operati sunt Jannes & Mambres, sic enim juxta Apostolum (2) vocabantur Magi Pharaonis , illos non moror , quia aptam miraculi notionem , qua ipsum a re admirabili secernerent , non habuerunt : & multo minus illos , qui Deum ipsorum authorem dixerunt contra Scripturam , ejusque probatos interpretes . De Fleetwoodo qui idem sensit , & aliunde fassus est Deum non posse facere miracula in confirmationem erroris speciatim adverto ipsum huic difficultati , quam sibi creavit , primo quidem respondisse hominis non esse invenire rationem omnium , quæ Deus faciat : At hæc responsio non est opportuna , tum quia peccat falsa suppositione , quod Magorum miracula essent vera , & Deus illa fecerit : tum quia totam miraculorum vim infringit , & nulla jam amplius apparet eorum utilitas . Secundo respondit Deum ea fecisse per Magos , ut agnosceretur ipsius dominium in res omnes creatas . At hæc responsio iterum importuna est ; Nam neque Magi per incantationes & invocationes Dæmonum hæc operantes ad obscurandam & repudiandam veritatem de Divina Moysis missione , neque alii spectatores , qui ad finem oppositum illi propter quem operabatur Moyses credebant hæc fieri a Magis , poterant in iis & per ea cognoscere verum Deum & ipsius dominium . Tertio dicit eventum comprobasse per ea , quæ Magi fecerunt , manifestatam fuisse Moysis missionem ; Nam magi ipsi fassi fuerunt digitum Dei esse in operationibus Moysis . Ab hæc responsio est prorsus nulla , tum quia nodum ab eo implexum non solvit de impossibilitate ex una parte miraculorum in confirmationem erroris , & existentia ex alia parte miraculorum directe tendentium ad negandam missionem Moysis : tum quia Magi non per ea quæ fecerunt, sed per ea , quæ non potuerunt facere agnoverunt Deum in operationibus Moysis . Quartum excogitavit effugium Clarke , qui vult recurrendum ad numerum & splendorem miraculorum , quæ pro sua providentia Deum dicit numquam permissurum , ut pro vero dogmate desint . Sed Csapodius hoc occludit (3) , quia admissa potestate in Dæmone faciendi vera miracula , vel nescias quæ sint splendida , vel si splendida sunt , quæ superant vires ipsas Dæmonis ,

(1) Jaq. Existe. de Dieu. Diss. 4. Et Conformi. de la Foy. pa. 2.

(2) 2. ad Timoth. ca. 3. v. 8.

(3) Csa. Relig. revela. li. 1. nu. 84.

nis, jam dicendum erit alia, quæ ab ipso Dæmone aliquo modo patrari possunt, numquam debere a Deo usurpari in testimonium alicujus veritatis, quod non admittitur.

152. Instant. Quæ fecerunt Magi Pharaonis, ut Moysis missionem non esse a Deo ostenderent, non differunt ab iis, quæ ad eam suadendam fecerunt Moyses & Aaron: sed hæc fuerunt miracula: ergo & illa.

Resp. *nego maj*. Differentiam fuisse inter utraque, & quidem conspicuam ipsis Ægyptiis spectatoribus, satis declarat Apostolus, qui (1) *reprobos circa fidem* comparans cum his magis dixit, *insipientia illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit*. Si enim omnibus manifesta fuit Magorum insipientia, manifestam necesse est fuisse differentiam in iis, quæ Moysis miraculis Magi opposuerunt. Quæ nunc nobis se prodit differentia, est primo in qualitate. Nam serpens Aaronis devoravit serpentes Magorum. Et (2) *aquæ Ægypti, & fluvii eorum & rivi ac paludes & omnes lacus aquarum* sanguis evaserunt ad motum virgæ juxta Moysis imperium: Sed quæ fuerit quantitas aquæ commutatæ in sanguinem a magis non dicitur. Profecto necesse est fuerit modica aliqua portio hausta ex puteis, quorum aquæ non fuerunt (3) in sanguinem conversæ. Ranæ tandem ad nutum ejusdem virgæ (4) *operuerunt terram Ægypti*. Sed quot fuerint productæ a Magis non dicitur. Quare nescio quo fundamento Brancatus dicat (5) *ranarum in maxima copia productionem in tota terra Ægypti* factam a Magis. Hoc præterea novimus ranas omnes evanuisse, sicut cætera etiam flagella cessasse, quoties Moyses id a Deo postulasset ad preces Pharaonis, qui numquam ad magos confugit, quos numquam beneficos sed maleficos solum cognovit.

153. Deinde differunt numero. Nam Magi prima tria dumtaxat miracula Patriarcharum æmulati sunt (6), sed quartum, productionem sciniphum, non potuerunt efficere, sive hi fuerint culices, ut credit Dominicus Magri (7), sive pediculi, ut alii volunt apud Emmanuelem Sa (8), quos sequitur Prosper Aquila in Dictionario portatili Bibliorum (9), quod e Gallico reddens Italicum amplificavit: nec aliud quicquam dicitur ab iisdem effectum, & ulceribus (10), ac reliquis cum populo plagis subjecti repræsentantur.

(1) 2. ad Timot. c.3.
(2) Exod. c.7. v.19.
(3) Ibid. c.7. v.24.
(4) Ibid. c.8. v.7.
(5) Bran. de Mirac. nu.716.
(6) Exod. c.7. v.8.
(7) Mag. Voci Ecclesiast. ar. Ciniphes.
(8) Sa. Notati. in scrip.
(9) Aqu. art. Maghi.
(10) Exod. c.9. v.10.

Tandem differunt modo. Nam Magi ad invocationes Dæmonum & incantationes dicuntur confugisse. At Moyses describitur exequens imperium Domini eidem datum singulis vicibus, & Pharaoni Dei nomine prænunciatum pro definito tempore cum ea authoritate & confidentia eventus, quæ propria est Prophetæ Domini. Quare tam certus erat Pharao de virtute divina in plagis sibi & regno suo inflictis, ut numquam venerit illi in mentem cogitatio, quam J. J. Rousseau in alias citata sua epistola eidem vellet venisse, quod Moyses & Aaron essent Magi præstantiores suis, & cum taederet malorum quæ patiebatur numquam eos rogaverit dicens, tollite hæc a me, sed (1) *Orate Dominum ut auferat*. Præterea eadem Scriptura significat miracula Moysis repente extitisse ad nutum virgæ, quod non solum non significat de illis, quæ per magos facta fuerunt, sed potius negat dicens de singulis, quod (2) Magi *fecerunt per incantationes similiter*. In incantationibus enim apparet tractus temporis, & in similitudinis nomine imitatio quædam sed imperfecta.

154. Illis interea, qui quærant de modo, quo ea facta fuerint a Magis, non habeo quid certo statuam. Sunt qui cum S. Justino in quæstionibus, quas Gentium nomine Christianis proponit, dicunt Diabolum Magis suffragatum, immutasse oculos inspectantium, ita ut sibi viderentur videre serpentes ranas & sanguinem, quæ non erant: Sed S. Thomæ (3) non placuit hæc opinio & quidem jure; Nam dum hi tollunt unum miraculum, aliud adstruunt in hujusmodi immutatione oculorum tantæ inspectantium multitudinis. Eadem difficultas occurrit iis, qui dicant ut habet idem S. Doctor (4) hæc animalia vel fuisse ex aere conformata a Dæmoniis, vel per acceleratam virgarum aut alterius materiæ putrefactionem una cum immissis in eam opportunis seminibus aliunde advectis fuisse generata, quæ cæteroquin opinio non displicuit S. Augustino (5). Alii cum eodem S. Thoma (6) agnoscunt veros serpentes, ranas, & verum sanguinem in magorum operationibus, sed hoc tribuunt Diabolo, qui eadem aliunde advexerit pro sua celeritate & agendi dexteritate, similemque proinde illum faciunt circulatoribus. Quod hæc opinio Brancato (7) non placeat, fundatur in suppositione gratuita de subita & maxima copia ranarum per totam Ægyptum habita Magorum incantationibus, quod non

(1) Ibid. c. 8. v. 8.
(2) Ibid. ca. 7. v. 11. & v. 21. Et ca. 8. v. 7.
(3) S. Tho. Quæ. disp. de Mirac. qu. 6. art. 5. ad 8.
(4) Id. 1. p. qu. 114. a. 4. ad 1.
(5) S. Aug. de Trin. li. 3. ca. 7. & 8.
(6) S. Tho. 2. 2. qu. 178. a. 1. ad 2.
(7) Bra. de Mirac. nu. 716.

non componitur cum requisito essentialiter tempore ad hujusmodi translationes. Plura dabit Calmet, qui in sua Dissertatione *De veris fictisque prodigiis* de hac re agit.

155. II. Objicitur. Facere ut ignis de Cælo descendat, ut statuæ loquantur, ut curetur brevi plaga incurabilis sunt miracula: Sed hæc prædicit Scriptura facturum Antichristum, ut persuadeat incautis se esse Deum: ergo miracula possunt fieri etiam in confirmationem errorum.

Resp. *dist. maj.* Ea sunt miracula si fiant modo, quo non possunt fieri nisi a solo Deo, *conc. maj.*, secus *nego maj.* Minorem autem omitto, quia si sunt, qui ibi credant sermonem esse de Antichristo, de quo & ejus asseclis apud Matthæum dicitur, (1) *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia*, sunt etiam qui id negant, & diversas allegorias ibidem agnoscunt, ut videre est apud Cornelium a Lapide, quos nuper sequitur Hooke (2), & *nego* tandem *conseqm.* Scriptura enim loquens (3) generatim de prodigiis Antichristi, ea vocat mendacia; utpote ex jam dictis (n 100.) ad fallendum composita, eorumque falsitatem magis etiam declarabit par illud Sanctorum, qui communiter dicuntur fore Henochum & Eliam observante S. Augustino (4), quorum munus erit eo tempore veritates fidei testari, habebuntque ad hunc finem (5) *potestatem claudendi Cælum, aquas convertendi in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.*

Articulus III.

Objectiones ex Historia.

156. I. Objicitur. T. Livius (6) narrat Claudiam Vestalem in signum suæ pudicitiæ movisse sua zona navim, qua simulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, quod arena Tyberis hæserat, & conatibus hominum boumque resistebat. Valerius Maximus (7), Plinius (8), Dionysius Halicarnasseus (9), Tertullianus (10), & Minutius (11) aliam Vestalem Tucciam repræsentant aquam in cribro deportantem in signum pariter suæ pudicitiæ: Sed hæc fuerunt miracula in confirmationem erroris omnium mai

 xim-

(1) Matt. ca.24. v.24.
(2) Hoo. Relig. nat. tom. 2. Diss. de Mirac. ca. 1.
(3) 2. ad Thess. c.2. v.9.
(4) S.Aug de Civit. li.20. ca.29.
(5) Apoc. ca.11. v.6.
(6) Liv. lib. 29.
(7) Val. li.8. ca.1.
(8) Plin. Histor. li.8. ca.2.
(9) Dion. lib.2.
(10) Tert. Apolog. ca.22.
(11) Min. Octavius.

ximi Idololatriæ, præsertim cum Valerius referat Tucciam orasse in hæc verba, *Vesta si sacris tuis castas semper admovi manus, effice ut hoc cribro hauriam e Tyberi aquam, & in ædem tuam perferam*: ergo etiam in confirmationem erroris possunt fieri miracula.

Resp. *conc. maj* & *nego min.* cum S. Thoma, qui de Tuccia loquens dicit potuisse hoc (1) *secundum naturalem virtutem Dæmonis contingere, quia sicut Dæmones possunt movere corpora localiter, ita possunt & a motu retinere*: vel quando quis dicat interfuisse miraculum, tunc dicendum est illud fuisse a Deo *in commendationem virtutis*, quemadmodum in commendationem pietatis erga homines, & reverentiæ erga Deum, (2) *Benefecit Deus obstetricibus Ægyptiis*, quæ ipsum *timentes non fecerunt juxta præceptum Regis, sed conservabant mares*.

157. II. Objicitur. Sozomenus refert Eutichianum e secta Novatianorum (3) *sanasse morbos, & facta ab eo mirabilia, ut virtute, quæ in vita ejus elucebat Constantinum familiarem & amicum sibi efficeret*.

Resp. Sozomenum dicere se hæc referre non tamquam a se visa, sed audita, quin a quo audierit, enunciet. Igitur nullius roboris ex hac parte est hujusmodi narratio. Accedit, quod cum palam Novatianorum erroribus faveat, pronum est credere rumores etiam tenues, qui huic sectæ faverent, sequutum fuisse. Tandem attendi debent hæc S. Gregorii Magni verba, (4) *Sozomeni historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quia in multis mentitur. Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque ad ultimum diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet*, cum tamen noverimus hujus Theodori doctrinam, & personam damnatam deinde fuisse in Concilio Constantinopolitano secundo.

158. III. Objicitur. Donatistæ temporibus S. Augustini proferebant sua miracula. Nostra ætate de quodam Diacono nomine Paris, qui vixit in aperta hæreseos Jansenianæ professione, ita ut ultimis suæ vitæ annis ne præceptum quidem Ecclesiæ recipiendi in Paschate S. Eucharistiam impleverit, quemadmodum in ipsa ejusdem vita ab Jansenistis edita narratur, in eaque hæresi anno 1728. objit utpote a decretis contra ipsam latis a Sede Apostolica appellans ad futurum Concilium, de hoc inquam homine multa narrantur miracula, & de ipsorum aliquibus extant decreta approbationis Episcoporum Antissiodori, & Montis Pessulani, & de omnibus vindiciæ Montgeronii, qui fuit supremæ Parisiensis curiæ consiliarius in suo Gallico opere tribus tomis comprehenso *Veritas miraculorum*,

(1) S.Tho. de poten. q.6. ar.5. ad 5.
(2) Exod. c.1. v.17. & 20.
(3) Soz. Histor. li.1. ca.14.
(4) S.Greg. lib.6. epist. 31.

lorum, quæ facta sunt per intercessionem D. de Paris, & aliorum Appellantium demonstrata, edito partim anno 1737., & partim anno 1747.: ergo ad confirmationem etiam Schismatis & hæreseos extant miracula.

Resp. *dist. ans*. Et hæc miracula erant ficta *conc. ans*, secus *nego ans & conseqm.* Quæ jactabant Donatistæ, notavit jam S. Augustinus (1) ea esse *vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum*, quæ alibi (2) proinde comparat miraculis Simonis Magi & Magorum Pharaonis.

159. Quæ de Diacono Paride vel Parisio referuntur miracula ea duplicis generis sunt, alia quæ maleficia erant magna ex parte, quoniam a convulsionibus dependebant, quibus ad ejus sepulcrum correpti ipsius veneratores post plures incompositos saltus, ridiculas oris contorsiones, ludicras brachiorum vibrationes, & indecoras totius corporis agitationes dicebantur valetudinem recuperare, prophetias edere, & alia admirabilia præstare, quæ tamen supra vires furiosorum vel ceritorum non erant. Sed hæc non objicient credo Adversarii utpote effectus vel furoris vel malorum Dæmonum, qui eos invadebant torquebant, & non raro ad turpia & manifesta scelera inducebant. Restant igitur alia, quæ beneficia prædicabantur, ut Sanationes. At hæc omnia vel conficta esse vel nihil supernaturalis in se habere compertum est, ut docebunt Franciscus Lafiteau (3), & Bergierus (4), & multi, qui de iisdem disseruerunt, in quibus sunt Ludovicus la Taste, qui in suis Epistolis Theologicis omnia jactata ab Jansenistis miracula commentitia ostendit authenticis & legalibus documentis, Et Jo: Joseph Languet, contra quem protulit Montgeronius suam *Veritatem demonstratam*, sed quem Benedictus XIV. (5) *doctissimum* appellavit, *& pastorali flagrantem zelo*, qui cum esset Archiepiscopus Senonensis de illis edidit anno 1734. Documentum Pastorale, in quo copiose & distincte aliqua, quæ vehementius & confidentius obtrudebantur, plane demonstrat falsa ex parte vel morbi vel sanitatis vel testium vel ex omni simul parte, & in his meminit exprese de juridicis argumentis, quibus jam ab anno 1731. Archiepiscopus Parisiensis confictum declaravit miraculum de Anna quadam Le Franc paupere femina a cæcitate & claudicatione aliisque malis liberata post novendiales supplicationes habitas ad sepulcrum infelicis Diaconi. Hoc enim unum ex multis prudentissimus Præsul examini juris ordi-

(1) S Aug. de Unit. Eccl. c.16.
(2) Id. tr. in Jo.13. nu.17.
(3) Lafit. Hist. de la Constit. Unigen. lib.6. ann.1731.
(4) Berg. Confut. dell'esame. p.1. c.6. num. 3.
(5) Bened. de Festis li.1. c.5. n.5.

ordine servato passus fuit subjacere, utpote maxime pervulgatum, ac celebratum a sectariis, ut crimine ab uno etiam imbecilli arguerent similia in aliis esse, quemadmodum pro certo habebant veri fideles sine illo prævio examine ex regula generali, quod nequit esse nisi falsitas & vitium in iis, quæ quis objiciat ad repugnandum sententiis Ecclesiæ Catholicæ, cui infallibilitas promissa est juxta illud, qui (1) *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

160. Quidam etiam ex Protestantibus hæc Parisii miracula irriserunt, ut de Veux, cujus tamen liber propter interspersos errores in albo librorum Romæ prohibitorum adscriptus est: Et Georgius Campbell, qui adhibens plerasque ex regulis supra (n. 80.) stabilitis pro dijudicando miraculo in sanationibus, omnes ab hac dignitate excludit (2), in hoc solum nescio quomodo errans, quod hæc Schismaticorum commenta atque mendacia collocet in numero miraculorum, quæ ab Ecclesia Romana sunt approbata. Utraque tandem potestas sacra & civilis, Ecclesiastica & Regia Parisii miracula obtrudentibus tamquam hominibus hæretico inflammatis furore sese semper opposuerunt, ut narrat Lambertinus (3).

161. Quod pertinet ad decreta Episcoporum Antissiodori & Montis Pessulani Sedes Apostolica & alii Galliarum Episcopi ea proscripserunt dolentes de ipsorum a se separatione, quippe addicti aperte fuerunt Schismaticorum partibus, ut satis intelligitur etiam ex Anonymo earumdem partium fautore, qui *Dictionarium Auctorum Ecclesiasticorum* valde imperfectum composuit, quod Italice prodiit Venetiis anno 1771. ad articulos *Caylus* & *Colbert*. De Montgeronio tandem dico, ejus auctoritatem nullam esse, utpote hominis primum Deistæ, deinde Jansenistæ, qui propterea a Curia Parisiensi expulsus in carcerem etiam detrusus fuit.

162. IV. Objicitur. Auctor quæstionum, quæ cum operibus S. Justini conjungi solent, qui etsi de multis accusetur erroribus, nihilominus non potest non audiri in narratione facti, cujus ipse, qui quarto sæculo vivebat, testis cum aliis videtur fuisse. Ipse itaque quæstione 100. quærit, cur in Ecclesiis occupatis ab Hæreticis fiant miracula, quæ jam contingebant cum pertinerent ad Orthodoxos: ergo ex testimonio hujus Auctoris miracula habebantur etiam per hæreticos, sive in confirmationem eorum hæresis.

Resp. *conc. ans*, & *nego conseqm*, quæ est aperte contraria iis, quæ deinde ipsemet dicit respondens quæsito nulla miracula fieri ab

(1) Matt. ca. 18. v. 17.
(2) Cam. A diss. of mirac. p. 2. sec. 5.
(3) Lam. ubi allat c. 7. nu. 20.

ab hæreticis, sed (1) *qui divina miracula in Ecclesiis edunt. sanctos esse Apostolos & Prophetas & Martyres*. Responsio est tam obvia, ut mirum sit quonam modo nasci potuerit hæc quæstio. Nec quod ea miracula fierent a Sanctis in Ecclesiis occupatis ab hæreticis, haberi potest pro suffragio ipsorum errorum, quandoquidem hæc non dicuntur petita ad eorum confirmationem, quos fortasse qui ea impetrarunt penitus ignorabant, vel de iis tunc non cogitabant.

Articulus IV.

Aliæ objectiones.

163. I. Objicitur. Si fierent miracula vera ad falsas reliquias, ea confirmarent errorem habendi pro reliquiis alicujus Sancti, quæ non sunt hujusmodi: Sed fiunt vel possunt fieri vera miracula ad falsas reliquias: ergo fiunt vel possunt fieri miracula ad confirmationem erroris. Minor est sententia multorum, in quibus Mabillonius dicens (2) *fieri posse vera miracula ad falsas reliquias ob fidem ac pietatem eorum, qui eas veras credunt*, & citat pro se Guibertum abbatem, cujus tamen verba, quæ recitat, non nominant miracula, sed loquuntur de sola impetratione alicujus rei, quam quis petit a Deo per eum, quem credit Sanctum, cum non constet esse Sanctum.

Resp. *dist. maj.* Si fierent vera miracula ad falsas reliquias, quæ expeterentur ad judicandum de veritate illarum reliquiarum, ea confirmarent errorem, *conc. maj.* si fierent miracula ad falsas reliquias, quæ expeterentur ad gloriam dandam Deo in eo Sancto, cujus falso quidem, sed bona fide creduntur reliquiæ, ea confirmarent errorem, *nego maj.* Et eadem distinctione accepta minori *nego conseqm.* Auctores citatos ex ipsis eorum verbis potest satis apparere non prodesse objicienti.

164. II. Objicitur S. Irenæus docet (3) *errorem hæreticorum per illa* (miracula) *nibilo magis confirmari, quam si impietatem Gentium, ideo quod Sol oritur in eos, Deo aliquis gratam putet*. S. Ignatius Martyr hæc habet, (4) *Quisquis dixerit præter illa, quæ statuta sunt, etiamsi signa faciat, etiamsi prophetet, tibi lupus censeatur sub ovis pelle ovium corruptionem moliens*: ergo juxta hos patres miracula fieri possunt etiam ab Hæreticis in confirmationem suorum errorum.

Resp.

(1) Just. Append. par. 1.
(2) Mabill. Eusebii Romani Epistola. nu. 18.
(3) Iren. cont. hæres.
(4) S. Igna. Epist. ad Heronem 10.

Resp. *conc. ans & nego conseqm*, quæ non descendit. Nam illa dicta sunt per hypothesim impossibilem. Sic ex eo, quod Apostolus dixerit, (1) *Licet nos aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, numquid possumus inferre, ergo Apostolus sibi aliquando contradixit, vel Angeli de Cælo eidem contradixerunt? Aliter etiam excipi potest consequentia distinguendo a veris miraculis falsa, qualia erunt, quæ fiunt a Pseudochristis & Pseudoprophetis juxta Christi Dn. prædictionem (2), & quæ Patres potuerunt habere præ oculis, dum visi sunt supponere miracula pro erroribus fieri posse a malis etiam sive hominibus sive Dæmoniis.



PARS

(1) Ad Galat. c.1. v.8.

(2) Matth. c.24. v.24.

PARS IV.

De Existentia Miraculorum.

PROPOSITIO I.

Multa ante legem Gratiæ extiterunt miracula.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

165. Ropositio est I. contra illos, qui miracula negant, quia non possunt intelligere quomodo sint. Ex his fuerunt Sadducæi, secta inter Judæos præsertim divites & potentes, qui ut ait Maldonatus, (1) *nihil quod supra naturam esse videretur, credere volebant*, & propterea (2) *non esse resurrectionem neque Angelum neque spiritum* dicebant, abutentes ipsis Scripturis ad eos irridendos, qui hæc docerent & crederent, quod cum ausi essent facere etiam cum Christo Dno, mitissime illis respondit, (3) *erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Istos imitati sunt ii, quos S. Augustinus (4) confutat multa adducens, quorum rationem nec ipsi nec ullus hominum reddere potest, quæ ceteroqui ipsi iidem admittunt.

166. II. Est contra illos, qui quæ proferantur miracula ad præstigias Dæmonum reducunt. In his fuit Vigilantius apud S Hieronymum (5). III. est contra Deistas, qui hæc vel per caussas naturales conantur explicare, vel inter fabulas habent. Primam viam tenent quotquot ex dictis (n. 127.) negant miraculorum possibilitatem, quibus recenter adhæsit furiosus auctor Gallici commentarii *Christianismus detectus*, qui maledicit Moysi, propterea quod ut ipse ait abusus fuerit hac via sibi nota in præstandis, quæ de ipso narrantur, prodigiis ad ignarum vulgus decipiendum, & pro suo libito dirigendum. Eamdem tenuit jam olim Petrus Pomponatius in libro de Incantationibus contendens omnia, quæ dicuntur miracula, esse effectus naturales corporum præsertim cælestium per eorum motus & influxus. Fortasse satis est ad ejus confuta-

(1) Mald. in Matt. c.22. v.23.
(2) Act. c.23. v.8.
(3) Matt. c.22. v.24.
(4) S Aug. de Civit. li.21. c.5. & 8.
(5) S.Hier. c. Vigila. li.3.

futationem meminisse de hoc ipsius fundamento, nihilominus Bordonus (1) ejusdem impugnationem ex professo exhibuit.

Per secundam viam alii passim procedunt ut David Hume, qui (2) commemorans aliqua miracula descripta in Pentateucho, concludit satis aperte, ut jam observavit Campbell (3), ab hujusmodi narrationibus reddi Pentateuchum prorsus incredibilem: Et auctor libelli *Pensées philosophiques*, quem Trevoltiani (4), Bergierius (5), & Nonnote (6) referunt profitentem ne resurrectionem quidem mortui, quam suismet oculis videret, persuasuram sibi quicquam suis ratiociniis contrarium.

167. Et Jo: Jac. Rousseau unus ex insignibus nostræ ætatis incredulis, qui referente Nonnote (7) primo fuit hæreticus, deinde Catholicus, tum Calvinista, post Deista, homo lippis & tonsoribus jam notus tum ex publicis nunciis elapsi anni 1776, qui ipsum narrarunt humi cum impetu dejectum a majori cane ante essedam currente diu vita Parisiis periclitatum fuisse: tum ex pluribus libris tam impudenti impietate plenis, ut eos Ecclesiastica, & Civilis potestas in pluribus locis proscripserit, eumque suamet patria Geneva, & aliæ etiam regiones exilio damnaverint. Hic sibi objicientibus religionem revelatam miraculis comprobatam esse, credit se satisfecisse respondendo apud Valsecchium, (8) *Equidem nullum umquam vidi*: alibi vero apud Nonnotem (9) addit ne videre quidem se ullum velle, quia *vehementer*, inquit, *timerem ne in insaniam inciderem, si quod viderem*: Sed omnem tandem timorem repulit, dum apud eumdem omnibus perpensis conclusit (10) *neminem posse certum se reddere de existentia ullius miraculi*. Mitto alias sacrilegas responsiones, quas dum idem Nonnote componit cum aliis ejusdem contradictoriis propositionibus, jam quantum satis ab hoc incredulo, utpote homine qui sibi non constat, propositionem liberavit.

AR-

(1) Bord. de Mirac. medit. 2. nu. 1.
(2) Hu. Essay of mirac. p. 2. sub fin.
(3) Camp. dis. on. mirac. p. 2. sec. 6. sub fin.
(4) Tre. ann. 1750. art. 35.
(5) Berg. Confut. dell' esame p. 1. c. 3. nu. 6.
(6) Nonn. Diction. ar. mirac. sub fin.
(7) Id. ibid. tit. Tollerance. ar: Tollerance mutu. nu. 10.
(8) Vals. Fond. della Relig. li. 3. p. 2. ca. 5. nu. 7.
(9) Non. Dictio. art. mirac. entret. 4. in fine.
(10) Ibid. 2. entret.

ARTICULUS II.

De Miraculis Veteris Testamenti in cognitionibus.

168. Recensionem miraculorum Veteris Testamenti Brancatus (1) instituit secundum ordinem, quo in Sacris Literis a Genesi incipiendo occurrunt, & numerat quinquaginta quatuor supra centum: Erit cui placeat distributio desumpta ab iis, in quibus vel per per quos acciderunt, ut Noe Abrahamo Tobia Josue Gedeone Samsone Isaia Elia Eliseo Daniele Moyse, cujus prodigia commemorata in diversis Scripturæ libris numerantur usquæ ad sex supra septuaginta, & reperiuntur etiam indicata a veteribus profanis auctoribus ab Huetio (2) citatis. Mihi placet partitio in miracula cognitionum divinitus infusarum, & ea quæ facta fuerunt in Cælo Igne Aere Aqua & Terra, ad quam deducit, quod scriptum est, (3) *Dabo prodigia in Cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem & vaporem fumi.*

169. Incipiendo igitur a miraculis cognitionum, in his primo occurrunt Prophetiæ, quæ in hominibus cujusvis ætatis sexus ac ordinis, pueris & feminis, fidelibus & ethnicis, bonis & malis, doctis & indoctis, nobilibus & rusticis, sacerdotibus & regibus frequentes emicuerunt. Maria enim soror Aaron (4), & Debbora (5) prophetissæ appellantur a Scriptura, qualem fuisse & Annam matrem Samuelis probat ipsius Canticum (6): Samuel & Daniel erant pueri: Moyses Eliseus & Amos pastores: Isaias Ezechias Hieremias & Zacharias pater S. Jo: Baptistæ, sacerdotes & nobiles: Josephus primus post regem in Ægypto: Sophonias Ezechiæ regis abnepos: David tandem fuit rex.

170. Præcipuæ ex prophetiis hæ sunt. Noe centum annis ante & amplius prædixit diluvium, quod stato tempore contigit. Abraham adhuc sine liberis (7) audiit a Domino se illis tandem potiturum, & posteritate innumerabili, quæ peregrina in terra non sua servitutem quadringentis annis pateretur, & tandem dives ad propria revertens de omnibus sibi adversantibus triumpharet. Veritatem prædictionis demonstravit commoratio Hebræorum in Ægypto, eorum ibidem oppressio, & inde facta egressio duce Moyse, & possessio totius Palæstinæ per insignes victorias sub Josue reportatas.

(1) Branc. de mirac. nu.10.
(2) Hue. Dem. Evang. pro.4. ca.2.
(3) Act. ca.2. v.19.
(4) Exod. ca.15. v.20.
(5) Judic. ca.4. v.4.
(6) 1. Reg. ca.2.
(7) Gen. ca.15.

tatas. Patriarcha Joseph primo prædixit alteri ex duobus (1) qui secum erant in carcere Ægyptiaco post triduum liberationem & ad pristinam dignitatem revocationem, alteri vero suspensionem in cruce: deinde (2) Pharaonem præmonuit de magna per septem annos fertilitate, quam significabant septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, quas Rex per somnium viderat, & de succedanea septem pariter annorum sterilitate a septem bobus macilentis, septemque spicis vento urente percussis præmonstrata: tandem moriens certos reddidit Fratres suos de eorum futuro discessu ab Ægypto, ad possessionem terræ, (3) *quam Deus juravit Abraham Isaac & Jacob*.

171. Hic Jacob inter multas prophetias circa filios suos & tribus, quarum singuli futuri erant quasi duces, habuit illam celeberrimam de nascituro ex tribu Juda humani generis redemptore eo definite tempore, quo hæc spoliata esset omni imperio: (4) *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*. Quo exordio præmisso cum aliis, quæ significabant se magnum quid dicturum, quod in gloriam Judæ & posterorum ejus redundaret, expositam prophetiam sic enunciat, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Atque omnia ita evenerunt. Etenim Tribus Judæ a tempore quo sub Davide supremam nacta est authoritatem, eamdem retinuit aliquo modo usque ad tempus Herodis, qui cum Idumæus esset, fuit a Romanis constitutus cum imperio supra Judæos, quos sibi subjecerant, & sub eo Christus natus est. Dum floruit regnum Judæ usque ad Sedeciam ipsius regem ultimum, evidens est non defuisse ducem de femore Judæ: per captivitatem autem Babylonicam amisit quidem hæc tribus splendorem regni, non vero duces seu magistratus, qui jus vitæ & necis retinuerunt & exercuerunt, ut patet ex historia Susannæ. Post reditum a captivitate ita remansit in tribu Juda summa rerum, ut cæteræ ab hac una absorptæ videantur, cum non aliter tota natio deinde appellata fuerit nisi Judæorum.

172. Respondet hæc prophetia illi, quam Jacobi avus Abraham audivit in præmium sui erga Deum obsequii, (5) *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: atque ambæ aliam illustrant acceptam a primis hominibus statim post ipsorum peccatum de nascituro ex ipsis (6), qui caput seductoris serpentis contereret. Frequentes deinceps

(1) Ibid. ca. 40.
(2) Ibid. ca. 41.
(3) Ibid. ca. 50. v. 24.
(4) Ibid. ca. 49. v. 8.
(5) Ibid. ca. 22. v. 18.
(6) Ibid. ca. 3. v. 15.

inceps prophetæ extiterunt, qui ut loquar cum S. Augustino (1) *Christum Dei Verbum, Deique filium Deum in carne venturum, inque illo remissionem peccatorum salutemque æternam futuram esse credentibus prænunciarunt*. Daniel (2) ipsum tempus hujus adventus designavit, & de ejusdem morte, ac Judæorum excæcatione & punitione præloquutus est. Isaias palam fecit nobilitatem ipsius generis secundum carnem, ejus nativitatem ex Virgine, splendorem miraculorum, morum sanctitatem, excellentiam doctrinæ, efficaciam prædicationis, & alia multa, quæ ad ejus vitam passionem mortem sepulturam, Idololatriæ destructionem, Gentium conversionem, Ecclesiæ gloriam pertinent, ut (3) *Evangelista potius*, inquit Bellarminus, *quam propheta fuisse videatur*.

173. David in Psalmis 21, & 68, quasi esset in Calvario descripsit Christi tormenta, mentionem faciens de opprobriis & irrisionibus, de perforatis manibus & pedibus, de ossibus in cruce luxatis, de vestimentis per sortem divisis, de felle in escam, & de aceto in potum datis, Et in Psalmo 15 vidit ipsum ad vitam revocatum, & in Psalmo 2 triumphantem tamquam Dei filium de omnibus inimicis suis, Et in Psalmo 71 dominantem super omnes gentes, & ab omnibus terræ regibus adoratum. Permulta, quæ his consonant habentur in Deuteronomio (4), in Tobia (5), Hieremia Baruch (6), Ezechiele (7), Joele, Michea (8), Habacuch, Sophonia, Aggæo (9), Zacharia (10), Malachia (11). Quæ omnia fuisse veras prophetias, & ut tales habitas ab ipso Hebræorum vulgo testantur etiam ethnici historici Tacitus (12), & Suetonius (13), qui circa Christi tempora vixerunt, & in eo easdem complementum suum obtinuisse sæpe advertunt Novi Testamenti Scriptores, dum ea enunciant facta, contra futuros hæreticos atque deistas, qui negant vel dubitant, an immediatum ipsarum objectum sint res, quæ deinde post longum temporis intervallum acciderunt.

174. Moyses prædixit (14) se, & Aaron (15), & omnes Israelitas annis viginti majores (16) morituros præter Caleb & Josue ante ingressum in terram promissionis, eosque, qui ea tandem potiti fue-

(1) S. Aug. Epis. ad Volusian.
(2) Dan. c. 9.
(3) Bel. de Script. art. Isaia.
(4) Deu. ca. 18. v. 15. & 18.
(5) Tob. ca. 14.
(6) Bar. ca. 3.
(7) Ezec. ca 38. & 39.
(8) Mich. ca. 5. v. 2.
(9) Agg. ca. 2. v. 8.
(10) Zach. ca. 9.
(11) Mal. ca. 3. v. 1.
(12) Tac. li. 5.
(13) Suet. in Vespas. ca. 4.
(14) Deut. ca. 4. v. 21.
(15) Num. ca. 20. v. 12.
(16) Ibid. ca. 14. v. 29. Et Deut. ca. 1. v. 35.

fuerint vel potius donati a Divina largitate, futuros (1) ipsi Deo ingratos & rebelles per gravissima scelera, & quamdam in ipsis obstinationem, & propterea subituros insignes calamitates, dispersionem, captivitatem, & hac via ad Deum cum lacrymis redeuntes ejus clementiam experturos in opportunis, quos daturus erat liberatoribus, cujusmodi leguntur in libro Judicum.

175. Samuel perquam multa præmonstravit (2) Sauli, cum in Regem Israelis ex Dei mandato eum inunxisset, eidemque deinde prænunciavit regnum ab eo transferendum (3) in alium ipso meliorem in poenam suæ contra Dei mandata contumaciæ: Et Ahias (4) in duas partes idem regnum dixit scindendum sub Roboamo filio Salomonis, & decem tribus Jeroboamo tribuendas: atque hic jam Rex factus thus in altari incendens Idolo audivit ab anonymo propheta nasciturum Josiam, qui (5) immolaret super illud altare Sacerdotes Idolorum, sicuti factum est: Et iterum ab eodem Ahia jam sene accepit (6) per uxorem ad eum simulate venientem, sed a Propheta licet cæco agnitam durum nuncium de morte filii & excidio totius familiæ, quemadmodum contigit sub Baasa, qui abstulit sibi regnum Israel, interficiens regem Nadab filium Jeroboam, & omnem ejus domum (7) *non dimittens ne unam quidem animam de semine ejus propter peccata quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Israel*: atque hujus internecionis exemplum propter eadem peccata renovatum est in domo ipsius Baasa juxta verbum Domini ad Jehu filium Hanani (8), & iterum in Domo Achab juxta illud factum (9) ad Eliam, & utrisque regibus declaratum. Quin verbum Domini factum ad Eliam, quod complementum habuit in regno Joram filio Achab, iterum factum fuit ad Elisæum (10), ab eoque communicatum Jehu filio Namsi per illum, quem jussit ad eum ire & inungere in Regem Israel, qui tantam tragoediam exequeretur.

176. David prænovit victoriam a se obtinendam de Amalecitis, qui (11) Siceleg expilaverant & incenderant, & de Philistiim Ceilam oppugnantibus, & sui ac sociorum suorum traditionem in manus Saul a viris Ceilæ faciendam, si ibi remaneret. Anonymi Prophetæ (12) repetitam victoriam de Syris per Hebræos obtinendam sub eorum Rege Achab præmonuerunt: Et Eliseus illam de Moa-

(1) Deut. ca.29. 30. & 31.
(2) 1. Reg. ca.10.
(3) Ibid. ca.15. v.28.
(4) 3. Reg. ca.11. v.30.
(5) Ibid. ca.13. v.2.
(6) Ibid. ca.14.
(7) Ibid. ca.15. v.29.
(8) Ibid. ca.16.
(9) Ibid. ca 21. v.17.
(10) 4. Reg. ca.9.
(11) 1. Reg. ca 30.
(12) 3. Reg. ca.20.

Moabitis (1) sub rege Joram filio Achab: Michæas vero filius Jemla (2) mortem ipsius Achab in bello contra Regem Syriæ, & illam successoris filii Ochoziæ (3). Eliseus indicabat (4) *regi Israel omnia quacumque* loquebatur *in conclavi* suo Rex Syriæ pugnans contra Israel. Idem prædixit in terribili fame civitatis Samariæ, quam Benadad Rex Syriæ obsidebat futura crastina die cibaria vili pretio, & ducem, qui eum interpellavit tamquam de absurda prædictione, visurum rem oculis suis, sed non comesturum, sicuti contigit fugientibus de nocte obsessoribus, & omnia in castris relinquentibus, quæ cum populus in urbem deferret, ducem illum qui constitutus erat ad portam (5) *conculcavit in introitu portæ & mortuus est*. Idem Eliseus consultus ab ipso Benadad ægrotante per nuncium Hazael an sanari posset, respondit (6) regem quidem moriturum, sed Hazael contrarium nunciaturum, & præterea ipsummet futurum regem Syriæ crudelem contra filios Israel usque ad immanitatem. Eventus vaticinii partes omnes coepit proxima die, qua Hazael suis manibus Regem suffocavit, comprobare. Idem Eliseus jam ægrotans ad mortem (7) consolatus est Joam regem Israel flentem coram eo prædictione trium victoriarum contra Syriam pro tribus vicibus, quibus jaculo terram percussit. Hieremias mortem intra annum enunciavit Hananiæ propter mendacia sparsa in populo tamquam verba Domini, & (8) *mortuus est Hananias propheta in anno illo*. Idem iterum iterumque descripsit imminentem ruinam Hierosolymæ, eversionem templi, & captivitatem populi sub Rege Babylonis Nabuchdonosor (9), quæ contigit tempore Sedeciæ Regis Judæ (10), ejusque durationem per annos septuaginta (11).

177. Daniel præmonstravit, quæ sibi non semel revelata fuerunt de quatuor celeberrimis imperiis, primo (12) sub imagine statuæ visæ per somnium a Nabuchdonosor, cujus caput aureum erat symbolum imperii Assyrii: pectus & brachia argentea symbolum Persici: venter & femora ærea Græci: tibiæ ferreæ desinentes in pedes partim ferreos, partim fictiles Romani. Et deinde sub imagine soli Danieli repræsentata grandium bestiarum (13) Leænæ Ursi Pardi, & quartæ sine alio nomine, quam *terribilis atque mirabilis & fortis nimis bestia*. Et iterum Regni Persici finem prædixit

(1) 4. Reg. ca.3.
(2) 3. Reg. ca.22.
(3) 4. Reg. ca.1.
(4) Ibid. ca.6 v.12.
(5) Ibid. ca.7. v.17.
(6) Ibid. ca.8. v.12.
(7) Ibid. ca.13. v.19.
(8) Jer ca.28. v.16.
(9) Ibid. ca.32.
(10) Ibid. ca.39.
(11) Ibid. ca.29.
(12) Dan. ca.2.
(13) Ibid. ca.7.

dixit sub figura arietis, quem (1) *hircus caprarum*, *rex Græcorum* conculcavit, brevemque regni Græci durationem per ejusdem divisionem statim post primum Regem Alexandrum Macedonem in quatuor minora regna, quæ novimus fuisse Macedoniæ, Ægypti, Asiæ, & Syriæ, & ex his unum futurum superbum crudelem & impium qui Judæos pessime affligeret, & *contra Principem principum* consurgeret, sed qui *sine manu* tandem contereretur. Quod veritatem patefecit in Antiocho, sicuti cætera omnia quæ videri possunt distincte declarata a Benedicto Pererio, Hectore Pinto, aliisque Danielis interpretibus.

Idem Daniel eidem Nabuchdonosor Regi Babylonis gradienti in superbiam præsignificavit insaniam, expulsionem a regia, commorationem in sylvis, & vitam ferinam septem annis duraturam, donec adoraret (2) *Excelsum qui dominatur super regnum hominum & cuicumque voluerit dat illud*, quemadmodum *post finem mensium duodecim* completum est; Etenim *ex hominibus abjectus est & foenum ut bos comedit, & rore Cæli corpus ejus infectum est*. De hac punitione extat Dissertatio Calmeti, quam inscripsit *De metamorphosi Nabuchdonosoris*. Idem Baltassari prædicti Regis filio interpretatus est terribilem scripturam ignotis digitis in conspectu ipsius convivantis cum optimatibus uxoribus & concubinis exaratam, quæ significabat regnum sibi auferendum, & Medis ac Persis dandum ob suam Idololatriam & contemptum Dominatoris Cæli, quod brevi factum est; Nam (3) *eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in Regnum*.

178. Ezechiel cum esset captivus Babylone longam Jerosolymæ obsidionem sub Nabuchdonosore, ejusque tandem miserabile excidium brevi futurum per horribiles allegorias prædicavit gentilibus suis, ne de amissa patria tantopere dolerent, & ut debitam Deo obedientiam præstarent ad majora sibi mala avertenda. Eodem tempore Hieremias in ipsa Jerosolyma hæc ipsa mala aperte remota omni figura prænunciavit, (4) *Ait Dominus, dabo Sedeciam regem Juda, & qui derelicti sunt in civitate hac a peste & gladio & fame, in manu Nabuchdonosoris . . . . Posui faciem meam super civitatem hanc in malum, in manu Regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni*. Eamdem Judæorum captivitatem multo etiam ante Oseas, Amos, Micheas, & Habacuc vaticinati sunt. Rursus Isaias de nova Hierosolymæ & templi ædificatione loquutus est ducentis annis ante, nominans expresse & iterato (5) Cirum Persici imperii auctorem, per quem

(1) Ibid. ca. 8. v. 2.
(2) Dan. ca. 4.
(3) Ibid. ca. 5. v. 30.
(4) Hier. ca. 21. v. 7. & 10.
(5) Isa. ca. 44. v. 28. Et ca. 45. v. 1.

quem hæc fierent tamquam triumphantem de gentibus & tamquam paſtorem qui diſperſos in captivitate Hebræos ad propria reduceret, ita ut cum deinde referente Joſepho hæc ipſi Ciro ad legendum fuiſsent propoſita, ſtupore plenus fuerit & gaudio de completa per ſe Dei voluntate.

Ejuſdem Iſaiæ eſt alia oppoſita prophetia, quam veram quotidie a tanto tempore cognovimus de Babylone, quæ ſemel everſa, numquam amplius foret ædificanda (1), *Erit Babylon illa glorioſa in regnis, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham, non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem & generationem*. Abdias prædixit cladem Idumæorum, hujuſque cauſſam, conſpirationem cum Chaldæis ad affligendos filios Iſrael. Nahum ruinam Regis Aſſyriorum, & vaſtationem Ninives per Chaldæos. Sophonias excidium Palæſtinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Aethyopum, & aliarum Gentium. Mitto alias prædictiones eventuum magis particularium quæ paſſim in Sacris literis occurrunt.

179. Poſt prophetias ad miracula cognitionum pertinet ingenii vis admirabilis aliquibus indita. Hujuſmodi fuit, quam univerſa Hebræorum Reſpublica admirata fuit in præclaris artificiis ad externum Dei cultum divinitus revelatum pertinentibus, quæ intra paucos menſes perfecerunt Beſeleel de tribu Juda, & Ooliab de tribu Dan. Nam Beſeleem Dominus (2) *implevit ſpiritu Dei & ſapientia & intelligentia & ſcientia & omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro argento & ære ſculpendiſque lapidibus, & ambos erudivit ſapientia ut facerent opera polymitarii ac plumarii de hyacintho ac purpura, cocco bis tincto & byſſo, & texant omnia, & nova quoque reperiant*. Huc ſpectat quam Hebræis pueris Danieli Ananiæ Miſaeli & Azariæ captivis apud Regem Babylonis, ſed ibi etiam legem Domini religioſe obſervantibus (3) *dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum*. Quare non ſolum (4) *omne verbum ſapientiæ & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex invenit in eis decuplum ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in univerſo regno*: Sed audita a Daniele narratione ſomnii de ſtatua, quæ habebat caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, tibias ferreas, pedes autem partim ferreos, partim fictiles, cujus oblitus erat idem Rex, intellectaque ejuſdem explicatione (5) *Nabuchdonoſor cecidit in faciem ſuam*

(1) Ibid. c. 13. v. 20.
(2) Exod. c. 35. v. 31.
(3) Dan. c. 1. v. 17.
(4) Ibid. v. 20.
(5) Ibid. c. 2. v. 46.

suam, & Danielem adoravit, & hostias & incensum praecepit ut sacrificarent ei.

Nec minor, quin immo illustrior fuit sapientia Salomoni concessa; Veniebant enim (1) *de cunctis populis ad eum audiendum. & ab universis regibus terrae*. Nam dedit illi Deus (2) *cor sapiens & intelligens intantum, ut nullus ante similis fuerit, nec post surrecturus sit.*

Cum hæc vulgo ipsi nota sint, quis non admiretur auctorem Dictionarii philosophici portatilis describere nobis antiquos Hebræos, tamquam fæcem hominum errantium omni scientia arte & opibus expertem? Scilicet hoc postulabat, ut arguit Nonnote (3) illius odium in gentem, quæ verum Deum semper coluit, nec vitia lumini naturæ opposita unquam docuit posse in republica dissimulari aut tolerari.

ARTICULUS III.

De miraculis Veteris Testamenti in Cælo.

180. MIraculum in Cælo fuit singularis longitudo diei ad petitionem Josue, quando (4) *ut ulcisceretur se gens de inimicis suis stetit sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei*. Qui invenerunt referente Nonnote (5) in veteribus Sinensium monumentis commemoratum solem sub Imperatore Hiao stetisse supra ipsorum horizontem dies decem, credunt ex hac Josue Historia derivatam hanc fabulam, & inde confirmant, quod per alia argumenta concluditur, monumenta Sinensia longe abesse ab ea antiquitate, quam temere aliqui præsertim Increduli dictitant.

Alia in Cælo miracula fuerunt regressio umbræ in horologio solari (6) in signum valetudinis recuperandæ ab Ezechia rege Juda quemadmodum ipse expostulaverat ab Isaia, dum sanationem & vitæ productionem per annos quindecim prænunciaret. Angelus Raphael dux datus in via Tobiæ juniori, & magnorum bonorum distributor ipsius parentibus & consanguineis. Angelus pariter nescio quis, qui (7) *apprehendit Habacuc in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui* (ex Judæa), *posuitque eum in Babylone supra lacum* Leonum, in quem missus fuerat Daniel, ut reficeretur prandio ab eodem ipsi allato, & *restituit Habacuc confestim in loco suo*. Voces de Cælo (8) in

(1) 3. Reg. c. 4. v. 3.
(2) Ibid. c. 3. v. 12.
(3) Non. Dict. phi. art. Moyse. n. 4. & 217.
(4) Josu. c. 10.
(5) Non Dict. phil. art. Chinois. pag. 200.
(6) 4. Reg. c. 20. & Isai. c. 38. v. 8.
(7) Dan. c. 14. v. 3.
(8) Exod. c. 20. v. 18.

in monte Sinai audiente universa Hebræorum gente erumpentes inter sonitum tubæ, splendorem ignis, & fumi augustam caliginem. Nubes (1) Domini, quæ videntibus omnibus incubabat per diem, & ignis per noctem Sanctuario, quod pro Hebræis in deserto constructum & completum fuit (2) juxta mandatum Domini.

181. Apparitiones Domini hoc est Angelorum nomine Dei juxta communiorem Theologorum sententiam, & ipsorummet Angelorum nomine suo, quæ multæ sunt. Atque aliæ dicuntur corporales, quia factæ sub assumpto aereo corpore, & propterea (3) *communiter*, inquit S. Thomas, *ab omnibus videntur*. Ex his sunt, quæ contigerunt primis parentibus, Adamo, Cain, Noe, Agar, Lot, Jacob, Moysi, Iosue, Gedeoni, parentibus Samsonis, Tobiæ, Danieli, Zachariæ prophetæ, Judæ Machabæo, Zachariæ Patri S. Joannis Bap. & Abrahamo, quem ultimo commemoro, ut mentionem faciam de novem apparitionibus & alloquutionibus divinitus eidem factis, I. cum jubetur patria relicta adire Canaan. II. cum Canaan ipsa eidem semel promittitur quasi in præmium obedientiæ. III cum hæc promissio renovatur post discessum fratris Lot. IV. cum audiit, (4) *Numera stellas si potes, sic erit semen tuum*. V. cum recepit circumcisionis præceptum. VI. cum prædictum ipsi fuit (5) excidium Sodomæ. VII. cum (6) Agar & filium ejus jussus est a domo sua removere. VIII. cum mandatum accepit filium immolandi. IX. tandem cum ab hoc sacrificio impeditus fuit. Ad apparitiones corporales pertinet illa Samuelis, quem jam mortuum Pythonissa (7) petente Saule suscitavit, qui repente adveniens prænunciavit Sauli proximam cladem exercitus, suique ac filiorum suorum mortem.

Quantum ad apparitiones imaginarias sic dictas juxta S. Thomam, quia (8) *sunt in sola imaginatione videntis, unde non videntur indifferenter ab omnibus*, hæ accidunt tam in somniis quam in vigilia. Hujusmodi fuerunt, quas Abimelec Rex Geraræ (9), Laban (10), Salomon (11), & Mardocheus (12) habuerunt.

Sunt & aliæ apparitiones intellectuales appellatæ, quia cum constet Deum loquutum esse homini, non constat an id fecerit sub visibili forma & voce humana. Tales juxta Tostatum sunt, quæ enunciantur in Prophetis per hæc verba *Dicit Dominus*.

 182. Aliæ

(1) Ibid. c. 40. v. 36. & Numer. c. 10. v. 34.
(2) Exod c. 38. v. 22.
(3) S. Tho. 1. p. q. 51. ar. 2.
(4) Gen. c. 15.
(5) Ibid. c. 18.
(6) Ibid. c. 21.
(7) 1. Reg. c. 28.
(8) S. Tho. 1. p. q. 51. art. 2.
(9) Genes. c. 20. v. 3.
(10) Ibid. c. 21. v. 24.
(11) 4. Reg. c. 3.
(12) Esther. c. 11.

182, Aliæ sunt, quæ aliquid participant de jam dictis speciebus, in quibus hæ occurrunt. Daniel de se sic narrat (1), *Ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo, & corpus ejus quasi chrysolitus, & facies ejus velut species aeris candentis: & vox sermonum ejus ut vox multitudinis. Vidi autem ego Daniel solus visionem, porro viri qui erant meum non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum*. Vir terribilis equo insidens apparuit Heliodoro ministro Seleuci Regis Assyriæ, dum in Jerusalem tentabat cum suis satellitibus expilare templi ærarium, & calcibus ipsius equi humi illum prostravit, ubi duo juvenes, qui cum eo apparuerunt (2) *virtute decori, optimi gloria speciosique amictu circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant*, ipsique vitam donari dixerunt propter oblatum Domino pro salute sua sacrificium ab Onia Sacerdote. *Viri* (3) *quinque qui apparuerunt de Celo in equis frænis aureis decori, ducatum Judæis* sub duce Machabæo pugnantibus contra copias Eupatoris filii Antiochi impii *præstantes, ex quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conservabant, in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti*. Eques (4) *qui apparuit præcedens Judæos in veste candida armis aureis hastam vibrans*, dum ad novum bellum procederent contra ejusdem Eupatoris octoginta millia peditum præter millia equitum, & octoginta elephantos. Quo aspectu recreati (5) *Leonum more impetu irruentes in hostes prostraverunt ex eis undecim millia peditum & equitum mille sexcentos, universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt*. Est tandem apparitio Oniæ (6) Summi Sacerdotis apud Hebræos, & Jeremiæ prophetæ facta Judæ Machabæo ad illum excitandum ad pugnam cum promissione victoriæ de Blasphemo Nicanore, quam obtinuit prostratis non minus *triginta quinque millibus*, & ipso Nicanore occiso, cujus lingua præcisa particulatim avibus data, manus contra templum suspensa, & caput in summa arce collocatum, *ut evidens esset & manifestum signum auxilii Dei*.

Ar-

(1) Dan. c. 10. v. 5.
(2) Mach. li 2. c. 3.
(3) Ibid. c. 10. v. 29.
(4) Ibid. c. 11.
(5) Ibid. v. 11.
(6) Ibid. c. 15.

ARTICULUS IV.

De Miraculis Veteris Testamenti in igne.

183. Miracula in igne fuerunt, dum in formam columnæ præcedebat Hebræos ab Aegypto abeuntes, ut (1) *luceret eis per noctem*. Dum *nihil* (2) *potestatis habuit in corporibus* trium puerorum, qui missi fuerant in fornacem Babylonis, neque in eorum vestibus quæ non fuerunt immutatæ, sed solum in administris, contra quos irruit flamma, eosque interfecit, & in eorum vinculis quæ consumpta fuerunt; Nam (3) *ceciderunt in medio ignis colligati, & ambulabant in medio flammæ*. Qui commenti sunt dari corpora humana, quæ ab igne naturaliter non lædantur, fabulatores & circulatores esse ostenderunt jam Maiolus (4), & Pignatellus (5). Dum descendens de Cælo (6) consumpsit Sodomam & alias finitimas civitates. Dum subito devoravit (7) milites Ochoziæ iterato ad Eliam adducendum missos, & duos filios Aaron, eo quod (8) *abreptis thuribulis posuerunt ignem & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum*: & (9) *extremam castrorum partem* Israelis propter *murmur quasi dolentium pro labore contra Dominum*, impedita per preces Moysis ulterioris ignis propagatione: & alios (10) *ducentos quinquaginta viros*, qui (11) cum non essent de semine Aaron accesserunt ad offerendum incensum Domino: & iterum (12) *quatuordecim millia hominum & septuaginta* ex multitudine contra Moysen & Aaron rebellante reliquis servatis ab Aarone, qui subito accurrens ex Moysis mandato, & *stans inter mortuos ac viventes* precibus pro ipsis fusis incendium extinxit.

184. Dum juxta ritum eidem Moysi revelatum impositis in deserto ab Aarone victimis super altare (13) *egressus ignis a Domino devoravit holocaustum & adipes*, quod contigit etiam (14) victimis Salomonis, & illis Eliæ (15), etiamsi aqua superinfusa madentibus, & sacrificio quod ex azymis panibus, coctis carnibus & jure desuper fuso compositum a Gedeone supra petram, ascendens (16) *ignis de petra consumpsit*. Hæc celeberrima miracula divino consilio ad perpetuam

(1) Psa. 104. v. 39.
(2) Dan. c. 3. v. 94.
(3) Ibid. v. 2.
(4) Mai. Dies canic. to. 1. colloq. 22.
(5) Pign. tom. 4. consul. 110.
(6) Gen. c 19. v. 4.
(7) 4. Reg. c. 1.
(8) Levit. c. 10. v. 1.
(9) Nume. c. 11. v 1.
(10) Ibid. c. 16. v. 35.
(11) Ibid v. 40.
(12) Ibid. v. 49.
(13) Lev. c 9. v. 24.
(14) Parali. li. 2. c. 7. v. 1.
(15) 4. Reg. c. 18. v. 38.
(16) Judic. c. 6. v. 21.

tuam ipforum memoriam in facris libris diftincte commemorata, utpote quæ facta fuerunt ad fuadendum cultum & timorem veri Dei contra Idololatriam late tunc diffufam, Jo. Jacobus Rouffeau audet apud Nonnotem(1)qui tantam incredulitatem cum mala fide conjunctam admiratur, contemnere tamquam effectus habitos per lentes uftorias, quales vel pueri jam efficiant.

Dum alterum facrificium, quod Nehemias redux e captivitate Babylonica paraverat, ignis fimiliter fole refulgente accenfus combuffit licet afperfum aqua haufta ex loco, ubi olim Sacerdotes antequam captivi traherentur in Perfidem, ignem de altari abfconderunt. In quo tamen diffimulari non debet,quod Emmanuel Sa in fuis in hunc locum notationibus putat hoc miraculum *non habere authoritatem Scripturæ*, quia Sacer hiftoricus dicit hoc a majoribus narratum fuiffe. Dum Samfonis genitores offerentes Domino holocauftum juxta confilium Angeli fecum colloquentis fub fpecie hominis, viderunt (2) *afcendente flamma altaris in cælum Angelum Domini pariter in flamma afcendere*. Dum (3) *currus igneus & equi ignei diviferunt* Eliam ab Elifeo, *& afcendit Elias per turbinem in Cælum*. Exquo miraculo *Poetas*, inquit Chryfoftomus, *ac Pictores in figuranda Solis imagine exempla credo fumpfiffe*, *unde Elias vere Helios*. Dum multitudo (4) *equorum & curruum igneorum in circuitu Elifei* apparuit in ejus defenfionem contra robur exercitus, quem Rex Syriæ ad eum capiendum miferat.

Huc referam fplendorem inditum vultui Moyfis (5) *ex confortio fermonis Domini* in monte Sinai, ut timorem incuteret ipfum infpicientibus, quare (6) *operiebat ille faciem fuam*, *fiquando loquebatur ad eos*. Vulgata bis exprimit hunc fplendorem per faciem cornutam, quod ut cum S. Thoma advertunt Interpretes collecti ab Jo. Interian de Ayala in fuo *Pictore Chriftiano erudito* (7), quos fequitur Lambertinus (8) *non intelligendum eft Moyfem habuiffe cornua ad literam*, ficut *quidam eum pingunt*, *fed dicitur cornuta propter radios*, *qui videbantur effe quafi cornua*.

AR.

(1) No. Dict. ar. Miracl. 2. Entr.
(2) Jud. c. 13. v. 20.
(3) 4. Reg. c. 2. v. 11.
(4) Ibid. c. 6. v. 17.
(5) Exod. c. 34. v. 29.
(6) Ibid. v. 35.
(7) Aya. li. 3. c. 13.
(8) Lam. ubi alias c. 26. n. 13.

ARTICULUS V.

De Miraculis Veteris Testamenti in aere.

185. Miracula in aere fuerunt, dum tota atmosphæra nubibus fuit occupata per quadraginta dies, & quadraginta noctes, quibus (1) *facta est pluvia supra terram*. Dum sub celebri Pharaone (2) redundavit in Aegypto præter quam in terra Gessen, in qua populus erat Hebræus, omni genere muscarum, quæ Pharaone orante Moysen, & hoc Deum, sublatæ tandem fuerunt, ut *ne una quidem* superfuerit. Dum alia vice per ventum urentem elevatæ locustæ (3) *sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ erant vastantes omnia*, donec ventus vehementissimus ad preces Moysis a Rege exoratas omnes (4) *projecit in mare rubrum ne una quidem remanente*. Dum ibidem excepta pariter Gessen emissa sunt (5) *tonitrua & grando tantæ magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit, quæ percussit cuncta quæ fuerunt in agris, & omne lignum regionis confregit*. Dum circa Gabaon sub Josue similis grandinis tempestas facta est contra fugientes Amorrhæos (6), & *mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel*. Habetur de hoc miraculo apud Calmet *Dissertatio de pluvia lapidum in Chananeos*. Dum in Aegypto jussu Moysis horribiles tenebræ densatæ sunt, ut (7) *tribus diebus nemo videret fratrem suum, nec moveret se de loco, in quo erat*, reservata luce locis omnibus, quæ *habitabant filii Israel*. Dum Hebræis abeuntibus ex Aegypto (8) per diem columna nubis, & per noctem columna ignis *dux erat*, quæ accedentibus equitibus & curribus Pharaonis ad illorum excidium abiit (9) *inter castra Aegyptiorum, & castra Israel ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent*.

186. Dum illata in Sanctuarium templi a Salomone ædificati arca fœderis (10) *nebula implevit domum Domini. & non potuerunt Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam*. Dum trium (11) annorum serenitate afflictum fuit regnum Achab Idololatræ. Dum (12) nubes coturnicum supra castra Israel in deserto semel descendit, ut ea coperi-

(1) Genes. c. 7. 11.
(2) Exod. c. 8. v. 22.
(3) Ibid. c. 10 v. 14.
(4) Ibid c. 10. v. 19.
(5) Ibid. c. 9. v. 24.
(6) Josu. c. 10. v. 11.
(7) Exod. c. 10. v. 22.
(8) Ibid. c. 13. v. 21.
(9) Ibid. c. 14. v. 19.
(10) 3. Reg. c. 8. v. 10.
(11) 3. Reg. c. 18. v. 1.
(12) Exod. c. 16.

riret; manna vero per annos qnadraginta (1), quam colligerent ad victum juxta præscriptam pro singulis diebus mensuram quæ dupla erat die sexta, ut sufficeret etiam Sabbato, quo ad hujus Sanctificationem non decidebat. Dum per ipsum aerem volitantes (2) *corvi deferebant Eliæ panem, & carnes mane, & similiter panem & carnes vesperi*: qui deinde nullo indiguit cibo per totos quadraginta dies, quibus (3) *ambulavit usque ad montem Dei Horeb* recreatus pane subcinericio, & aqua ab Angelo sibi delata.

187: Dum Machabæorum tempore visi sunt (4) *per universam Jerosolymorum civitatem diebus quadraginta per aera equites discurrentes, & hastis armati*, quasi prænuntii ingentium malorum, quæ (5) *propter peccata habitantium civitati impendebant*. Dum (6) Benadad rege *Syriæ obsidente Samariam Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum & equorum & exercitus plurimi*, quo perterriti *fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, animas tantum suas salvare cupientes*.

ARTICULUS VI.

De Miraculis Veteris Testamenti in aqua.

188. MIraculum in aquis fuit diluvium universale, quod obruit ipsos totius terræ montes cum omnium viventium exitio solum salvis, quæ arca a Noe fabricata juxta formam sibi divinitus revelatam excepit. Horrenda hujus miraculi tragœdia duravit plusquam integro anno, cujus funestum calendarium exhibet Carolus Erra (7) juxta opinionem Basnages, Usserii, & Gordoni, in eoque invenias miraculum quoad substantiam tum propter aquatum quantitatem, & nubium universitatem supra totum globum terræ, quod nunquam naturaliter accidit; Nam venti, qui in una regione congregant nubes, in aliis easdem dissipant: tum propter bestias etiam ferocissimas determinato numero ex singulis speciebus stato tempore venientes ad arcam, ut ibi a Noe includerentur, (8) *Nec fuit*, inquit Augustinus, *ista cura hominis sed divina; non enim ea Noe capta intromittebat, sed venientia; Ad hoc enim valet, quod dictum est, intrabunt ad te, non scilicet hominis actu, sed Dei nutu*. Invenias etiam miraculum quoad subjectum; Nam naturale est pluere super terram alicubi, non tamen naturale est pluere ubique eodem tem-

(1) Ibid. c. 16. v. 35.
(2) 3. Reg. c. 17. v. 3.
(3) 3. Reg. c. 19. v. 8.
(4) Mach. li. 2. c. 5. v. 2.
(5) Ibid. v. 12.
(6) 4. Reg. c. 7. v. 6.
(7) Err. Hist. utriusq. testam. li. 1. c. 9.
(8) S. Aug. de Civit. l. 15. 27.

tempore. Invenias tandem miraculum quoad modum propter diuturnitatem 40. dierum & 40. noctium, quibus pluvia decidit tanta vehementia, quantam exprimunt illa verba (1) *Cataractæ Cæli apertæ sunt*, in quibus obviam figuram noluit agnoscere Incredulus, qui apud Nonnotem in suo Dictionario art. *Deluge* ab his cataractis objectionem contra diluvii historiam creavit. Atque hæc miracula in contrarium sensum repetita sunt, cum iterum aquæ jussæ sunt abire, & aridam habitabilemque terram relinquere, quod pariter ne caussis naturalibus factum quis crederet, aperte Scriptura tribuit Deo (2), *Recordatus est Deus Noe... Imminutæ sunt aquæ*.

189. Miraculum iterum in aquis insigne habemus, dum (3) Aegypti flumen percussum virga Moysis primo commutatum fuit in sanguinem, deinde ad novum ejusdem virgæ nutum emisit immensam ranarum vim, quæ totam etiam regiam, domos singulas, cubicula omnia, & strata & mensas operuerunt. Dum se diviserunt (4), & se sustinuerunt *quasi murus a dextra eorum & læva*, donec Hebræi transirent mare rubrum sub Moyse, & Jordanem (5) sub Josue, & donec Elias simul cum Eliseo (6), & iterum solus Eliseus (7) idem flumen traiicerent. Dum eodem Eliseo volente, ferream securim (8) in eumdem Jordanem delapsam quasi esset lignea sursum eiecerunt, & supra se natantem donec tolleretur, sustinuerunt. Dum ex amaris (9) dulces evaserunt in Mara, simul ac lignum, quod Dominus ostendit Moysi, fuit in illas infusum, a quo tamen naturali vi hunc effectum productum fuisse probabilius dici censuit Lambertinus (10) post Franciscum Vallesium (11), præsertim cum huc illud referatur, (12) *Altissimus creavit de terra medicinam & vir prudens non abhorrebit illam: Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Et dum ex pessimis factæ sunt innoxiæ in Jerico per sal (13) ab Eliseo in earum fontem missum, hoc est per rem, quæ si naturaliter opportuna est ad curationem aquarum, ut tenent citatus Vallesius (14), & Cornelius a Lapide, inepta profecto est ad faciendas aquas potabiles, ut observat Maldonatus (15), & ad corrigendas in perpetuum aquas fontales, hoc est quæ non sunt, sed erunt præsentes. Dum in deserto Sin ex silice bis percusso virga a Moyse (16) *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus bi-*

N *be-*

(1) Gen. c. 7. v. 11.
(2) Ibid. c. 8. v. 1.
(3) Exod. c. 7. v. 20.
(4) Ibid. c. 14.
(5) Josu. c. 3. v. 16.
(6) 4. Reg. c. 2. v. 8.
(7) Ibid. v. 14.
(8) Ibid. c. 6. v. 6.
(9) Exod. c. 15. 25.
(10) Lam. ubi alias c. 25. nu. 10.
(11) Val. de Sacra Philos. c. 15.
(12) Eccli. c. 38.
(13) 4. Reg. c. 2. v. 20.
(14) Val. de Sac. philos. c. 34.
(15) Mald. in Evan. Joa. c. 5. v. 4.
(16) Exod. c. 17. v. 6. Et Num. c. v. 11.

beret & jumenta, quicquid contra hoc miraculum dicat D'Argens (1) sequutus Tacitum in rebus ad Religionem spectantibus frequenter fabulantem.

190. Huic simile contigit sub Joram Rege Israel in deserto Idumææ, ubi languente exercitu ob inopiam aquæ impetrata ea fuit sine vento, & sine pluvia per quamdam divinam evocationem e longinquo, quæ abundanter defluxit in fossas jam antea ejusdem Prophetæ jussu excavatas: Et simile etiam vel potius magis admirabile, quod de Samsone vehementer sitiente post magnam Philisthiim cædem scriptum est, quod eidem (2) *aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis refocillavit spiritum & vires recepit*. Dum ut comprobaret Samuel Israelitis malum quod fecerant (3) *in conspectu Domini petentes super se regem* juxta id, quod iisdem prædixerat, ad invocationem Domini, *dedit Dominus voces & pluvias in illa die*: & *timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem*; Dum (4) *facta est pluvia grandis* Elia eam prænunciante post tres annos, quibus (5) nec ros nec pluvia fuit in Regno Achab ad ipsum ejusque populum puniendum.

Dum per aquam Jordanis, in qua jussu Elisei Naaman princeps militiæ Regis Syriæ septies abluit corpus lepra infectum (6), *& restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est*. De quo miraculo fuse disserit Vallesius (7), & qui de lepra agunt, ut Calmet in *Disquisitione de Natura caussis & effectibus lepræ*. Dum epotæ (8) ab uxoribus adulteris mortem foedissimam, innocentibus vero foecunditatem afferebant. Dum Jonam in mare projectum, & a ceto deglutitum per triduum sustinerunt, donec piscis in arida ipsum incolumem evomeret. Dum probatica piscina, quæ erat Jerosolymis, solum quando commota esset ab Angelo nescias quo, ut notat Maldonatus (9), nec quando, an semel in anno, an sæpius, nec a quanto tempore, an Christo jam nato, an paulo, an multo etiam ante, erat præsens & absolutum remedium cujuscunque morbi in eo, qui prior in ipsam descendisset. Quod miraculum nescias pariter an & quamdju obtinuerit etiam post Christi mortem. Ad aquas refero, quod ad humilem Gedeonis petitionem semel (10) *ros in solo vellere*, quod in area posuerat *fuerit, & in omni terra siccitas: & rursus siccitas in solo vellere & ros in omni terra*.

AR-

(1) Arg. Philos. du bon sens. reflex. 1. §. 5.
(2) Judic. c. 15. v. 19.
(3) 1. Reg. c. 12. v. 17.
(4) 3. Reg. c. 18. v. 45.
(5) Ibid. c. 17. v. 1.
(6) 4. Reg. c. 5. v. 14.
(7) Val. de Sac. philos. c. 38.
(8) Num. c. 5. v. 17.
(9) Mal. Comm. in Joa. c. 5. v. 4.
(10) Judi. c. 6. v. 37.

ARTICULUS VII.

De Beneficis Veteris Testamenti Miraculis in Terra.

191. MIracula in terra cum multa sint, commemorabo primum, quæ beneficium & commodum, deinde quæ punitionem & damnum, & tandem quæ neutram ex his rationibus aperte explicant. In Miraculis primi generis sunt extraordinariæ Sanationes Nativitates Vires Conservationes Multiplicationes Victoriæ Resuscitationes. Quæ mihi in singulis occurrunt, hæc sunt.

Maria soror Moysis (1) ipso intercedente obtinuit sanationem a lepra, qua percussa fuerat repente in poenam suæ in fratrem obtrectationis: Et Abimelech Rex Geraræ & tota ipsius domus (2) ad preces Abraham a morbis, quos Deus ipsis immiserat, quia Saram Patriarchæ uxorem apud se Rex retinebat: Et Rex Jeroboam ab ariditate & immobilitate manus, quam contraxerat ipsam extendens (3) contra Anonymum Prophetam, qui ejus Idololatriam reprehendebat. idque postquam ad ejusdem preces idem propheta pro eo *oravit faciem Domini*: Et Ezechias Rex Judæ ab ulcere, quo moriebatur, imposita (4) per Isaiam supra illud massa ficorum: Et Tobias senior a cæcitate per applicatum ipsius oculis fel piscis(5) sibi ab Angelo demonstrati: Et milites Regis Syriæ a communi pariter cæcitate ipsis superveniente, quando missi ad capiendum Eliseum, hoc orante Dominum, (6) *Percute obsecro gentem banc cæcitate*, *percussitque eos Dominus ne viderent*, donec ipsomet propheta duce ingressi Samariam ad novas ejusdem preces, *Domine aperi oculos eorum, viderunt se esse in medio Samariæ*.

192. Nativitates plenæ miraculis sunt illæ Isaac ex conjugibus Abraham & Sara a facultate generandi jam remotis propter senectutem, præmissa jam ante iterata promissione (7) divinitus facta hujus prolis: Et illa Samsonis de sterili muliere uxore Manue, qui juxta verbum Domini ipsis communicatum per Angelum aggressurus erat (8) *liberare Israel de manu Philisthinorum*: Et illa filii Sunamitidis ex sene genitore ipsi ab Eliseo impetrata in præmium suæ erga se pietatis: Et illa S. Joannis Bapt. ex Zacharia (9) jam sene, & Elisabeth uxore, quæ pariter processerat in diebus suis, Angelo prænunciante ipsi Zachariæ, quod exaudita esset ejus deprecatio, & non so-

(1) Num. c. 12.
(2) Gen. c. 20. v. 17.
(3) 3. Reg. c. 13. v. 4.
(4) 4. Reg. c. 20. v. 7.
(5) Tob. c. 11. v. 14.
(6) 4. Reg. c. 6. v. 18.
(7) Gen. c. 18. v. 10. & 14.
(8) Jud. c. 13. v. 5.
(9) Luc. c. 1.

solum ipse, sed multi in filii sui nativitate essent gavisuri.

193. Vires supra naturam visæ sunt primo in Samsone homine tanti roboris ut (1) *dilaceraverit leonem, quasi hoedum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* & bis disruperit novos funes (2), & semel (3) *septem nerviceos funes*, vincula quibus ligatus erat, *quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine*, & consurgens de somno (4) secum nullo conatu abduxerit clavum terræ infixum cum licio, cui per proditionem fuerant ipsius capilli circumvoluti; & ambas portæ fores cum postibus suis, & sera imponens (5) *humeris suis portaverit ad verticem montis*. Atque his viribus potuit solus (6) semel triginta viros Ascalone percutere, & alias mille (7) interficere mandibula asini armatus, quam cum quater nominet Scriptura intra paucos versus, non potest nisi cum fastidio audiri, qui in Observationibus Hallensibus apud Aquilam in Dictionario Scripturæ ar. *Sansone* illam commutare conatus est in validam militum manum. Iisdem tandem potuit ita concutere duas columnas, quibus innitebatur (8) *domus plena virorum ac mulierum*, & in qua *erant omnes principes Philisthinorum, ac de tecto ac solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes* ipsum, ut ea repente corruente *multo plures interfecerit moriens, quam ante vivus occiderat*. Deinde in Davide, qui (9) pascens patris suis gregem, si veniebat Leo vel Ursus & tollebat arietem de medio gregis persequebatur eos, & percutiebat & eruebat de ore eorum, & si hæ bestiæ consurgerent adversus eum, apprehendebat mentum earum, & suffocabat interficiebatque eas.

194. Conservationis admirabilis exemplum habemus alterum in Isaac, qui jam proximus morti, quam Pater ex Dei mandato suis manibus jam inferebat, novo jussu Dei per Angelum subito adstantem communicato fuit conservatus: Alterum (10) in Hebræorum calceis & vestibus, quæ per totos annos quadraginta eorum in deserto commorationis non sunt attrita. Tertium in Daniele, qui semel per invidorum contra se machinationem annuente Rege Dario missus in lacum Leonum, inventus est postero die illæsus, quia (11) *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum & non nocuerunt illi*: Et iterum sub rege Cyro Babylone inclusus in similem lacum amice vixit sex diebus cum septem leonibus, quibus (12) *dabantur duo corpora quotidie & duo oves, & tunc non data sunt eis ut devorarent Danielem*, prandio interea sibi allato ab Habacuc propheta, *quem apprehendit Angelus*

(1) Judic. c. 15. v. 6.
(2) Ibid. v. 14. & c. 16. v. 12.
(3) Ibid. c. 16. v. 7.
(4) Ibid. v. 14.
(5) Ibid. v. 3.
(6) Ibid. c. 14. v. 19.
(7) Ibid. c. 15. v. 15.
(8) Ibid. c. 16. v. 27.
(9) 1. Reg. c. 17. v. 35.
(10) Deut. c. 29.
(11) Dan. c. 6. v. 22.
(12) Ibid. c. 14. v. 31.

lus Domini, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu Spiritus sui,

195. Ex multiplicationibus insignibus altera fuit in domo viduæ, quæ Eliam in Sarepta excepit, cui (1) *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus* juxta verbum Domini, quod loquutus fuerat in manu Eliæ usque ad diem in qua pluit post siccitatem trium annorum. Altera, dum (2) Eliseus oleum pro alia vidua, & viginti panes hordeaceos (3) pro multis hominibus ita multiplicavit, ut eorum fami superessent.

196. Vt de Victoriis divinitus acceptis aliquid dicam occurrit subito expugnatio Jericho, quæ ab Israelitis capta & eversa fuit novo obsidionis & tormentorum genere, circuitionibus scilicet militum & populi cum arca Domini circa muros ejus per sex dies semel initis, & clangore tubarum ac vociferationibus universi populi uniformiter elevatis ad imperium Josue septimo die cum septimum eadem die circuitum inirent, quo fragore (4) *muri illico corruerunt & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, coeperuntque civitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea a viro usque ad mulierem, & ab infante usque ad senem. Vrbem autem & omnia quæ erant in ea succenderunt absque auro & argento & vasis æneis ac ferro* juxta mandatum Domini. Occurrit iterum præclarum Gedeonis facinus, qui Madianitas, & alios Orientales populos quasi (5) *locustarum multitudinem* contra Hebræos congregatos aggressus de nocte cum tercentis militibus, armatis lagena vacua cum lampade in ejus medio, & tuba impulit in fugam & mutuam sui cædem, simul ac (6) *coeperunt buccinis clangere & complodere inter se lagenas, & clamare Gladius Domini & Gedeonis*: cui similis est clades bis illata prægrandi exercitui Benadad Regis Syriæ, semel (7) per ducentos triginta duos aulicos Achab regis Israel, & iterum per ejusdem Achab copias, quæ erant (8) *quasi duo parvi greges caprarum*, quæ (9) *percusserunt de Syris centum millia peditum in die una*, oppressis viginti septem millibus hominum, qui remanserant in Aphec ruina muri supra ipsos cadentis: Et alia clades exercitus Nabuchdonosor regis Assyriorum sub eorum duce Holoferne, hoc est (10) *peditum bellatorum centum viginti millia, & equitum viginti millia*, quæ prope Bethuliam consecuta est ipsius Holofernis cædem, cui caput Judith obtruncavit.

197. Restant in classe Miraculorum utilium mortui ad vitam revo-

(1) 3. Reg. c. 17. v. 16.
(2) 4. Reg. c. 4. v. 5.
(3) Ibid. v. 44.
(4) Josu. c. 6. v. 20.
(5) Iudic. c. 7. v. 12.
(6) Ibid. v. 19.
(7) 3. Reg. c. 20. v. 15.
(8) Ibid. v. 27.
(9) Ibid. v. 29.
(1) Joduith. c. 7.

vocati, alter ab Elia (1), & alter ab Eliseo (2) cum adhuc viveret, qui deinde jam sepultus (3) alium reviviscere quodammodo jussit. quando ejus cadaver in eodem sepulcro projectum tetigit ejus ossa.

ARTICULUS VIII.

De poenalibus aliisque in Terra miraculis Veteris Testamenti.

198. VEnio ad Miracula punitionis. Hujusmodi fuit confusio linguarum, dum repente novæ linguæ auditæ sunt, cum antea esset (4) *tota terra labii unius*. Quare *cum non audiret unusquisque vocem proximi sui*, opus fuit ab incœpta Babelicæ turris constructione desistere, & per mutuam familiarum secessionem statim aggredi totius terræ præscriptum incolatum. Sed illustrior punitio est per insecta morbos & clades. Ut aliquid de singulis dicam, in insectis commemorabo sciniphes (n.153.) quando percusso per virgam Moysis terræ pulvere (5) *omnis versus est in sciniphes per totam terram Aegypti*. Et mures, qui undique eruperunt per totam regionem Philisthiim (6), quando arcam Domini in prælio captam apud se septem mensibus retinuerunt.

199. In morbis præter illos, qui dederunt locum sanationibus dictis (n.191.) sunt (7) *ulcera vesicarum turgentium in universa terra Aegypti* simul ac Moyses cinerem de camino dispersit in Cælum: Et morbus qui percussit Philisthæos (8) *in secretiori parte natium*, quæ computrescentes fecerunt *interfectionem magnam nimis* Azoti primum, & deinceps in singulis ipsorum urbibus, ad quas arcam Domini in bello captam deducebant. Quare *ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in Cælum*, ut eam remittere ad Hebræos tandem decreverint cum aureis vasis includentibus ad expiationem delicti anos & mures aureos symbolos poenarum quas sustinuerant, secundum numerum urbium ipsorum. Quemadmodum exequuti sunt arcam supra plaustrum novum imponentes, quod duæ vaccæ quæ lactabant vitulos domi inclusos eidem junctæ recta duxerunt ad terminos Bethsames. Et congeries malorum, quibus Deus percussit blasphemum Antiochum, dum contra Jerusalem tenderet, scilicet (9) *insanabilis & invisibilis plaga, & dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta*, & lapsus de curru cum gravi *corporis collisione*, quæ ipsum tandem occiderunt, post-

(1) 3. Reg c. 17. v. 22.
(2) 4. Reg. c. 4. v. 35.
(3) Ibid. c. 13.
(4) Genes. c. 11.
(5) Exod. c. 8. v. 17.
(6) 1. Reg. c. 5.
(7) Exod. c. 9. v. 10.
(8) 1. Reg. c. 5. v. 6. & 12.
(9) Mach. c. 9.

postquam coeperat vermibus e corpore scaturientibus vivus putrescere, ut *odore etiam illius & foetore exercitus gravaretur*.

200. In mortibus ad manifestam punitionem illatis habemus illam Aegyptiorum, dum (1) *in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum Pharaonis usque ad primogenitum captivæ, & omne primogenitum jumentorum*. Et illas Hebræorum, quos Dominus (2) *percussit plaga magna nimis* in poenam desiderii carnium piscium ceparum & vilium ciborum Aegypti tam effraenati, ut sedentes & flentes, tumultuose hæc commemorarent, & mannam cælitus quotidie descendentem contemnerent. Et illam seditiosorum hominum Core, Dathan, & Abiron, quos terra ex improviso dehiscens ad verba Moysis absorbuit cum omni ipsorum familia & substantia. Et illam (3) *centum octoginta quinque millium* ex militibus blasphemi Regis Assyriorum Sennacherib, qui jussu Dei una nocte occisi fuerunt ab Angelo: quod alii apud Calmet in *Dissertatione de dissipato exercitu Sennacherib* coniiciunt factum per vulnus internum, alii per ignem. Et illam, propter quam (4) *luxit populus* Bethsames, *eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna*, quia in arcam Domini, quæ apud illos reversa fuerat, minori quam debuit reverentia se gesserat. Mortui enim repente ceciderunt vel septuaginta ex quinquaginta millibus, qui erant in eo populo, vel septuaginta supra quinquaginta millia juxta duas interpretationes, quæ dantur illi loco (5) *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis*, de quibus meminit Emanuel Sa, tertiam etiam commemorans, quam nuper Jo. Bernardus de Rossi apud Ephemerides Literarias Romanas (6) videtur magis probare, quæ ut verbis prædicti Sa utar sic habet, (7) *Hebræi putant sensum esse, septuaginta quidem solos fuisse interfectos, sed adeo excellentes, ut pro quinquaginta millibus computari possent*. Et illam Ozæ, quem (8) extendentem manum ad arcam Dei *percussit Dominus super temeritate, & mortuus est ibi juxta arcam Dei*. Et illam anonymi Prophetæ, qui rediens (9) ab Jeroboamo, quia comedit & bibit in loco, in quo præceptum sibi fuerat a Domino non comedere neque bibere, prænunciatam mortem subit occisus a Leone in via, qui stetit cum asino ejusdem prophetæ juxta cadaver, donec ex civitate venirent, qui ipsum asportarent & sepelirent. Et illam (10) *septuaginta millia virorum* Israelitarum, spatio trium dierum ex peste a Deo immissa ad punienda ipsorum peccata, maxime vero superbiam Regis David. Et illam tandem pecorum quæ erant in agris Ae-

(1) Exod. c. 12. v. 29.
(2) Num. c. 11. v. 3.
(3) 4. Reg. c. 19. v. 35.
(4) 1. Reg. c. 6. v. 19.
(5) 1. Reg. c. 6. v. 19.
(6) Efem. an. 1776. n. 34. ar. Parma
(7) Sa. Notation. in totam Scriptur.
(8) 2. Reg. c. 6 v. 6.
(9) 3. Reg. c. 13.
(10) 1. Reg. c. 24. v. 15.

Aegyptiorum, quæ una die (1) *mortua sunt omnia*, ingruente *super equos & asinos & camelos, & boves & oves pesti valde gravi*, per quam perierunt quæcunque inventa sunt ex his brutis non quidem in domibus, sed in agris; Hoc enim expresse prædictum fuit (2) quod non advertit Bolingbroke, qui habens præ oculis equitatum Pharaonis post paucos dies aquis Erythræi submersum putat se contradictionem in sacro libro invenisse.

201. In cladibus celebres sunt illæ Philisthiim ab Judith Samsone, & arca Dei sub Heli jam commemoratas, & quam iidem acceperunt sub Samuele, quando ineuntes prælium contra Israel, (3) *Intonuit Dominus fragore magno & exterruit eos, & cæsi sunt, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel, & reddita sunt urbes, quas tulerant ab Israel Israeli*.

202. Restant miracula, in quibus minus clara est ratio commodi aut damni. In his colloco, quod ex ipso asinæ ore insonuerit loquutio humana, quando hoc jumentum (4) cum Balaam domino suo colloquutum est. Et quæ visa sunt in Job, primo quidem miracula patientiæ, quando Deus permisit ipsum affligi a Dæmone subita morte septem filiorum & trium filiarum sub ruina domus, & jactura omnium bonorum, quæ erant (5) *septem millia ovium & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ ac familia multa nimis*, & tandem sævissimo morbo, de quo Calmet dissertationem protulit, hoc est (6) *ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus*. Deinde vero miracula Divinæ remunerationis tantæ virtutis, quando tandem (7) *Dominus benedixit novissimis Job magis quam principio ejus, & facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ*, duplum omnium, quæ antea habebat, præter septem iterum filios & tres filias speciosas supra omnes universæ terræ mulieres, & vita concessa (8) *post hæc centum quadraginta annorum, & vidit filios suos & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem*. Et quæ acciderunt in Moyse, quando evocatus in montem, ibi (9) *fuit cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit*. Quod prodigium iterum renovatum fuit in Elia, qui postquam de subcinericio pane & aqua sibi delatis ab Angelo (10) *comedit & bibit, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus*. Et tandem quod contigit tribus lictorum manibus successive missis a Saule contra David, & ipsimet Sauli ad ipsum perdendum pro-

(1) Exod. c. 9. v. 6.
(2) Ibid. v. 3.
(3) Reg. c. 7. v. 10.
(4) Num. c. 22. v. 28.
(5) Job. c. 1. v. 2.
(6) Ibid. c. 2. v. 7.
(7) Ibi. c. 42. v. 12.
(8) Ibid. v. 16.
(9) Exod. c. 34. v. 28.
(10) 3. Reg. c. 19. v. 8.

procedenti, qui omnes repente ad occursum Samuelis stantis supra cuneum prophetarum simul cum his omnes cœperunt prophetare, in Divinas laudes se effundentes furoris sui & iniqui propositi penitus obliti.

Articulus IX.

Argumenta pro propositione.

203. I. PRobatur. Vetus Testamentum est Verbum Dei: ergo quæ ibi narrantur miracula sunt vera; Nam Deus nec fallit nec fallitur, quoniam utrumque est imperfectio, quæ repugnat cum idea Dei entis perfectissimi. Hoc argumentum valet pro iis, qui non dubitant de antecedenti. Pro incredulis autem de schola alicujus pagani Porphyrii, aut apostatæ Juliani, qui ipsum negent, vel de eo dubitent, quin velint aut consulere aut admittere argumenta, quæ pro eodem passim a Theologis præsertim polemicis afferuntur, aliter sic probatur.

204. II. Ideo nulla essent miracula, quæ in Veteri Testamento narrantur, vel quia quæcunque sunt in Mundo dici possent esse juxta cursum naturæ, vel quia de eorum veritate posset dubitari: sed neutrum dici potest: Non primum, ut jam supra (n. 130.) demonstratum est: non secundum quod sic ostendo. Nulla potest esse dubitatio de eorum veritate, quæ integra natio suismet sensibus usurpavit, & de quibus jam tunc constituta apud illam sunt publica monumenta pro tempore futuro: Atqui miracula ante legem Gratiæ sive quæ in Veteri Testamento narrantur integra natio suismet sensibur usurpavit, & de iis jam tunc constituta apud illam fuerunt publica monumenta in cærimoniis & festis vel aliis argumentis pro tempore futuro: ergo nulla potest esse de illorum existentia dubitatio. Hoc argumentum, quo non semel utuntur etiam Bergierius (1) & Nonnote (2) illustrem includit demonstrationem præclare exornatam & propugnatam a Carolo Lesleo in sua *Methodo brevi contra Deistas ejusque defensione*, de qua alibi (3) memini.

205. Major enim continet characteres, qui quoties in facto aliquo inveniantur, toties illud cogimur admittere expulsa vel minima dubitatione. Minor autem declaratur in quibusdam pervulgatis veteris Testamenti miraculis. In his insigne est & celeberrimum, eductio Hebræorum ex Aegypto post mortem divinitus una eademque

O no-

(1) Ber. Apolog. de la relig c. 2. §. 3. & c. 6 §. 3. & ar. Miracles sub. init.

(2) Nou. Dict. ar. Certitude. pag 173.

(3) De bono. n. 241. Edit. secun.

nocte illatam omnibus primogenitis Aegyptiorum tam hominum quam jumentorum (1). Hebræi testes de visu hujus miraculi aliorumque, quæ hoc præcesserunt, & subsequuta sunt, fuerunt (2) *sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis, & vulgus promiscuum innumerabile*: & omnes viderunt hujusmodi stragem & audierunt clamores omnium familiarum, (3) *Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus*. Igitur habemus testes hujus miraculi integras nationes Hebræorum & Aegyptiorum. Præterea in ejusdem memoriam & exitus de Aegypto, qui ipsis tunc non solum permissus fuit a Pharaone, sed etiam acceleratus ab ipso & universis Aegyptiis statim constitutum fuit Paschatis festum anniversarium ritu præscripto in perpetuum, & sanctificatum est Domino (4) *omne primogenitum tam de hominibus, quam de jumentis*: & (5) *pro omni primogenito filiorum Israel* electi circa idem tempus fuerunt Levitæ, quibus Sacrorum cura commissa fuit. Igitur tanti miraculi habemus etiam publica monumenta ad ejusdem memoriam constituta.

206. Iidem characteres habentur in miraculosa apparitione Majestatis Divinæ supra montem Sinai inter fulgura & tronitrua, dum Decalogum perscriberet, & in ejusdem memoriam institutum fuit Festum Hebdomadarum (6), sive Pentecostes. Iidem in admirabili manna, qua annis quadraginta universa gens Hebræa in deserto fuit sustentata, & ipsius portio quædam intra unum vas in tabernaculo recondita fuit (7). Iidem in subita internecione partim per voraginem repente apertam, partim per ignem late grassantem (8) contra illos, qui sibi sacerdotium per rebellionem arrogarunt: & hujus Divinæ ultionis testimonium exhibitum fuit per novum miraculum in virga Aaron germinante frondes & flores ad confirmationem Sacerdotii in sola familia Levi, & utriusque miraculi monumentum fuit collocatio ejusdem virgæ (9) intra ipsum foederis tabernaculum. Iidem in sanatione a morsu serpentium, qui blasphemum populum occidebant, per solum intuitum ænei serpentis in sublime positi, qui usque ad tempora Ezechiæ extabat, cum ipsi Israel (10) adoleret incensum. Iidem in aliis, quorum memoria statis temporibus quotannis renovabatur.

Alia pro propositione argumenta dabunt, qui de singulis Veteris Testamenti miraculis distinctius agunt, in quibus sunt Pere-

rius

(1) Exod. c. 12. v. 29.
(2) Ibid. c. 13. v. 37.
(3) Ibid. c. 13. v. 30.
(4) Ibid. c. 13. v. 2.
(5) Num. c. 3. v. 12. & 41.
(6) Exod. c. 34. v. 22. & Deut. c. 16. v. 9.
(7) Exod. c. 16. v. 33.
(8) Num. c. 16.
(9) Ibid. c. 17. v. 10.
(10) 4. Reg. c. 18. v. 4.

rius (1), Franciſcius (2), & hæreticus etiam homo Stillingfleetus apud Antonium Genuenſem (3).

ARTICULUS X.

Objectiones Generales.

207. I. OBiicit neſcio quis apud Leſleum (4). Extat apud Livium decretum Romanæ Reip., quod publicas ſupplicationes indicit in honorem Aeſculapii pro gratiarum actione liberatæ urbis a peſte, cui eadem etiam de cauſſa ædificatum fuit templum in inſula Tyberina: ergo habemus teſtimonium integræ Urbis de expulſione peſtis per Aeſculapium, ejuſque publicum monumentum: Sed omnes jam credunt hoc miraculum eſſe falſum atque chimæricum: ergo etiam factum quod integra Urbs aut natio teſtatur, & per publica monumenta æternitati conſecravit, poteſt eſſe falſum atque chimæricum.

Reſp. nego ans. Livius (5) ſolum refert factas publicas preces Aeſculapio, quin harum cauſſam aut occaſionem producat, nec ullo modo meminit de erecto templo in memoriam ſublatæ peſtis. Ovidius (6) primus eſt hujus templi narrator, quod ædificatum dicit, poſtquam ſerpens quidem e navi erumpens in inſulam aufugit, quia creditus fuit ipſe Aeſculapius ſub ea latens imagine.

208. II. Obiicit idem. Hiſtoria Romana refert duos juvenes, quos Caſtorem & Pollucem Romani crediderunt, ante ipſorum equites proceſſiſſe in bello contra Latinos, eoſque deviciſse, & in victoriæ memoriam anniverſarium feſtum una cum templo illis conſecratum: quin tamen ullus jam ſit qui hinc concludat non poſse de veritate hujus facti dubitari.

Reſp. nego aſſumptum. Nulla eſt Hiſtoria Romana, quæ quod obiicitur habeat. Cicero eſt author omnium antiquiſſimus, qui de hac narratione mentionem faciens, eam inter aniles fabulas (7) amandavit. Ceterum T. Livius (8) refert dumtaxat Dictatorem Poſthumium ante congreſsum cum Latinis templum Caſtori promiſiſse, nec meminit de ulla apparitione. Et Dionyſius Halicarnaſseus (9) dicit quotannis celebratam hanc victoriam ſolemni pompa, ſed non dicit eam immediate poſt victoriam ſtabilitam fuiſse, nec in hono-

 rem

(1) Per. in Exod. c. 7. & ſeq. ſelec. diſp.
(2) Francois. Defen. de la Relig. vol. 3.
(3) Gen. Elem. Metaph. p. 3. c. 3. in appe. n. 9
(4) Les. Diſeſa del Metod. n. 3.
(5) Liv. Hiſt. l. 10. c. 47.
(6) Ovi. Metam. l. 15.
(7) Cic. de Nat Deo. l. 3.
(8) Liv. Hiſt. l. 2 c. 20.
(9) Dio. Antiq. Roman. l. 6. c. 13.

rem Castoris & Pollucis. Mitto alias similes, & fortasse magis etiam confictas objectiones, quae videri possunt ab eodem Lesleo relatae, & facile etiam dissipatae.

209. III. Objicitur. Miracula, quae in Pentateucho continentur, possunt esse figmenta excogitata a Moyse, si sit illius auctor, vel ab iis, qui ipsum sub ejus nomine promulgarunt: ergo incerta sunt.

Resp. *nego ant*, Nam quod pertinet ad primam ipsius partem, agnoscere Moysem Pentateuchi authorem, & simul dicere, quod possint esse ejus figmenta, quae narrat miracula, idem est ac dicere, quod integra natio Hebraeorum crediderit se vidisse ea, quae non vidit; Nam numquam mendacium objecit in tam frequentibus alloquutionibus, in quibus eadem appellatur testis eorum quae narrantur. Cujusmodi sunt, (1) *Vocem Dei loquentis de medio ignis tu audisti. Dominus* (2) *Deus noster iniit pactum nobiscum, qui in praesentiarum sumus & vivimus. Cognoscite* (3) *hodie quae ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, signa & opera, quae fecit in medio Aegypti Pharaoni Regi, omnique exercitui Aegyptiorum quomodo operuerunt eos aquae maris rubri, cum vos persequerentur.* Nonne exsibilaretur ut mendax, aut rideretur ut delirus, qui nunc pro concione diceret se paucis ante diebus in mediis Tyberis aquis viam aperuisse, per quam omnes siccis pedibus ambularunt, & hortaretur, ut singulis filiis octavo a nativitate die imprimerent sui nominis certum symbolum in ipsorum dextera, sicuti omnes jam in hujus facti memoriam gestant?

210. Quod vero pertinet ad alteram partem negati antecedentis, agnoscere Pentateuchum receptum ac veneratum esse usque ad hanc diem ab omnibus Hebraeis tamquam codicem, in quo continentur fundamenta & primordia suae Reip., primae ipsius leges, juxta quas stabilita & ordinata fuit, & historia suorum majorum, & simul dicere illum esse opus deceptoris, qui Moysi eumdem attribuit, idem est ac velle Hebraeos omnes repente evasisse stolidos obliviosos atque mendaces, & hujusmodi deceptorem fuisse plusquam Omnipotentem. Stolidi quidem fuerint necesse est Hebraei, qui receperint tamquam antiquum corpus juris a se admissi, libros, qui ea proponunt, de quibus quicquam numquam audierunt. Obliviosi, qui leges majorum suorum, & quas usque ad hesternam diem sequuti fuerant in forma vivendi, & reip. administratione, in novas ex improviso commutaverint. Mendaces tandem qui affirmarent antiqua esse jura ritus exercitia, quae conscii erant per illos dies

(1) Deut. ca. 4. v. 34.
(2) Ibid. ca. 5. v. 2.
(3) Ibid. ca. 11. v. 2.

dies primum a se cognita. Quod praeterea ea hypothesis postulet ut credatur deceptor ille fuisse plusquam omnipotens probatur, quia ab orbe condito, a Deo ipso Omnipotenti numquam novimus effectum esse, ut integrae gentes sibi suaderent se ab antiquis temporibus exercuisse in his vel illis caerimoniis, quas nudius tertius dumtaxat primo amplexae sunt, easque a parentibus accepisse, cum numquam ante hanc diem sibi innotuerint.

211. Instant. Ex eo quod Hebraei servent ritus, caerimonias, festa, & alia quaedam ipsis propria tamquam monumenta prodigiorum, quae apud illos divinitus acciderunt, non sequitur, quod haec prodigia revera acciderint. Assumptum quod negatur, sic probant. Ea omnia potuerunt esse jam olim usitata apud illos, & credita solum esse monumenta eorum prodigiorum, postquam deceptor aliquis apud ipsos promulgavit Scripturas, in quibus ea prodigia proponuntur tamquam illorum rituum origo: ergo.

Resp. *nego ans.* Nam usus hujusmodi sacrorum, qui supponitur ante ipsam promulgationem veteris Testamenti, necesse est ut suis rationibus niteretur, tamquam hujus usus caussa apud illos nota & pervulgata. Fieri enim non potest, ut prorsus temere gentes consentirent in eorum exercitio. Hae autem rationes, quoniam non fuerunt prodigia narrata in Bibliis utpote nondum extantibus, aliae erunt diversae, quas opus erit dicere post Bibliorum inventionem ac promulgationem tot gentes abnegasse, ut illis locum darent, quas Author horum librorum commentus est cum novo stoliditatis aut oblivionis aut mendacii insigni argumento; Admitterent enim se olim haec vel illa peregisse in memoriam eventuum, quae ipsimet viderunt, cum revera ne in mentem quidem ipsorum venerint ante auditas hujus deceptoris fabellas.

212. Quoniam Hume voluit haberi pro (1) *regula generali maxime attendenda, nullius testimonium aptum esse ad stabiliendum miraculum, nisi hujusmodi sit ut ejus falsitas esset quid magis admirabile*, jam datur ansa novo argumento, quod ipsum & sibi similes cogat admittere Pentateuchi miracula; haec enim negari non possunt, nisi admittendo contra suam regulam aliud majus & prorsus inauditum prodigium de subita & permanenti vel dementia vel malitia integrae Hebraeorum Reipublicae.

213. Non dimittam hanc objectionem, quin advertam dubitationem circa existentiam Moysis & consequenter circa authorem & authoritatem Pentateuchi reperiri in aliis libellis praeter supra (n. 128.) citatos, de quibus meminit Bergierius (2) qui in vulgus nostra

(1) Hum. Essay of mirac. p. 1. in fine.

(2) Ber. Apolog. c. 2.

nostra ætate disseminati sunt, anonymi plerumque ex hac etiam caussa, quod ipsorum authores conscii sibi sunt ea se effutire, quæ in buccam veniunt, & quæ etiam falsa esse non ignorant, adeoque quæ vel mediocriter docti demonstrare possunt ea nihil concludere, nisi ipsorum ignorantiam temeritatem improbitatem. Hoc fecerunt reipsa Bergierus citato loco & Nonnote ad articulum *Moyses* sui Dictionarii, expedite proponentes quid responderi debeat horum hominum diversis propositionibus, quibus saltem in dubium revocare conati sunt aut existentiam Moysis, aut ipsius dignitatem, aut libros, qui sub ejus nomine tamquam ab eo conscripti prædicantur & observantur.

214. Mihi satis est dicere adesse de his omnibus traditionem, de qua vera sunt hæc duo: Alterum est, quod ne veteres quidem pagani infensissimi hostes religionis tam Judaicæ quam Christianæ, Appiones Porphyrii Celsi Juliani, tentaverint unquam hæc negare, aut in dubium revocare, tum quia de Moyse tamquam Hebræorum legislatore meminerunt cujusvis ætatis scriptores, etiam qui ante hos paganos extiterant Diodorus Siculus, Suetonius, Trogus Pompejus, Justinus, Plinius, Tacitus: tum quia cum Pentateucho qualis habetur apud Hebræos consentit ille, qui Samaritanis characteribus extat, & pertinet ad populos Idololatras, qui jussu Salmanasaris Regis Assyriorum (1) cum Samariam occupassent, ipsum ab Hebræis acceperunt & descripserunt, ut Deum Israelis ibidem jam antea veneratum & ipsi colerent, sibique propitium haberent, quod contigit tribus ferme sæculis ante Esdram, cui proinde fabulose tamquam auctori sacri libri tribuuntur: tum quia cum eodem Pentateucho consentiunt, & ad eum appellant frequentissime quotquot sunt apud ipsos Hebræos libri tam prophetici quam historici, ut facile planum erit cuique, qui consulat articulum *Moyses* in Bibliorum concordantiis. Alterum est quod eorum quæ diximus traditio ad nos pervenit descendens ab ipsa prima institutione Reip. Hebrææ, quæ etsi progressu temporis divisa fuerit in duo regna Judæ & Israelis, & hæc in varias sectas quod pertinet ad religionem, eademque natio modo dispersa sit per totum terrarum orbem, hos tamen libros numquam non custodivit diligenter & religiose tamquam codicem divinarum legum pro omni sacra & civili administratione.

215. IV. Objicitur. Miracula, in quibus interveniant circumstantiæ Deo indignæ, quia inutiles, & pene ridiculæ, sunt falsa: Hujusmodi sunt permulta miracula Veteris Testamenti: ergo hæc saltem sunt falsa. Minor declaratur. In iis, quæ dicitur Moyses fecisse

(1) 4. Reg. ca. 17.

cisse in Aegypto coram Pharaone, in Mari Rubro, & in Deserto plerunque legitur adhibuisse virgam quamdam, eamque cum in Caelum extenderet (1) tonitrua & grandinem excitasse: cum supra flumen quassaret, aquam (2) in sanguinem convertisse: cum supra pulverem (3), sciniphes procreasse. Quid magis inutile ad præstanda hæc miracula, quam virga & ejus motus? Eadem virga in altum manibus Moysis elevata adducitur quasi in instrumentum victoriæ contra Amalec relatæ ab Josue. Legitur enim, quod mittens Moyses Josuem ad pugnam contra Amalec dixit, (4) *Ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paulum remisisset, superabat Amalec. Manus Moysi erant graves: Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum Solis. Fugavit Josue Amalec, & populum ejus in ore gladii*. Quis jam his auditis credat Deum alligasse quodammodo huic cærimoniæ seu manuum modificationi hujusmodi victoriam? Quid dicam de clade ingentis Madianitarum exercitus, quæ describitur reportata per noctem a Gedeone cum trecentis militibus non gladio, sed tubæ clangore & lagenarum collisione, quas cum accensa in earum medio lampade singuli gestabant. Quod paucissimi prævaleant immensæ etiam multitudini miraculum est Deo dignum, sed quod eo modo armati id obtineant, est quid incredibile, & quasi nugatorium. Mitto alia multa hujusmodi.

216. Resp. *conc. maj.* & *nego min.* Probationes adductæ continent vel incredulitatem, si Biblia non agnoscantur tamquam verbum Dei, & respondetur per ea, quibus eorum Divinitas a Theologis polemicis demonstratur: vel continent impietatem atque blasphemiam, si ea admittantur ut Divina, & simul irrideantur. Et nihil nobis commune cum impiis & blasphemis. Quod si hæc dicant non ad irrisionem, sed ad eruendam significationem hujusmodi quasi conditionum, sub quibus ea miracula Deus operatus est: & tunc consulendi in singulis probati Interpretes. In universum dici potest eas Divino consilio atque imperio aut inspiratione adhibitas, ut clarius Divina Potentia appareret.

AR-

(1) Exod. ca. 9. v. 24.
(2) Ibid. ca. 7. v. 17.
(3) Ibid. ca. 8. v. 17.
(4) Ibid. c. 17. v. 9.

ARTICULUS X.

Objectiones contra miraculum Diluvii universalis quantum ad ejus existentiam.

217. I. OBjicitur. Numquam extitit Diluvium, quod circumquaque terram aquis oppresserit: sed Diluvium tempore Noe fuit solius Asiæ. Hanc objectionem promovent Isaacus Vossius, qui pios nugatores appellat sibi adversantes, Isaacus Peyrerius Auctor hæreseos Præadamitarum, quam tamen deinde ejuravit ex dictis alibi (1), Eduardus Stillingfleetus (2), Marchio d'Argens (3) a Salchio (4) impugnatus, & Author Dissertationis de Diluvii Universitate, quæ habetur ad calcem operis *De Origine Animalium* Abrahami Mylii editi Genevæ ann. 1705, de qua editione loquentes Trevoltiani (5) negant eam esse Mylii, cui tamen Fassonius (6) illam recenter attribuit, dicitque editam non Genevæ sed Halæ ann. 1705.

218. Resp. *nego assumptum*, I. quia vim infert Scripturæ verbis (7) *Factum est Diluvium.... opertique sunt omnes montes excelsi sub Universo Cælo, consumptaque est omnis caro*, & alibi (8) *Mundus aqua inundatus periit*. Dum dicunt Adversarii hæc testimonia posse intelligi non de toto globo terraqueo, sed de ea dumtaxat ipsius parte, quæ tunc erat habitata; quandoquidem iidem termini universales hanc limitationem postulant in aliis Scripturæ locis: Equidem respondeo eos hoc modo effugere notam hæreseos, postquam narrante Bernardino Vestrino (9) hac via Mabillonus cum esset Romæ, quando de opinione Vossii examen instituebatur, illius condemnationem impedivit: non vero immunes esse a nota cujusdam vanæ cogitationis; Nam dum refugiunt fateri miraculum universitatis diluvii, aliud admittant necesse est, ut observavit Aquila (10) in suspensione aquarum in aliqua terræ parte longe supra alias contra leges hydrostaticæ, vel in mutatione centri gravitatis; Hallejus enim observat (11), quod si fingamus centrum istud gravium fuisse a Deo promotum particula bis millesima semidiametri terrestris in eam terræ partem, quæ ex hypothesi sola fuerit tunc habitata,

(1) De Mundo §. 305.
(2) Stil. Origin. Sacræ li.3 ca.4. §.3.
(3) Arg. Philos. du ban sens.
(4) Sal. Lettre sur le Deisme.
(5) Trev.ann 1706. art 6.
(6) Fass. de Mirac. nu.32.
(7) Gen. ca. 7. v. 17.
(8) 2. Pet. ca 3. v. 6.
(9) Vest. Lette Teolog. p.1. lett.9.
(10) Aquil. Dizion. della Bibbia. art. Diluvio.
(11) Hallej Transac. philos. abridg'd. vol.2. c. 5. nu. 8.

tata, hoc satis fuisset ad obruendos aquis montes omnium altissimos. Quidnam contra hanc interpretationem dixisset S. Augustinus, qui noluit (1) eam tolerare, quæ nomine universi Cæli hoc loco intelligit solum atmosphæræ spatium, in quo nubes condensantur, & ex quo imbres cadunt, ne opus sit exceptionem admittere in ea narratione, quæ circumfertur de quibusdam montibus, ut Olympo nulla unquam coopertis nube, adeoque nulli subjectis pluviæ, quam mirum est Cajetanum (2) confutatum a Pererio (3) deinde accepisse. Cur inquit Augustinus hi dubitant Deum in hoc diluvio elevasse aquas supra solitum etiam rubium locum, postquam non dubitant illuc elevasse terram montium?

219. II. Nego assumptum, quia non componitur cum circumstantiis hujus diluvii, qualis illa (4) Dei imperantis constructionem arcæ, operis centum annorum, otiosi penitus, siquo longo vel brevi itinere potuisset Noe, & ejus familia alio abire, quo non foret aqua, quomadmodum quia solæ quædam civitates in quibus Sodoma a Lot habitata ad flammas damnatæ erant, ille cum suis compulsus fuit in aliam se recipere. Et qualis est alia de aqua, quæ fuit (5) *quindecim cubitis altior supra montes* ex necessaria consequentia præruptæ pluviæ per dies (6) & noctes quadraginta; Nam (7) *accipe*, inquit Lessius, *vas cujus diameter sit duorum pedum: expone nimbo vehementissimo, intra horam conscendit aqua ad quatuor pedes. Unde quadraginta diebus ascendet pedes 3840, superabitque omnium montium cacumina; Nullus enim est mons qui in directum sit tantæ altitudinis.*

220. III. nego, quia opponitur Patribus & Theologis, quorum (8) *omnium mirum esse consensum* circa universitatem Diluvii dicit Pererius. His addantur Philosophi, qui vestigia hujus diluvii dicunt esse varia concharum, marinorumque corporum genera, quæ in ipsis montibus a mari remotis in omnibus terræ regionibus ex alibi (9) dictis reperiuntur.

221. IV. nego, quia contrarium est communi sententiæ omnium nationum; Illarum enim historiæ, ut post Grotium (10) observat Ioseph Antonius Constantinus (11) suum in universali diluvio terminum omnes habent, & apud omnes hujus diluvii memoria per traditionem accepta invenitur, (12) *Factum esse diluvium*, inquit Lactantius, *ad perdendam tollendamque ex orbe malitiam constat inter omnes. Idem enim & Philosophi & Poetæ, scriptoresque rerum antiquarum*

P

(1) S. Aug. de Civ. l. 15. c. 20.
(2) Cai. in c. 7. Genes.
(3) Perer. in Gen. l. 12. n. 44.
(4) Gen. c. 6. v. 14.
(5) Ibid. c. 17. v. 20.
(6) Ibid. v. 20.
(7) Les. de Providen. n. 154.
(8) Per. in. Gen. l. 12 dis. 12. n. 65.
(9) de Mundo. n. 277.
(10) Grot. de Verit. Relig. l. 1. §. 16.
(11) Conf. Verità del diluvi.p.1.sez.6.
(12) Lac. l. 2. c. 10.

rum loquuntur. Quod si illum, quem Moyses appellat Noem, qui a diluvio superstes fuit, Aegyptii dicunt Osyr m, Græci Deucalionem, & alii aliter, hoc factum est, dicit Philo (1) ex eo, quod aliqui Scriptores nomina ipsa propria converterent in suam linguam juxta significationem, quam videbant habere in lingua eorum, a quibus historiam hanc acceperunt. Nec gratis hoc ab eo dictum est, quippe conveniunt etiam in circumstantiis minoribus, cujusmodi est, emissam post diluvium a Deucalione columbam, & reversam, manentis diluvii indicium: iterum autem missam, nec reversam evanescentis indicium fuisse, quod refert Plutarchus (2) contineri in iis, quæ de diluvio Deucalionis prodita sunt.

222. Jo Clericus in notis ad citatum Grotium recitat, quæ apud antiquos Scriptores in hac re testimonia authorum inveniuntur, quos ipsi legerant, sed amplius non extant, ut Berosi, & Nicolai Damasceni apud Josephum (3), Molonis apud Eusebium (4), Alexandri Polyhistoris apud Cyrillum (5), Abydeni apud eumdem Cyrillum, & apud Eusebium (6), Luciani ubi agit de Dea Syria & aliorum. De his videri etiam potest Huetius (7), quæ plane demonstrant, quanti faciendus sit Author libelli *de Mundo & ejus origine*, qui ad excludendam veritatem diluvii universalis arguit ex silentio omnium populorum. Ejus confutatio habetur apud Trevoltianos (8).

223. At inquiunt historia Sanchoniatonis auctoris antiquissimi, quam Philo Biblius ex Phoenicia lingua in Græcam transtulit, & quæ incipit ab origine generis humani, etsi tota ad nos non pervenit, nihilominus in ea, quæ habetur, non reperitur ulla mentio diluvii universalis: ergo non omnes historici mentionem faciunt de diluvio universali.

Resp. *omitto ans. & dist. conseqs.* Non omnes historici etiam qui nullius attentionem aut æstimationem merentur, cujusmodi est Sanchoniaton, meminerunt de diluvio, *omitto conseqm*, secus *nego consequm*. Non curandum igitur de Sanchoniatone & ejus historia; Nam incertum est an unquam extiterit, ut alibi (9) dixi, & sunt qui credunt hanc historiam & nomen ipsum Auctoris figmentum esse Philonis vel scelerati alicujus, qui eam scripserit, ut observant Angli historiæ Universalis Auctores (10) ad suffragandum Idololatriæ. Quare per lineam Caini procedit, non per illam Sèthi, ut facit Genesis. Proinde quando nulla facta sit mentio in historia Sancho-

(1) Phi. De præmi. & poenis
(2) Plut. de Solertia animal.
(3) Jos l. 1. con. Appionem
(4) Eus. l 9. Præp. c. 19.
(5) Cyri. li. 1. adve. Julianum
(6) Euseb. l. 9. præp. c. 12.
(7) Hue. Concord. ration. l. 2. c. 12 n. 5.
(8) Trev. ann. 1751. ar. 67. pag. 1271.
(9) de Mundo. §. 124.
(10) Istor. Univer. Vol. 1.

choniatonis non est mirum, quandoquidem data opera potuit prætermitti narratio hujus vindictæ, quæ in poenam etiam Idololatriæ non absurdum est dicere inflictam fuisse.

224. II. Obiicitur. Tempore quo Diluvium dicitur contigisse, nondum genus humanum & animalia erant per universum telluris ambitum propagata: ergo non debuit diluvium esse Universale.

Resp. I. *omitto ans, & nego consequm*. Nam finis diluvii universalis non solum fuit, ut perderetur omnis caro, sed etiam ut nova Telluris facies futuro generi humano disponeretur, & alii fortasse, de quibus tamen nunquam equidem exquiram, ut hujus existentiam diluvii cognoscam, cum hæc satis aperte sit in Scriptura revelata.

225. Resp. II. *nego ans*, quod temere immo contra rationem dicitur; Nam cum a creatione Mundi ad diluvium defluxerint juxta plures Chronologos anni 1656 & juxta alios plusquam bis mille, potuit sine dubio intra hoc temporis intervallum per totum terrarum orbem diffundi genus humanum. Nonne enim Petavius (1) in hypothesi, quod singuli filii Noe habuerint unum filium per octo annos successive, qui cum simili hypothesi genuissent filios ab anno ætatis 17, & ita porro de successivis generationibus, demonstrat fore anno a diluvio 285 numerum hominum ex duobus filiis Noe generatorum 1 247 224 717 456 omissa stirpe tertii filii ad distributionem feminarum quot scilicet orbis terrarum nunquam vidit simul existere. Nonne ex septuaginta hominibus qui e familia Jacob in Aegyptum transmigrarunt, quorum pars aliqua effoeta jam erat, extiterunt intra spatium annorum 315 tot homines, ut in eorum egressu numerati fuerint apti ad armorum usum 600 000 Quod si præter tempus consideremus etiam statum soli longe tunc fertilioris, cum nondum tanta aquarum alluvione depravatum fuerit, concludemus non solum terram ubique habitatam fuisse, sed multo etiam magis ac unquam fuerit post diluvium, ut expresse credunt Angli historiæ Universalis Authores (2).

226. III. Obiicitur. Posita universalitate Diluvii, & interitu omnium viventium, quæ non erant intra arcam, nequit intelligi, quomodo animantia non aquatica, & ipsi homines in Americam pervenerint. Dicere enim cum aliquibus, a quibus Voltaire alienum se non esse declarat, homines in America natos esse eadem ratione ac plantæ ibidem & alibi nascuntur, obnoxium est permultis absurdis, quibus Nonnote (3) urget hanc opinionem: ergo diluvium tempore Noe non fuit universale.

 Resp.

(1) Pet. de Doctr. temp. l. 9. c. 14.
(2) Istor. Univ. Vol. 1. p. 4. c. 1. sez. 6.
(3) Non. Erreur. de Voltai. to. 2. c. 15.

Resp. *nego ans*. Potest enim intelligi hic hominum transitus ex continenti aliquo in insulas per navigationem. Imprimis enim America ne nostris quidem temporibus ubique sejuncta est tanto aquarum intervallo, quanto ab Europa sejungitur. Ex parte Tartariæ Orientalis usque in Americam frequentes occurrunt insulæ non longe inter se dissitæ, ut apparet in Mappa, quam De l' Isle testis de visu protulit. Alii etiam Geographi deinde alias adnotarunt. Præterea affirmari potest, ut observat Genuensis (1) ex testimonio plurium historicorum, quos alibi (2) citavi, longe post diluvium factam paulatim esse tantam terræ habitabilis quasi scissionem in tam dissitas inter se partes per varios terræ motus, & particulares alluviones. Cum aditus hac via ad illa loca pateat pro hominibus, non restat difficultas pro reliquis animantibus, quæ illuc ab ipsis hominibus deduci potuerunt, & ipsa per se eodem modo pervenire.

227. Quod dicitur de Voltaire, si ille plantis æquiparat homines, quatenus utraque credat existere ex fortuito motu materiæ, utique turpissime errat. Casus enim non est rerum constanter ordinata rum causa, ut alibi (3) demonstratum est. Sin autem credat tam plantas. quam homines nasci ex sibi similibus, jam vel contra Scripturam admittit superstites fuisse alios homines præter inclusos in arca, quemadmodum plantæ superstites fuerunt ut constat ex ramo olivæ quem columba detulit ad Noe, vel intactam relinquit quæstionem. Nam postquam omnes qui sapiunt, tenent nasci homines ex hominibus, rogant quomodo hi sunt in America, cum omnes ibi diluvio perierint.

Articulus XII.

Obiectio contra Diluvium universale ex illius causa formali.

228. OBiicitur. Non assignatur undenam tanta aquarum vis eruperit ad obruendam universam terram: ergo cum nulla sit causa formalis diluvii universalis, hoc etiam nullum est.

Resp. I. *permitto ans*, cum ex eo non inferatur non extitisse diluvium universale; Nam monuit jam Ecclesiasticus, (4) *In pluribus operibus ejus non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi*. Hanc responsionem sequitur Jaquelotius (5) dicens hoc modo male impugnari veritatem diluvii universalis; Nam non aliter ejus historia prout traditur a Moyse, falsa ostendi po-

(1) Gen. Elem. metaph. p. 3. c. 5. prop. 42. n. 20.
(2) de Mundo §. 308.
(3) Ibidem. a §. 124.
(4) Eccli. c. 3. v. 24.
(5) Jaq. Exist. de Dieu diss. 4. c. 1. dern.

poteſt, quam vel negando Deum exiſtere; in Deum enim authorem ipſius cauſſa immediate refunditur, qui ſicuti terram & omnia creavit, ita potuit in promptu habere aquas ſufficientes ad illam obruendam: vel oſtendendo aliquam contradictionem in ea involvi, quam nemo unquam protulit, nec proferet: vel evincendo Moyſem de aliqua falſitate, ut ſiquis poſſet oſtendere aliquam gentem ducere originem ab alia familia, quam a Noetica, quæ unica à Moyſe dicitur fuiſſe ſuperſtes ex toto humano genere ab aquis diluvii, quod nemo potuit adhuc facere: vel ſuadendo non Noem ſolum cum uxore & tribus filiis horumque uxoribus (1) evaſiſſe per arcam commune excidium, ſed multo plures. Octoginta dicit Auctor ſupra citatus (n. 222.) *De Mundo ejuſque origine* hos fuiſſe juxta Armenorum traditionem expreſſam etiam per nomen Tamanim, quo appellatur pagus poſitus ad radices montis, ſupra quem arca ſtetit. Sed in hoc vel mendacium vel ignorantia continetur; Nam juxta Trevoltianos (2) pagi nomen non eſt Tamanim, ſed Themanim. Themanim autem arabice idem eſt, ac Latinum octo. Quod conſonat octo animis commemoratis a Moyſe.

Quod dicat Incredulus in Dictionario philoſophico, Diluvium univerſale *eſſe chimæram, quippe impoſſibile demonſtratur a legibus gravitatis & fluidorum*, vox eſt mente capti, qui non videt ad hanc rem non pertinere de his legibus meminiſſe, primo quia nemo Catholicus contendit hoc diluvium fuiſſe effectum naturalem, ſic jam reſpondit Bergerius (3) aliis incredulis, qui idem frequentes obiiciunt. Secundo quia obiectæ leges non impediunt pluvias decidere in terram, ipſamque ſi abundant circumquaque inundare & obruere, ſic eidem repoſuit Nonnote (4) qui alias ipſius in hac hiſtoria difficultates oſtendit furore quidem plenas, philoſophia autem prorſus inanes.

229. Reſp. II. *nego ans*: Nam aſſignat ipſa Scriptura quod quæritur, ubi dicit (5) *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cæli apertæ ſunt*. Igitur partim ex receptaculo quodam aquarum intra viſcera terræ, quod Moyſes abyſſum magnam vocat, partim ex aquis ſupra terram circumquaque exiſtentibus eruperunt aquæ, quæ terram obruerunt. Exiſtentia aquarum ſupra terram, & procul ab ipſa, ut ſæpe advertit S. Auguſtinus (6) aperte affirmatur a Scriptura, quæ nos docet die ſecunda creationis rerum ſeparatas eſſe aquas noſtræ telluris ab aquis procul ab ipſa poſitis, (7) *Dixit*

(1) Genes. c. 7. v. 7.
(2) Trev. ann. 1751. ar. 67. pag. 1288.
(3) Ber. Confut. dell' eſam. c. 11. n. 3. & Apolog. c. 10. n. 6.
(4) Non. Dict. art. Deluge,
(5) Genes. c. 7. v. 11. & 12.
(6) S. Aug. de Gen. ad. Lit. l. 2. c. 4. & 5. & epi. ad Oroſium q. 27. & Confeſſ. l. 13. c. 15.
(7) Gen. c. 1. v. 6.

xit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Eadem evidens redditur, quoties advertimus vaporationem aquarum, quæ aeri expositæ sint, quotidianam esse satis sensibilem, quandoquidem videmus brevi quæ madebant exsiccari, & ipsa stagna ex redundantibus tandem fieri arida, dispersis aquis per atmosphæram, spatium immensum, in quo oculis invisibiles versantur tum propter illarum distantiam, tum propter insignem tenuitatem, quam rarefactione obtinuerunt, ex qua fit ut etiamsi per tranquillos & fervidos æstatis dies supra nos asportentur nostra flumina, & tota fere integræ regionis aqua, nihilominus Cælum serenum nobis non raro de hoc ipso dolentibus relinquant.

230. Sola etiam aqua telluri reservata in aquarum separatione facta die creationis secunda, satis fortasse erat ad generale diluvium; Nam post prædictam separationem contigit ea aquarum secessio, per quam primo (1) apparuit arida & mare, & ante ipsam scriptum est de terra, (2) *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus: super montes stabunt aquæ.* Quare quemadmodum Divino imperio reliquerunt aquæ in rerum principio tantum aridæ, quantum Deo placuit, illis sese reducentibus in opportuna loca, ita Dei pariter imperio iterum potuerunt ex suis receptaculis erumpere ad obruendam terram. Certe juxta Varenium (3) *innumeri sunt hiatus recessus anfractus cuniculi voragines tubuli & vasta receptacula intra terram, in quibus aqua est vel salsa vel dulcis.* Atque hanc vim aquarum in terræ visceribus commorantem vigesies superare quantitatem aquæ Oceani, & proinde sufficientem ad superandos altissimos montes dicit Hooke (4) Keillium jam demonstrasse.

231. Adde quod Woodwardus abyssum, cujus toties meminit Scriptura arguit esse in centro terræ, ex eaque eructante suas aquas extra terram, imprimis colligit universitatem Diluvii, deinde originem diversi status telluris post diluvium ab illo quem antea habebat, quatenus facta fuit permixtio quædam diversarum terræ partium ad magnam profunditatem in superficie terræ nobis ad habitandum relictæ. Quod ex multis observationibus in sua *Geographia Physica* conatur suadere, tamquam sit necessaria consequentia tantæ aquarum molis per plures menses supra orbem terrarum agitatæ. Et quidem ut arguit citatus Hooke si altitudo aquarum superantium quindecim cubitis altissimos montes, qui non creduntur superare hexa-

(1) Ibid. v. 9.
(2) Psal. 103. v. 6.
(3) Var. Geogr. l. 1. c. 7.
(4) Hor. Princi. Relig. to. 1. gag. 71. Edit. paris.

hexapedas 4000, seu pedes Parisienses 24000 dividatur per pedes 300, qui supponi possunt esse pars spatii occupata a particulis terreis intra totam illam altitudinem dispersis, eruetur sedimentum aquarum altum pedes octoginta, quod super induci debuit universæ terræ ad diversa strata pro diversa materia.

232. Neque contra opinionem de abysso aquea in centro terræ satis valide obiicitur ex Inferno damnatorum, congregatione scilicet ignis ibi collocanda. Nam Divina quidem revelatio docet infernum esse, non vero ubi sit, quemadmodum Patres & Doctores observant; (1) *De hac re* inquit S. Gregorius, *temere definire non audeo*: Et S. Thomas, postquam uno in loco dixit, (2) *Ubi sit infernus, nihil arbitror ad doctrinam Fidei pertinere*, alibi (3) dicit de hac quæstione nihil sibi videri temere asserendum, præsertim cum Augustinus neminem arbitretur scire ubi sit, *Non tamen*, inquit, *æstimo quod sit in centro terræ*, cujus dicti cum nonnullas caussas reddidisset, subdit, *Non autem dicitur Christus descendisse ad infimas partes terræ, sed ad inferiores, ad cujus veritatem sufficit qualitercumque nobis inferiores videantur*.

Articulus XII.

Obiectio contra diluvium universale ex illius caussa efficiente.

233. Obiicitur Diluvium Noeticum universale potest explicari per caussas naturales diversis modis, quos excogitarunt varii Auctores, & referunt Angli Historiæ Universalis scriptores (4): ergo hoc diluvium non fuit miraculum. Ad declarationem antecedentis dico Senecam (5), & deinde Henricum Mechliniensem, Petrum ab Alliaco, & Gulielmum Parisiensem citatos a Pererio (6) existimasse ex conjunctione quorumdam Astrorum præcognita etiam per Astronomiam a Noe contigisse Diluvium. Inter recentiores, qui de medio auferunt omne miraculum a Diluvio universali sunt Burnetus, Whistonus, & Telliamedus.

234. Burnetus in sua *Telluris Theoria Sacra* diluvium repetit ex calore solis hoc modo. Supponit terram compositam fuisse ex nucleo materiæ densissimæ, quem aqua vestierit circumquaque: aquæ superinducit crustam duram & uniformem, sed calore Solis rimas paulatim contrahentem. Hæ processu temporis auctæ separant omnino unam partem ab alia: partes separatæ pondere suo demerguntur.

(1) S. Greg. l. 4. Dial. c. 42.
(2) S. Thom. Opusc. 10. ar 31.
(3) Id. opusc. 11. ar. 24.
(4) Stor. Univ. Vol. 1. p. 4. c. 1. sez. 6.
(5) Sen. Nat. qu. l. 3. c. 27. & seq.
(6) Per. in Genes. l. 12. dis. 12. n. 65.

tur. Hinc primo aquarum inundatio: deinde ex earum recessu intra cavitates, quas concamerati fornices diversarum crustæ partium necessario habebant, relinquitur terra habitabilis, quam nunc habemus. Atque hac occasione credo dicet factam inclinationem axis Eclipticæ ad illum Aequatoris, quam antea nullam supponit fuisse, improbante Whistono (1) hujusmodi hypothesim. Qui legat Cartesii principia (2) videbit, unde Burnetus suam hanc Theoriam hauserit.

235. Whistonus diluvium explicat per accessum cometæ ad terram, dum rediret e vicinia solis, illumque credit esse, qui anno 1681 ultima vice conspicuus fuit terricolis, & habet periodum juxta ipsum annorum 575. Hujus caudam vi attractionis globi terrestris separatam putat a corpore cometæ, & supra ipsum effusam in modum prærupti nimbi. Improvisa hæc aquarum vis penetrat primo qua potest in cava terræ viscera, sed deinde in ipsum cometam tendit ab eo attracta, quod dum facit, dilatat repagula ut ea tandem disrumpantur. Hinc dispersæ aquæ supra universam terram cumulum inundationi afferunt, quæ naturaliter tandem definit, quippe aquæ Cometa recedente intra suos fornices redeunt, qui utpote ampliores facti possunt easdem licet auctas a pluvia cometica complecti. Præter diluvium tribuit huic Cometæ ellipticam effecisse annuam telluris orbitam, quam circularem antea fuisse credidit, (3) *haud vanis* ut ait *rationibus*. En igitur alia ratio explicandi diluvium universale sine ullo miraculo, quam Keillius (4) approbavit.

236. Telliamedi nomen præsefert liber Gallice primo editus Amstelodami anno 1748, iterum recusus Basileæ anno insequenti sub titulo *Telliamed, ou Entretien d' un Philosophe Indien avec un Missionaire*, sub quo nomine continetur verum Auctoris nomen De Maillet inverso modo scriptum, quem ex Para (5) discimus fuisse Cairi Consulem ut ajunt Galliarum Regis sub initium hujus sæculi, & Marsiliæ mortuum diversa sentientem circa Religionem ab iis, quæ scripsit. Hic itaque de diluvio universali rationem naturalem affert supponendo globum terræ per vices evadere modo Solem, modo massam rudem similem pumici, modo terram intra longum plurium sæculorum tractum. Quatenus vi solis ab ea, quam nunc habemus, terra per continuam vaporationem ita omnis humor in alia systemata cælestium corporum adsportetur, ut tandem penitus arefacta ignem concipiat, dicit ipsam fieri solem, qui tamdiu durat, quamdiu materiam combustilem continet: tunc autem in pumicem commutata mos-

(1) Whi. Prel. Astron. 10. n. 4.
(2) Cart. Princ. p. 4. n. 41.
(3) Whis. Prel. Astron. 10. n. 3.
(4) Kei. Exam. of the Theory of the Earth.
(5) Par. Elem. de Metaph. 232.

massa jacet extincta, & capax recipiendi & attrahendi ad se aquas evanescentes ex aliis corporibus cælestibus, quæ totam terram cooperiant, atque hoc modo diluvio obruitur universali.

237. Resp. *nego ant.* Explicationes diluvii universalis per causas naturales objectas, omisso examine hypothesium, quibus innituntur, malæ generatim sunt propter manifestam contradictionem cum circumstantiis hujus diluvii, quæ in Divinis Scripturis exprimuntur. Determinata confutatio Senecæ & aliorum veterum videri potest accurate facta a Pererio (1): Illa autem Burneti & Whistoni habetur apud Auctores, qui utriusque systema rejiciunt alibi (2) citatos, quibus addo Carolum Erram (3), qui contra illos utpote Christianos maxime urgent Scripturas, quibus ipsorum explicatio adversatur. Quare miror quomodo Whistonus in *Principiis Astronomicis* Anglice editis post suam jam expositam Theoriam dicat se satis contentum esse de sua explicatione Diluvii, maxime quia consonat iis, quæ in Geneseos narratione habentur. Cheyne (4) nollet obiici Whistonum tamquam contrarium iis, qui miraculum agnoscunt in Diluvio universali; Nam ipsius inquit explicatio nititur principio mutuæ attractionis materiæ, quod non est mechanicum. At hæc observatio opportuna dumtaxat est contra Materialistas, apud quos nullæ aliæ possunt esse caussæ naturales nisi mechanicæ sitæ in communicatione motus unius corporis alteri, non vero contra alios, qui latius extendunt rationem caussæ naturalis, inter quas est etiam attractio saltem quatenus nemo numerat inter miracula ipsius effectus.

238. De Telliamedo in particulari quis curet, postquam Trevoltiani ad ann. 1749 artic. 35, & Diarium Florentinum Literatorum anni 1752. (5) ostenderunt in hujus operis epitoma, ipsum ex integro rejiciendum esse inter opera hominis delirantis non philosophantis, utpote consertum principiis & illationibus partim ineptis, partim falsis, partim etiam chimæricis, quam censuram de illo protulerunt etiam Pernettus in simili hujus libri analysi, & Bleterie apud eosdem Trevoltianos (6), & Para (7), quorum nullum necesse est viderit aut noverit Author Gallus *Bibliographiæ medicinalis*, qui a Trevoltianis (8) accusatur hunc & aliquos alios Scriptores male de Religione meritos plus nimio admirari & celebrare. Aliarum objectionum solutio contra miraculum diluvii videri

Q po-

(1) Per. in Gen. l. 12. dis. 3. & dis. 12. n. 65.
(2) De mundo §. 283. & seq.
(3) Err. Hist. utriusque testam. to. 1. l. 1. c. 9. n. 16.
(4) Che. Princ. filos. c. 4. §. 12.
(5) Gior. to. 6. par 3. art. 6.
(6) Trev. ann. 1750. ar. 112. p. 2083.
(7) Par. Elem. de Metaph. nu. 232.
(8) Trev. ann. 1756. ar. 105. §. Paris.

poteſt apud Pelletierum (1), & fortaſſe etiam apud Trevoltianos, quorum monumenta ad ann. 1731, art. 44., & 52. citantur veritatem hujus miraculi aliorumque, de quibus jam dicam, luculenter contra Lengletum de Freſnoy vindicare.

Articulus XIV.

Objectio contra trajectionem Erythræi & Jordanis.

239. OBjicitur, Tranſitus Hebræorum per Erythræum excluditur a ratione miraculi ab Joſepho Hebræo (2), qui illum credit poſse dici factum tunc, cum aquæ maris contractæ fuerant ex æſtu maris, quam explicationem acceperunt Porphyrius & Memphitæ apud Euſebium (3), & Jo:Clericus in Diſſert. *De Maris Idumæi trajectione*, quæ extat in appendice ſuorum commentariorum in Exodum, & Spinoſa (4), quorum eſt illa obſervatio, quod Hebræi, utpote qui pedites omnes erant, potuerunt longe celerius viam percurrere, quam Aegyptii, qui cum equitibus & curribus ſupervenerunt. Similiter Hebræorum tranſitum ſub Joſue per medium Jordanem ſiccis pedibus idem Joſephus narrat factum fuiſse cum aquæ illius fluminis eſſent ſatis tenues: ergo hæc duo miracula non ſubſiſtunt.

240. Reſp. *nego ant*, propterea quod I opponitur Scripturæ, quæ non per littus ab aquis in fluxu maris relictum tranſiiſse Iſraelitas teſtatur, ſed *per medium* (5) *ſicci maris; erat enim aqua quaſi murus a dextera eorum & læva*: de quo tamquam de miraculo, immo complexione quadam plurium miraculorum, quam evolvit Pererius (6), Scriptura alibi ſæpiſſime (7) meminit, & præcipue ubi dicit, (8) *Diviſit mare rubrum in diviſiones*, quæ verba etſi non urgeant ad dicendum multas vias apertas fuiſse intra Erythræum, & totidem quot erant tribus, quemadmodum exiſtimarunt aliqui Patres, & Interpretes apud Barradam (9), tum quia totius hiſtoriæ circumſtantiæ hanc interpretationem non patiuntur, tum quia *cum diviſionis eſsent duæ partes, ideo dicuntur diviſiones*, ſicuti ibidem dicit Barrada & tradet: nihilominus aperte confirmant Erythræi aquas diviſas realiter fuiſse.

241. II. Op-

(1) Pell. ſur l'Arche de Noe c.31.
(2) Joſ. Antiq. li.2. ca. ultim.
(3) Euſ. Præpar. li.10. c.27.
(4) Spin. Trac. Theol. politic. c.6.
(5) Exod. c.14. v.22.
(6) Per. Selec. diſp. in Exod. cap. 14. diſp. 4.
(7) Pſalm. 77., & 113. Sapi. ca. 10. v. 17., & ca. 19. v. 7. Iſai. ca. 63. v. 11. Judith ca. 5. v. 12. Habac. ca. 3. v. 8.
(8) Pſalm. 135. v. 13.
(9) Bar. Itiner. Iſrael li. 3. c. 11.

241. II. Opponitur iterum Scripturæ, a qua habemus Hebræos longe a Sueffio, loco ubi Erythræum desinit, & aquis vacuum redditur in fluxu, viam tenuisse per desertum juxta petitionem factam sacrificandi (1) in deserto, ex qua parte mare non poterat trajici, nisi per medium divideretur, quod est argumentum hujus miraculi demonstrativum inquiunt Trevoltiani (2).

III. Opponitur testimonio integræ Hebræorum nationi, quæ hujusmodi transitum habuit pro insigni miraculo, solemni festo ad ejus memoriam celebrandam instituto.

IV. Opponitur etiam profanis antiquis Scriptoribus Artapano & Diodoro Siculo idem tamquam prodigium narrantibus, quorum verba transcribit Csapodius (3). In iis, quæ ex Josepho Hebræo afferuntur videas infelicem politicum, qui ut idem Csapodius dicit *alias sæpe numero, quæ ad commendandam singularem Dei erga electum populum providentiam faciunt, timida manu dubioque sermone exequitur, ne Romanis gentem illam exosis, in quorum tunc potestate erat, displiceret*.

242. V. Opponitur rationi naturali, quia cum aquæ in æstu maris non contrahantur nisi per sex horas, & per minus spatium, quam pedes septuaginta litus deserant, & iterum dilabantur, fieri non poterat, ut per hujusmodi callem tam brevi tempore transierit non solum tota Hebræorum multitudo, quæ a Menochio (4) non minor creditur duobus vel tribus hominum millionibus, a Calmeto vero extenditur (5) ad multo plures, sed etiam illorum (6) *oves armenta & animantia diversi generis multa nimis*, quæ longe tardius moventur equis & curribus, de quibus adversarii meminerunt, & præterea tota impedimentorum prægrandis copia ex opibus totius Aegypti, quas secum adsportabant cumulata: & tandem totus Pharaonis exercitus ita intra eumdem callem marinum processerit, ut (7) *ne unus quidem* effugerit ab aquis refluentibus.

243. Hæc argumenta, aliaque quæ hujus miraculi veritatem demonstrant, dabunt Petrus Goldschmidius, qui scripsit *novam demonstrationem transitus populi Israelitici per mare rubrum*, quæ extat Tomo primo *Thesauri novo-theologici philologici ad selectiora vet. & novi testamenti loca Lugduni Batavorum* 1734.: & Jo: Ludovicus Stumpfius, a quo habemus in eodem tomo, *Schediasma de divisione rubri maris miraculosa*: & Jo: Guglielmus Baier, cujus affertur ibidem *quæstio an tempore transitus Israelitarum per mare rubrum fuerit ordi-*

(1) Exod. c.5. v.1. Et ca.14. v.5.
(2) Trev. an 1758. ar.123. pag.3015.
(3) Csa. Relig. natu. li.1. nu.103.
(4) Men. in Exod. ca. 12. v.17. & in ca.14. v.21.
(5) Cal. Dif. de transfret. Eryth.
(6) Exod. ca.12. v.38.
(7) Exo. c. 14. v. 28.

ordinarius refluxus : & Calmet in *Dissertatione de transfretatione Erythraei* : & Sicardus, cujus commentarius de hoc transitu valde laudatus a Trevoltianis (1) extat in tomo sexto *Novorum monumentorum de Missionibus per Orientem* : & author anonymus speciminis physici de hora fluxus in mari rubro comparata ad horam, qua Hebræi ipsum trajecerunt, Gallice editi anno 1755, cujus epitoma datur a Trevoltianis ad annum 1756 (2): & Prosper de Aquila in nota 4. ad articulum *Moyses* Dictionarii Bibliorum : & alii, de quibus mentionem facit Alphonsus Nicolai (3).

Illud non omittam Clericum non omnino opportune citari ab Adversariis. Si enim dicit tempore fluxus accidisse hunc transitum, tamen agnoscit miraculum tum in vehementi Borea tunc efflante, tum in prædictione Moysis de felici suorum transitu, & infelici Aegyptiorum excidio.

244. Quod pertinet ad secundum transitum per medium Jordanem habemus testem falsæ commentationis Josephi Divinum Josue librum. In eo enim dicuntur Hebræi transiisse, cum (4) *Jordanis ripas alvei sui impleverat*, stantibus aquis, quæ erant (5) *descendentes in loco uno, & instar montis intumescentes : quæ autem inferiores erant, in mare mortuum descenderunt, omnisque populus per arentem alveum transibat*. Habemus præterea ad hunc transitum tanto prodigio faciendum paratum venisse universum populum, cui Josue sic prædixerat, (6) *cum posuerint vestigia pedum suorum Sacerdotes, qui portant arcam Domini in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient : quæ autem desuper veniunt, in unam molem consistent*, sicuti factum fuit. Habemus tandem in memoriam hujus miraculi, (7) *duodecim lapides, quos de Jordanis alveo sumpserunt* electi ex singulis tribubus singuli viri juxta mandatum Dei, positos fuisse in Galgalis, ut interrogantibus filiis, (8) *quid sibi volunt lapides isti*, de hoc eventu edocerentur. Plura de hoc prodigio dabunt Interpretes, & Jo: Georgius Abicht, qui addidit in supradicto tomo 1. thesauri in selectiora Scripturæ loca dissertationem de transitu Israelitarum per Jordanem.

AR-

(1) Trev. an. 1727. ar. 98. pag. 2033.
(2) Ibid. 1756. art. 41.
(3) Nic. Lezi. 14. dell' Esodo.
(4) Josu. ca. 3. v. 15.
(5) Ibid. v. 36.
(6) Ibid. v. 13.
(7) Ibid. ca. 4. v. 20.
(8) Ibid. v. 21.

ARTICULUS XV.

Objectiones contra stantem solem sub Josue.

245. OBjicitur. Suspensio motus Solis & Lunæ attributa miraculo patrato per Josuem, quod profecto est ex maximis, habet sine miraculo, vel saltem cum longe minori miraculo opportunam explicationem, ut notarant Grotius & Clericus, in aliquo parhelio, & aliqua paraselene, vel ut putavit Maimonides, quem sequitur Andreas Masius, accipienda est in sensu figurato, qui est significare a Josue tot facta fuisse una die, qualia videbantur postulare duos dies.

Resp. *nego ans*; Nam ut advertit Derhamus (1) repugnant hæ explicationes apertis Scripturæ verbis, (2) *Steterunt Sol & Luna. Non fuit antea nec postea tam longa dies*: Et alibi, (3) *In iracundia ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo*: Et iterum (4) *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*. Præterea Parhelia & Paraselenæ propria sunt locis Borealibus, & tempori hyemali, quando possunt haberi nubes aptæ ob suam densitatem ad reflexionem Solaris luminis, Palæstina autem ubi hæc acciderunt, accedit ad æquatorem, & tempus messis quod tunc habebatur, est ex calidioribus anni tempestatibus. Quod siquis dicat ad obtinendam densitatem aeris per frigus cecidisse eodem tempore ingentem grandinem, hoc imprimis est commemorare aliud prodigium ad unum excludendum; quoniam de hac grandine scriptum est, (5) *Dominus misit super eos* (Amorrhæos) *lapides magnos de cælo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel*, his interea qui eos persequebantur illæsis; Nam completa actione (6) *reversus est omnis exercitus, sani & integro numero*. Deinde parhelia ex observationibus, quarum hic meminit Genuensis (7), vix durant spatio quatuor horarum: at (8) *Sol non festinavit occumbere spatio unius diei*.

246. Instat nescio quis apud Bergierium (9). Si Sol & Luna stetissent jussu Josue; jam totum systema Planetarium, & illud etiam Cometarum perturbatum fuisset; Nam hoc sequitur ex extincta in

(1) Der. Physico-Theolog. B. 2. ca. 3. in notis.
(2) Josu. ca. 10. v. 13.
(3) Eccli. ca. 46. v 5.
(4) Hábac. ca. 3. v. 11.
(5) Josu. ca. 10. v. 11.
(6) Ibid. v. 21.
(7) Genu. Elem. Metaph. p. 3. appen. ad prop. 41. nu. 15.
(8) Jos. ca. 10. v. 13.
(9) Ber. Apoloa. ca. 6. nu. 11.

in illis una ex viribus centralibus, quæ ſunt horum ſyſtematum anima.

Reſp. *nego* aſſumptum, & omiſsa opinione de Neutoniana gravitate, quam Adverſarius aſſumit tamquam indubitatam, dico Creatorem Mundi poſse unam illius partem quoties velit ſine aliarum immutatione alterare. Increduli qui certe non comprehendunt, ſicuti quivis philoſophorum concedit, intimam ſtructuram unius floris aut ſeminis, temere ſemper pronunciabunt de iis, quæ abſolute poſſint vel non poſſint fieri in tota Mundi machina.

Inſtat iterum Iſaac Peyrerius, de quo alibi (1) dixi. In eadem Scripturæ narratione legitur, *Stetit Sol in medio Cæli*: Sed hoc intelligi non poteſt de vero Sole; Nam ſol tunc occiduus erat, adeoque diſtans a medio Cæli: ergo non verus Sol ſtetit, ſed aliquid quod ipſius radios reflectebat, vel ejus fulgorem ſupplebat.

Reſp. *conc. maj.* & *nego min.* Ad hujus probationem imprimis dico Emmanuelem Sa, adeoque bonos communiter Interpretes ſumere in medio Cæli pro Cælo ipſo. Deinde dico cum Aquila (2) in Scriptura non legi Solem fuiſse occiduum, quando Joſue tantum prodigium impetravit. Plura de eodem dabunt Jo: Limpſenus Bollandiſta in Vita Joſue ad tomum primum Septembris, in qua inſeruit præclaram propugnationem laudatam a Trevoltianis, tamquam (3) *unam ex rebus præcipui momenti, quæ in hac Hagiographorum collectione continentur*; Et Calmet *in Diſsertatione de mandato Joſue, quo Solem & Lunam moratus eſt*: Et Natalis Alexander ac Graveſon in *Hiſtoria Veteris Teſtamenti*, & Interpretes ut Toſtatus fuſe de his differentes.

ARTICULUS XVI.

Objectio contra miraculum jejunii Moyſis & Eliæ.

247. OBjicitur. Jejunia hominum ſine ullo prorſus cibo ac potu per menſes etiam & annos poſsunt eſſe naturalia: ergo jejunia Moyſis & Eliæ per dies quadraginta male recenſentur inter miracula. Ans probatur. Fortunius Licetus in opere quod ſcripſit de iis, *qui diu vivunt ſine alimento* refert ex pluribus authoribus Diogenem jejunaſse quadraginta dies: & ex Plutarcho amitam Timonis duos menſes: & ex Franciſco Citeſio populos Licomoriæ in Sarmatia plures hyemis menſes: & ex ſuamet obſervatione anno 1603 cum Piſis eſset Philoſophiæ Profeſſor puellam annorum

(1) De Mundo nu.205.
(2) Aqui. Dizion. d. Bibb. ar. Joſue.
(3) Trev. ann.1749. ar.35. pa.662.

rum quatuordecim, menses quindecim: & ex Cælio Rhodigino hominem per biennium: & ultra biennium puellam Spirensem ex Jo: Langio (1): & ex Portii opusculo de Puella Germanica dicato Paulo III. puellam per quadriennium: & ex Henrico Smetio (2) aliam puellam in Palatinatu per septennium: & alios multos sive homines sive feminas, in quibus nulla miraculi suspicio locum habebat, per longius etiam tempus fuisse sine ullo cibo ac potu.

248. Resp. cum Academicis Bononiensibus in Dissertatione *De longis jejuniis*, quam Lambertinus publici juris fecit in fine primæ partis libri quarti *De Servorum Dei Beatificatione* laudans præ cæteris (3) Bartholomæum Beccarium, & Matthæum Bazanum tamquam præcipuos ipsius authores, *dist. ans*, Ea jejunia possunt esse naturalia, si procedant ex morbo, *conc. ans*, secus *nego ans & conseqm*. Quæcumque objiciuntur historiæ de diuturnis jejuniis, in quibus nemo suspicari potest de miraculo, sunt de infirmis ex morbis singularibus, qui proinde domi jacuerunt afflicti extenuati & usu vitæ expertes, quem nemo eorum qui convaluit, recuperavit, nisi per gradus satis lentos pro modo agendi causarum naturalium, quæ numquam procedunt per saltus. In his posse contingere ut diutius vivant sine ullo omninò cibo aut potu non repugnare luculenter demonstrant doctissimi Bononienses. At qui sani & valentes sint ante & post multorum dierum jejunium, sicuti certum est de Moyse & Elia, ii verum in se miraculum experti sunt, quemadmodum ipsa Scriptura declarat, quæ illud quidem Eliæ testatur conjunctum fuisse cum perpetuo itinere, (4) *Ambulavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus*: de illo vero Moysis, postquam dixit (5) *Fuit cum Domino Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit*, refert deinde ipsum Moysem hoc commemorasse coram populo tamquam prodigium, (6) *Perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens & aquam non bibens*.

249. Hoc modo plane dissipatur tota objectio, cui nullo modo satis faciunt, qui absolute negant antecedens, contendentes diuturnitatem jejunii, in quo homo quin moriatur perseverare naturaliter possit, non superare septem dies, pro qua opinione dicunt primo adesse rationem in natura hominis ad quotidianum victum exigendum temperata, ut quemque docet suimet experientia, & confirmat Angelus missus cum prandio ad Danielem, qui in lacu Leo-

(1) Lang. Epist. 27.
(2) Smet. Miscell. li. 10.
(3) Lam. ubi alias ca. 27. nu. 16.
(4) 3. Reg. ca. 19. v. 8.
(5) Exod ca. 34. v. 28.
(6) Deut. ca. 9. v. 10.

Leonum (1) *erat diebus sex*, ne scilicet ut observat Franciscus Vallesius (2) *si septimam attingeret periret fame*. Multo etiam magis confirmat, qui nos docuit orare *panem quotidianum da nobis hodie*. At hæc ratio nulla est, quia ex hoc antecedenti homo indiget quotidie cibo ad bonam valetudinem, & exercitium vitæ, quo spectat Oratio Dominica, non infertur, ergo moriatur homo necesse est si quotidie non vescitur. Quare gratuita est observatio Vallesii, & alii videant an sit etiam singularis.

II. Dicunt adesse communem consensum, quem indicat ipse Plinius, dum conatur eum reiicere, dicens (3) *Homini non utique septimo die lethalis inedia: Durasse & ultra undecim plerosque certum est*. At hic consensus vel nullus est, vel intelligendus pro data distinctione.

250 III. Dicunt adesse authoritatem Hippocratis vel auctoris libri *De Carnibus*, qui sub ejus nomine circumfertur, ubi sub finem legitur, *Qui septem diebus absque ullo cibo permanserint, dehinc non possunt etiam volentes cibis subveniri; Jejunum enim intestinum in his diebus cohærescit*, quam confirmant suffragio multorum Doctorum, qui pro fabulis atque commentis habent hujusmodi diuturnas inedias, in quibus sunt Joannes Wierus in libello *de Commentitiis jejuniis* Basileæ anno 1582 edito, & Georgius Hieronymus Velschius, & Gugliel. Fabricius Hildanus, & alii multi, quibus subscribit Brancatus (4). At inprimis hujusmodi quæstiones transigi non possunt authoritatibus; Nam iis quæ adducuntur, aliæ opponi possunt Doctorum majoris etiam nominis, ut Fortunii Liceti in tractatu *De iis qui diu vivunt sine alimento*, Pauli Zacchiæ (5), Academicorum Bononiensium, aliorumque de quibus iidem meminerunt. Deinde ex iis, quibus Adversarii innituntur, aliqui certe attendi non possunt, quia temere omnino in hac re loquutos esse citati Bononienses (6) demonstrant. Talis est Wierus, qui ideo aliquam in particulari historiam elevat, quia omissas dicit certas cautiones ad effugiendam deceptionem ex frequentibus fraudibus, quæ sive quæstus caussa, sive sanctitatis simulatione, sive novitatis cujusdam ostentatione interveniunt in hujusmodi jejuniis, cum tamen hæ expresse innarrentur adhibitæ. Talis est & Velschius, qui determinatas inedias statuit fuisse confictas, quia hoc ipsum dicit existimasse graves authores quos citat, qui inveniuntur contrarium aperte testari.

251. IV. Dicunt Doctores qui affirmant prolixiora jejunia etiam per

(1) Dan. c. 14. v. 30.
(2) Val. de Sa. philos. c. 13.
(3) Plin. Hist. l. 11. c. 54.
(4) Bran. de Mirac. n. 1039.
(5) Zac. Quæst. Medico. Legal. l. 4.
(6) Bon. nota 44.

per menses esse naturalia, (1) *non jurant ita se sentire, nec probant argumento quod non possit facile impugnari*. Testis est Licetus, qui omnes rejecit opiniones de caussis naturalibus hujusmodi effectuum ab aliis ante se expositas, quas septem supra viginti numeravit, & aliam a se excogitatam proposuit. Testis Zacchias, cui displicuit illa Liceti, & aliam insinuavit. Testis Stephanus Rhodoricus (2), qui illam impugnavit, quam probavit Zacchias. At quod pertinet ad juramentum, hoc non requiritur ad præstandam fidem historicis, nisi in caussis quæ juris ordine servato agitentur: extra forum quando quis & multo magis quando plures fide dignissimi quid narrant, contra omnem rationem est iis non credere. In re nostra authores fide dignissimi sunt clari & nobiles medici diversorum temporum & regionum, & experientissimi observatores, qui testes producunt omni exceptione majores, & ipsos quandoque Magistratus, qui de rei veritate certos se reddiderunt adhibitis etiam dies noctesque custodibus, qui hujusmodi homines observarent. Quod pertinet ad dissensum opinionum circa caussas naturales hujusmodi admirabilium jejuniorum hic non infert nullas esse, sed ostendit difficile esse illas invenire, & opportune patefacere, præsertim quando plures concurrant, ex quibus cum una magis in oculos unius incurrat, alia in illos alterius, nasci solet dissensus, dum singuli suam neglectis cæteris conantur suadere, donec tandem ad concordiam revocantur, si quis adveniat, qui rem totam animo complectens, & singula penitius inspiciens ostendat omnes vel plures temperatis inter se viribus in eum effectum conspirare. Ceterum pro caussa naturali in his jejuniis sunt præter omnia extrinseca argumenta hæc etiam intrinseca, ortus ipse hujus impotentiæ ad sumendum cibum & potum, ejus progressus, & adjunctæ circumstantiæ, ut deglutitio impedita vomitus & deliquia, ubi aliquid in os ingestum fuerit, excrementorum cessatio, languor & marcor totius corporis, ventris contractio, cutis ariditas, sensuum hebetudo, vocis amissio & alia.

252. Instabis. Nihil statui potest esse miraculum, de quo non eluceat caussa aliqua finalis: Sed de diuturnis jejuniis nulla elucet caussa finalis, non bonum jejunantis, quia jejunium est ipsius cruciatus, non bonum aliorum, quia nemo movetur ad tentandum quid simile, quod vel est impossibile vel nullibi præcipitur aut consulitur: ergo nulla diuturna jejunia statui possunt esse miracula.

Resp. *conc. mai. & nego min.* Caussæ finales in hoc etiam miraculo elucent plures. I. Manifestatio Divinæ Potentiæ, quæ in omnibus miraculis apparet. II. Bonum spirituale jejunantis, qui a

R ci-

(1) Bran. de Mirac. n. 1024. (2) Rhod. de Asitia

cibis terrenis non amovetur, quin interea deliciis cælestibus perfruatur. III. Bonum spirituale aliorum, qui excitantur ad exercitium virtutis, quam vident his temperantiæ miraculis illustrari.

ARTICULUS XVII.

Objectiones contra ecstases & splendorem vultus.

253. I. OBjicitur. Ecstases seu alienationes a sensibus conjunctæ cum visione objectorum, quæ alii non vident, celebrata tamquam miracula in Moyse Elia aliisque Patriarchis & Prophetis habent exempla in aliis, in quibus non admittuntur ut miracula: ergo neque in illis admitti debent. Ans probatur; Archimedes teste T. Livio (1) in expugnatione Syracusarum obiit occisus a militibus, qui ipsum oppresserunt contemplantem figuras nescio quas Geometricas in arena designatas, adeoque ita alienatum a sensibus, ut urbis excidium non videret nec tumultum audiret. Socrates authore Gellio (2) *adeo studiis intentum animum præbuit, ut a summo lucis ortu ad solem alterum orientem iisdem in vestigiis ore atque oculis eumdem in locum directis cogitabundus tamquam excessu mentis atque animi facto a corpore fuerit deprehensus*. Ethnicus (3) *homo*, referente S. Augustino, *Curma nomine cum ægrotaret, ablatis sensibus pene mortuus jacuit aliquot diebus, tenuissimus flatus in naribus manu admota utcunque sentiebatur. Nullos artus movebat, nulla sumebat alimenta, nihil in oculis, nihil in ullo alio sensu corporis qualibet impacta molestia sentiebat: Videbat tamen multa velut in somnis, quæ tandem aliquando post dies plurimos quasi evigilans visa narravit*, quæ sicut dixetat, vera deinde comperta fuerunt. Ex eodem Augustino habemus, quod (4) *quidam nomine Restitutus, quando ei placebat, ita se auferebat a sensibus, & jacebat similis mortuo, ut vellicantes atque pungentes minime sentiret, & tamquam in Defuncto nullus inveniebatur anhelitus, hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tamquam de longinquo se audivisse postea referebat*.

254. Resp. *nego ans.* Ratio exempli quod rite objiciatur postulat, ut pares sint utrobique præcipui characteres miraculi supra expositi in ejus definitione. Hi manifeste deficiunt in iis quæ adducuntur ad antecedentis probationem excepto exemplo Curmæ, in quo non solum veritas comperta eorum, quæ Ethnicus ille vidit in sua a sensibus alienatione, sed multo magis ejusdem ad Christianam Religionem conversio, quam S. Augustinus ibidem enunciat, suadet fuisse

(1) Liv. Hist. l. 25.
(2) Gel. Noc. Atti. l. 2. c. 1.
(3) Aug. de Cura pro mort. c. 12.
(4) Id. de Civi. l. 14. c. 24.

se verum miraculum, quemadmodum etiam Brancatus (1) de illo etsi dubitanter existimavit. Alia autem propter hoc ipsum, quod nullam præseferant ad Divina deductionem reiiciuntur inter effectus vel naturales vel diabolicos. Naturale est aliquem ita defigi in alicuius rei consideratione, ut non animadvertat, quæ sibi sensibus obiiciantur. Potest etiam Dæmon machinam corpoream intime cognoscens & penetrans, aliquod ipsius organum permittente Deo impedire a sua functione, quæ totum hominem inertem reddat, non secus ac accidit in deliquiis naturalibus. Hæc autem, ad quæ reduci possunt alia exempla objecta longe distant ab excessibus mentis Patriarcharum & Prophetarum. In his habemus Sanctissimus viros colloquentes cum Angelis, res mirabiles contemplantes, Divina ediscentes & tota anima ita operantes, ut ad commercium hominum reversi se ipsi & alios ad Dei timorem cultum amorem laudem excitarent. In illis autem non video nisi homines stupiditate quadam correptos; Nihil enim de Socrate & Restituto dicitur, quam fuisse a sensibus alienatos,

255. II. Obiicitur. Ignes lambentes, qui circa homines & supra eorum capita aliquando apparent, communissime adscribuntur a Philosophis de his agentibus in tractatu de Meteoris, caussis naturalibus, cujusmodi fuit ignea lux, qua teste T. Livio (2) resplenduit caput Servii Tullii dormientis, & illud (3) Marci Romanorum ducis strenuissimi, & illud Julii Aeneæ Filii, de quo Virgilius.

Ecce levis summo de vertice Julii
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma caput, & circum tempora pasci.

Quod de aliis permultis referunt Liberatus Fromondus(4), Thomas Bartholinus (5), Gassendus (6), & alii. Sed ejusdem generis dici potest splendor faciei Moysis: ergo dici potest naturalis.

Resp. *conc. mai. & neg. min.* Nam splendorem vultus Moysis fuisse supernaturalem extra controversiam ponit Scriptura, quæ de eo semper loquitur tamquam de re, quæ divinitus contigit, (7) *Gloriam vultus*, ipsum appellat Apostolus, & (8) *ex consortio sermonis Domini* natus dicitur in Exodo. Idem suadent hujus splendoris qualitas, diuturnitas, circumstantiæ, subjectum. Nam qualitas consideranda consistit in ipsius intentione longe majori, quam sit in igne lambente: hic sine ullo incommodo conspicitur, ille vero ne-

 qua-

(1) Bra. de Mirac. n. 946.
(2) Liv. L. 1.
(3) Id. l. 25.
(4) Fro. Meteo. l. 2. c. 2. ar. 3.
(5) Barl de luce homin.
(6) Gas. epist. ad Hervæum.
(7) 2. Corinth c. 3. v. 7.
(8) Exod. c. 34. v. 29.

quaquam; Non poterant, inquit Scriptura (1) *intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus*, & ideo (2) *operiebat ille faciem suam, siquando loquebatur ad eos*. Ipsius diuturnitas fuit vel perpetua usque ad mortem, ut putat cum S. Ambrosio (3) Abulensis, vel per plures dies perseveravit. Describitur enim Moyses ponens (4) *velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo auferebat*. Contra vero ignis lambens cito evanescit, & semel aut iterum in uno homine apparet. Circumstantiæ sunt, acquisitum fuisse a Moyse tantum fulgorem, cum de Divinis ageret & populum ad divinum cultum & bonos mores deduceret: nihil autem horum reperitur in apparentia ignis lambentis, qui visus fuit etiam in dormientibus, & in Ethnicis. Tandem Moyses fuit subjectum talis splendoris, vir scilicet sanctissimus, & permultis aliis prodigiis jam celeberrimus. Quod de nullis dicitur, qui obiiciuntur.

ARTICULUS XVIII.

Objectiones contra prophetias.

265. I. OBiicitur. Prophetiæ factæ sunt etiam a malis Dæmoniis, ut constat ex historiis, & Oraculis olim celeberrimis: ergo prophetiæ non sunt miracula.

Resp. *nego ans*. Nam prophetia ex dictis (n. 62.) est enunciatio rei ignotæ naturaliter creaturis, In iis, quæ dicuntur de Oraculis, hoc solum est extra controversiam illa fuisse flexiloqua. Sed de his infra aliquid distinctius dicam. Aliis, quæ obiiciantur narrationibus atque historiis sic respondet S. Augustinus, (5) *Sciendum est Dæmones ea plerunque prænunciare, quæ ipsi facturi sunt, accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem vitiando morbidum reddere, & perversis malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri*, & alibi (6) *Dæmones non æternas temporum caussas in Dei sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum majore experientia multo plura, quam homines futura prospiciunt*. Restat igitur prophetias esse ex miraculis insignibus, ut supra (n.28.) declaratum est, & summe impium esse J. J. Rousseaum, dum referente Nonnote (7) deliria Mahometi in numero revelationum collocat, & eodem in gradu ac revelationes, quæ Hebræis olim & deinde Christianis factæ fuerunt: mendacissimum au-

(1) 2' Corinth. c. 3. v. 7.
(2) Exo. c. 34. v. 35.
(3) S. Am. in Psal. 118.
(4) Exod. c. 34. v. 27.
(5) S. Aug. de Divin. Dæm. c. 5.
(6) Id de Civit. l. 9. c. 22.
(7) Non. Dict. tit. Revelation. ar. 5. entr. 2.

autem, dum præceptum datum a Moyse non audiendi (1) *verba prophetæ aut somniatoris*, qui eos invitaret ad serviendum Diis alienis, extendit ad omnes prophetias.

257. Instat idem Deista. Nulla prædictio rei, quæ contigerit, haberi potest tamquam prophetia seu revelatio Dei, nisi certo constet non esse eventum fortuitum, eumque significatum revera fuisse per illa verba: sed neutrum potest constare: non primum quia ut certo constet eventum aliquem non fuisse fortuitum, opus est nosse leges sortium & probabilitatis eventuum. At quisnam plaudat sibi de hac perspicacia? Non secundum, quia ut certo constet significatum illum fuisse per illa verba, opus est nosse nullam in illis esse figuram, quod supponit plusquam sufficientem notitiam de indole linguæ, in qua prædictus est, quam quis sibi tribuat circa prophetias Veteris Testamenti? ergo nulla prædictio rei quæ contigerit haberi potest tamquam prophetia.

Resp. *conc. mai. & nego min.* Hujus probationis prima pariter pars negatur, quia nec sortes nec probabilitates habent locum in objectis, quæ unice a Dei vel hominum libertate dependent, & quæ effectum suum obtinere debent tempore per plura etiam sæcula remoto ab eo quo prædicuntur: cujusmodi sunt pleraque objecta prophetiarum. Hæc siquis noverit evenisse prout prædicta fuerunt, jam evidens illi est sine ullo ratiocino hujusmodi prophetiarum existentia. Altera etiam probationis pars negatur, quia quæ quis accipiat per fideles interpretes, qualis est Vulgata, possunt æque bene intelligi ac in lingua, in qua fuerint pronunciata.

258 III. Obiicitur. Quæ ex Bibliis proferuntur prophetiæ, possunt esse simplices tantum historiæ rerum, quæ pro tempore eorum Scriptorum acciderunt, & quæ deinde aptatæ fuerunt eventis posteriorum temporum ab eruditis, qui verba & sententias antiquas usurparunt scribentes aut loquentes de rebus novis. Hoc pacto Hebræi non moventur ab iis, quæ de vita morte & gloria Christi Dn. afferuntur ex Prophetis, quia eorum sensum literalem dicunt pertinere vel ad suam Rempublicam, vel ad aliquem ex suis regibus aut præclaris viris ejus temporis, circa quod Authores prophetiarum scribebant: eademque de caussa Sociniani & Deistæ inefficax dicunt argumentum pro divinitate Christi ab hujusmodi prophetiis desumptum, utpote quæ solum per allegoriam ad Christum referuntur. Quod agnoverunt etiam & fassi sunt Hugo Grotius, & Richardus Simon, primus in Commentariis Novi Testamenti, ubi quasi retractat, quod in aliis libris docuerat, secundus autem in suis Criticis historiis, ubi se Grotii in hac re discipulum declarat, ut omit-

(1) Deut. c. 13. v. 3.

omittam alios, qui in ipsarum aliquibus ne hunc quidem sensum allegoricum agnoscunt existimantes se demonstrare perpensis omnibus eas ad Christum nullo modo pertinere, cujus opinionis sunt Dumarsais & Bolingbroke, & Auctor Dictionarii Philosophici portatilis, qui etiam irridet omnes prophetas, qui scilicet (1) *vident clare ea quæ nihil sunt, quandoquidem res futuræ nihil sunt*: ergo hæc miracula prophetiæ, vel nulla sunt, vel extra controversiam non est an unquam extiterint.

259. Resp. *nego ans*, quod continet hæresim, quæ impugnata jam fuit a SS. Patribus, quos abunde affert Jo. Erancifcus (2) Baltus in Judæis, & ab Origene (3) in Celso Epicureo, & a S. Hieronymo (4) in Porphyrio, & a S. Cyrillo Alexandrino in Juliano Apostata. Eadem expresse etiam damnata fuit in Theodoro Mopsuesteno Episcopo a Synodo Romana sub Vigilio Papa, ut docebunt Jo. Pineda (5) de hoc Theodoro ejusque hæresi erudite disserens, & copiosius ac nervosius laudatus Baltus in sua *Defensione Prophetiarum*, quam opposuit Grotio & Simonio Socinianorum suffragatoribus, qui propter hoc ipsum statim plures alios contra se suscitarunt Scriptores, & passim pro hominibus iniquæ mentis habentur, qui patrocinium susceperint de hæresi quæ contraria ostenditur scripturæ traditioni authoritati Ecclesiæ & ipsi evidentiæ, quæ sponte sese offert in ipsis verbis, quibus plerunque Prophetiæ in Bibliis enunciantur, & illustrior etiam evadit dum earumdem sensus obvius cum istorum interpretationibus comparatur.

Irrisio prophetarum objecta ex impio Dictionario recidit in ejus authorem; Nam etiam de præteritis verum est ea nihil jam esse, attamen quis sobrius irrideat qui narret præterita? Sed tum ille tum alii citati Increduli ne nominari quidem debent sine execratione, uptote qui ex iis se produnt, qui juxta Domini phrasim canibus & porcis similes (6) sanctum a profano, & a glandibus margaritas non discernunt, adeoque cum pari impietate, & majori fortasse impudentia errores repetunt jam olim confutatos, ut Nonnote docebit tum locis supra (n. 128. citatis, tum ubi retundit impias & inscitas interpretationes circa Canticum Canticorum renovatas in impio Dictionario (7) ad tollendam authoritatem libro, qui inter divinos semper habitus fuit, & divina inspiratione a Rege Salomone conscriptus semper creditus tum a Synagoga, quæ in eo sub allegoria mutui amoris sponsum inter & sponsam legit illum Dei erga suum po-

(1) Dict. art. Catechisme Chinois.
(2) Bal. Defense de Prophet. l. 3. n. 1.
(3) Orig. l. 1. c. Celsum
(4) S. Hie. præf. in Daniel. & in ca. 11.
(5) Pin. de Rebus Salomon. l. 6. c. 19.
(6) Matt. c. 7. v. 6.
(7) Non. dict. ar. Cantique

populum, tum ab Ecclesia Christiana, quæ illum Jesu Christi erga se sub eadem figura ultimo expressum admiratur.

260. Hanc evidentiam in prophetiis maxime quæ de Christo prædicantur, ipsemet Divinus Magister supposuit, adeoque affirmavit haberi, quando appellans ad miracula, quæ coram Judæis fecerat (1) *qualia* inquit Maldonatus post S. Thomam (2) *prophetæ Christum facturum prædixerant*, de iisdem dicebat, (3) *si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, in eo nimirum quod in me non credant. Et quando eos monebat, ut non legerent tantummodo, quæ Scripturæ loquebantur de Christo, sed scrutarentur, (4) *scrutamini scripturas. Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Ex hoc scrutationis defectu negarunt has prophetias ipsi convenire, credentes ipsum, qui pauper erat & humilis (5) non esse ex semine David, nec in eo posse veritatem habere, quod de Messia legebant, (6) *Magnificabitur usque ad terminos terræ. Et* (7) *exaltabitur manus tua super hostes tuos*, non intelligentes hujusmodi victorias esse de vitiis & idololatria, quemadmodum ceteroquin idem Propheta satis significabat, sed de terrenis gentium regnis, nec assumentes ejus gloriam & imperium, prout opus erat in ordine ad homines, quos ad sincerum Dei cultum, & ad exercitium virtutum, quibus sibi æternam felicitatem acquirerent, erat adducturus, sed in ordine ad fugacem & sensibilem fastum & temporarium dominatum. Et quando tandem post suam resurrectionem apparens discipulis euntibus in Emmaus eos reprehendit, quod nutarent in fide circa Jesum Nazarenum, quod esset Messias, quia traditus in damnationem mortis crucifixus objerat, (8) *O stulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*.

262. De eadem evidentia testes habemus Judæorum Doctores sub ipsum Christi Dn. adventum; Nam dum Herodes (9) *sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur dixerunt ei in Bethlehem Juda*, adducentes prophetiam Micheæ: Et dum (10) *interrogavit eos Jesus, quid vobis videtur de Christo, cujus filius est, dicunt ei David*, quod noverant ex Psalmo, (11) *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum*, & ex aliis locis, quæ producunt Theologi, ubi de-

(1) Mal. in Joa. c. 15.
(2) S. Tho. 3. p. q. 47. ar. 5.
(3) Joa. c. 25. v. 24.
(4) Ibid. c. 5. v. 39. & 46.
(5) Ibid. c. 7. v. 42.
(6) Mich. c. 5. v. 4.
(7) Ibi. v. 9.
(8) Luc. c. 24 v. 25.
(9) Matt. c. 2. v. 4.
(10) Ibid. c. 22. v. 4.
(12) Psal. 88. v. 5.

demonstrant Christum jam advenisse. Et dum (1) *de turba multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit*, jam ostendunt nosse se prophetias Isaiæ (2) de ipsius miraculis. Quid plura? Judæi omnes tam docti, quam indocti tempore Christi, de ipso intellexerunt prophetias, quas deinde perfidiose recusarunt sic intelligese. Docti enim erant, qui (3) *Thessalonicæ susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent*, quæ a Paulo de Christo audierant. Ex indoctis erat Philippus, qui postquam sequutus est Jesum, qui ad se eum vocaverat (4) *dicit* Nathanaeli, *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Josum*.

PROPOSITIO II.

Multa in promulgatione Legis Christianæ extiterunt miracula.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

262. Omissis adversariis contra omnia miracula, & signate Judæis, qui definite Christi miracula pro veris non agnoscunt ex dictis supra (n. 127.), propositioni adversantur, qui dixerunt, ut ex Castro (5) refert Suarez (6), opera Christi fieri potuisse vel ex virtute optimi temperamenti ejus corporis, vel ex efficacitate ejusdem imaginativæ. Famosus etiam adversarius propositionis est Thomas Woolstonius natus anno 1669, & mortuus anno 1733. quem Acta Lipsiæ in supplemento anni 1729 dicunt Religione Christiana abnegata Judaicam amplexum fuisse. Hic miracula narrata ab Evangelistis, tamquam allegorias, & symbola repræsentantia vitam spiritualem in animis hominum, non vero tamquam historias, abutens authoritate illorum Patrum, qui studiose inquisierunt sensum allegoricum in verbis S. Scripturæ. At nemo illorum rejecit sensum literalem, quin immo eos, qui hunc nimis leviter attenderent, aperte reprehenderunt. Atque in re nostra scitum est illud S. Gregorii, (7) *Miracula Salvatoris sic accipienda sunt, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant*. Multo autem minus ea dixerunt in sensu obvio incredibilia, sicut

(1) Jo. c. 7. v. 31.
(2) Isa. c. 35. v. 5. & c. 42. v. 7. & c. 53. v. 4.
(3) Act. c. 17. v. 11.
(4) Joa. c. 1. v. 45.
(5) Cast. cont. hæref. art. Miracula.
(6) Sua. in 3. p. dis. 31. sec. 2.
(7) S. Greg. Hom. in Trang. 2.

ſicut Woolſtonius pronunciavit: quod eſt declarare ſe incredulum eſſe non ſolum circa evangelicas miraculorum narrationes, ſed multa alia etiam negare, ut quod Hebræi juſte fuerint reprehenſi in eodem Evangelio, quod non crederent operibus, quæ Chriſtus faciebat, & nemo alius fecerat, quod inaniter dixerit ipſemet Chriſtus diſcipulis Joannis, ut illi referrent vidiſſe ſe ad ſuum imperium cæcos videre, mutos loqui, ſurdos audire, & mortuos ad vitam redire.

263. Woolſtonius hanc hæreſeon congeriem in pluribus ſcriptis plenis audacia, mala fide, & impietate, maxime vero in ſex de miraculis Chriſti ſermonibus propugnavit. Propter quam cauſam anno 1721 expulſus fuit e Collegio Sidnæo, in quo ad gradum Doctoratus nunquam admiſſus fuerat, & a Londinenſi Magiſtratu captus judicatus & condemnatus ut blaſphemus, & ea pecuniæ vi multatus, quam cum impar eſſet ſolvendo, nec vadem ullum invenerit in carcerem conjectus anno 1729, ibidem tandem obiit anno 1733 ut referunt Seigneuxius in notis ad Addiſonum de Religione Chriſtiana (1), Trevoltiani (2), & omnium accuratiſſime Abraham Le Moine in diſſertatione adiecta verſioni Gallicæ ex Anglico libri, cujus titulus *Teſtimonia de Reſurrectione* Chriſti Dni Pariſiis editi anno 1753 juxta ſextam editionem Anglicanam, qui nullius quidem nomen præſefert, ſed communiter tribuitur Sherlockio. & unus eſt ex multis, qui in Anglia ſtatim tam inſignem impietatem confutarunt, ut Joecherus (3), Edmundus Gibſonus (4), Stachouſe (5), de quibus ni fallor meminit citato loco etiam Moinè, ſicut & de aliis Vvoolſtoni opellis.

264. Noviter in damnato Dictionario philoſophico, & in Gallicis epiſtolis De miraculis apud Bergierium (6) impia doctrina renovatur de miraculis Evangeliorum, quod ſint meræ parabolæ, non hiſtoriæ rerum quæ reapſe contigerint. Et J. J. Rouſſeau de quibuſdam præclarioribus, quæ Evangeliſtæ accurrate deſcripſerunt, aperte pronunciavit *ea non poſſe a quoquam credi, qui bona menti non renunciaverit*. Et Boulangerus Auctor ut dicitur libri, de quo ſupra (n. 166.) memini, *Chriſtianiſmus detectus*, qui cum non ſit in re, niſi aperta Irreligio, hoc modo inſcribi debuit, *omnia*, inquit, *miracula Chriſti evaneſcunt apud homines a præjudiciis liberos, qui advertant ipſum a Judæis ad mortem efficaciter poſtulatum*. At quando Apoſtolus dixit (7) *prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis qui-*

(1) Add. Relig. Chret. Serm: 2. § 4.
(2) Trev. an. 1753. ar. 10. pag. 162. Et an. 1759. ar. 24. pag. 506.
(3) Ioe. Exam. Vvolſtoni.
(4) Gib. Lettere paſtorali.
(5) Sta. Sens liter. de l'Ecrir. c. 8.
(6) Ber. Apolog. c. 2. n. 4. Et Ibid. p. 4. ar. Chriſtianiſme pag. 172.
(7) 1. Corinth. c. 1. v. 2. 3.

dem Scandalum, Gentibus autem stultitiam, significantius eamdem objectionem expressit, & nihilominus innumeros ex Judæis & Gentibus in Christum reddidit credentes, scilicet quia possunt homines in scelus aliquod evidenter tale conspirare, quod deinde detestentur, quemadmodum fecit hic ipse Incredulus, quem in ultimo suo morbo pœnituit de tot ac tantis blasphemiis, quas professus est contra conscientiam scripsisse, dum suis cupiditatibus plausus maxime & gratiæ apud Libertinos indulgeret, sicuti Bergierius in *Refutatione præcipuorum articulorum Dictionarii Philosophici*, quam adiecit suæ *Apologiæ Christianæ Religionis* signate contra librum *Christianismi detecti* scriptæ narrat (1) suismet auribus accepisse ab eo, qui nomine Parochi Divina Ecclesiæ Sacramenta ab ipso expetita eidem administravit.

Et Jo. Martinus de Prade in quadam thesi, quæ horrorem omnibus non impiis incussit, ausus fuit affirmare miracula Christi, si considerentur independenter ab eorum prædictione jam antea per prophetas facta, non posse discerni a sanationibus Aesculapio attributis. Nec in apologia quam edidit, ut censuris Sorbonæ & clamoribus bonorum satisfaceret, hanc impietatis notam a se sufficienter repulit, sed illam insinceri & impudentis sibi juxta Trevoltianos (2) adjunxit, dum Patres pro sua opinione infideliter citavit.

265. Catalogum tandem adversariorum augent quotquot nostra ætate contra Christianam religionem debacchantur, & ipsa Evangelia tentant ex hominum manibus excutere per libellos plerunque anonymos, & furtim impressos, in quibus irrident tamquam imbecilles, qui ea habeant pro libris Divina inspiratione conscriptis, utpote quæ contendunt redundare contradictionibus fabulis & ineptiis, quas dum producunt, sibi certe nocent, quippe nulli impietas utilis fuit, & scandalum præbent indoctis, & minus cautis, non vero prudentibus, & vel mediocriter doctis, qui facili negotio possunt istorum ignorantiam calumnias contumelias & mendacia demonstrare, quemadmodum videmus factum a Bergierio (3) contra Frereti *Examen Criticum de Apologistis Christianæ Religionis*, & iterum a Nonnote (4) contra eumdem librum, & alios similes, de quibus ipse ibidem meminit, quorum etiam collectionem Increduli ediderunt sub Gallico titulo *Collectionis necessariæ*.

AR-

(1) Ber. Refut. pag. 2.
(2) Tre. an. 1753 ar. 76. pr. 1605.
(3) Ber. Confut. dell' esame. Et Apolog. c. 2. n. 4.
(4) Non. Dicr. ar. Evangile.

ARTICULUS II.

De Miraculis novi Testamenti ante prædicationem Christi.

266. ANtequam argumenta propositionis afferam, recenseo miracula, quæ in libris Novi Testamenti continentur. Ac I. occurrit apparitio Angeli Gabrielis (1) facta Zachariæ Sacerdoti, qua prænunciavit conceptionem Elisabeth uxoris suæ jam senis, & nativitatem sanctitatem ac nomen nasciturí Joannis, ac tandem impotentiam loquendi repente supervenientem, & duraturam usque in diem, quo ea evenirent, in pœnam hæsitationis suæ circa ea quæ audiverat.

II. Habemus missionem ejusdem Angeli ad Mariam Virginem, cui mysterium Incarnationis Verbi Divini per ipsam sine virginitatis detrimento complendum revelavit. Quod factum est simul ac Virgo dixit *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*, & ipsamet exposuit in celebri suo Cantico *Magnificat*.

III. Visitante Maria Virgine cognatam Elisabeth a sexto jam mense prægnantem sanctificatus fuit ejus filius, qui (2) *præ gaudio exultavit in utero ejus & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*, & prophetavit.

267. IV. Recuperata loquendi facultate a Zacharia, cum nomen dederit nato præcursori, ea statim usus est ad benedicendum Deum erumpens in propheticum canticum de adventu Messiæ, & electione filii sui in ejus præcursorem.

V. Apparitio Angeli (3) facta S. Josepho, qua eum edocuit de felicitate suæ conjugis, quæ facta erat virtute S. Spiritus Mater Altissimi, quem vocari jussit Jesum.

VI. Nativitas Christi ex Virgine, prout scriptum jam olim erat (4) *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium*, & notum toti Hebræorum nationi. Quare quoties Christus deinde aperte eisdem dixit se esse filium hominis & filium Dei, sicuti sæpe fecit, ut ex hac etiam causa reus mortis dictus fuerit in ipsorum concilio (5), toties hujusmodi suam ex Virgine nativitatem manifestavit. Quod placuit advertere contra illum, qui apud Bergerium (6) dubitationem de hoc mysterio movet ex silentio Christi, quasi vero Evangelistæ & Apostoli mysteria prædicaverint, quæ non fuerint ipsis a Chri-

(1) Luc. c. 1.
(2) Ib. c. 1. v. 41.
(3) Matt. c. 1.
(4) Ibid. c. 1. v. 23.
(5) Matt. c. 26. v. 65.
(6) Ber. Apolog. p. 4. t. 16. Cristianisme pag. 174.

Christo revelata. Jamque deveni ad miracula, quæ immediate pertinent ad Christum, quorum considerationem S. Thomas (1) distribuit in ea, quæ facta legimus primo in spiritualibus substantiis, deinde in cælestibus corporibus, tum in hominibus, tandem in creaturis irrationalibus. Equidem ea redigam ad præcipua capita vitæ Christi, Nativitatem, Prædicationem, Passionem, Resurrectionem: quod erit prosequi ordinem, quem plerunque habent in Sanctis libris, & quo facta sunt.

268. Incipiens itaque a Nativitate Christi, hæc pastoribus annunciatur per Angelum, qui se illis conspiciendum præbet cælesti lumine circumfusum (2). Eadem celebratur a multitudine superveniente Angelorum (3) *laudantium Deum, & dicentium Gloria in Altissimis Deo*. Eadem late pervulgatur per novam in Cælo apparentem Stellam singularibus distinctam proprietatibus, quas S. Thomas (4), & alii apud Calmet (5) considerant, quæ ex Oriente Magos, hoc est homines sive doctrina sive dignitate spectabiles, ut Maldonatus post alios interpretatur, (6) ad eum adorandum usque in Jerusalem perduxit, ubi cum ab eorum oculis se subtraxerit, palam interrogabant, (7) *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*, ut de hoc adventu certior fieret Herodes & totum ipsius regnum a consultis per sacerdotes & scribas Scripturis, in quibus lectum fuit Christum nasciturum in Bethlem Juda: Quo cognito a Magis, cum illuc iter dirigerent, iterum eadem Stella apparens (8) *antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer*.

De hujus Stellæ apparitione meminit etiam Chalcidius, quem meliores Critici negant fuisse Christianum, & in tertio sæculo collocant. Ille in suis ad Platonis Timæum observationibus aperte scribit eam fuisse, quasi nuncium descensus Numinis in terram ad felicitatem generis humani, prout omnibus perpensis conclusum fuit a Chaldæis Astronomiæ peritis, quorum aliqui ad ejus inquisitionem processerunt, eumque tandem sub forma infantis latentem invenerunt & adoraverunt. Hoc testimonium post Tricaletum (9) commemorat Nonnote (10) in gratiam nescio cujus increduli, qui post Evangelium & Traditionem sollicitus visus fuit de aliquo non Christiano authore, qui de hac stella meminerit.

Instat alius incredulus apud Bergerium (11). Non potuit nova stel.

(1) S. Th. 3 p. q. 44.
(2) Luc. 2. v. 29.
(3) Ibid. v. 13.
(4) S. Tho. 3. p. q. 36. ar. 7. v.
(5) Cal Diss. De Magis, qui Jesum adoraturi venerunt.
(6) Matt. c. 2.
(7) Ibid. c. 2. v. 2.
(8) Ibid. v. 9.
(9) Tri. Moti. de credibil. pag. 120.
(10) Non Dict. tit. Christianisme ar. 6.
(11) Ber. Apolog. c. 6. n. 11.

stella in Cælo constitui sine totius mundi perturbatione ; Nam stellæ sunt immanes globi, & totidem soles, qui pro mutua attractatione materiæ influant necesse est in totam rerum corporearum universitatem. At respondetur nomine stellæ venire etiam quicquid instar stellæ resplendeat, quod potuit Deus tribuere certæ ætheris parti. Hac ratione dabit ipse Adversarius objectionem suam evanescere, quæ ceteroqui nulla esse debuit, cum agatur de effectu Virtutis Divinæ.

269. Magi interea postquam Verbum Carnem factum adoraverunt, *per aliam viam reversi sunt in regionem suam* juxta cæleste monitum quo veriti fuerunt ad Herodem redire. Eadem iterum divulgata est per totam Hierosolymam tum a Simeone (1) *homine justo & timorato*, in quo erat Spiritus sanctus, qui Christum infantem in templo præsentatum accipiens in ulnas suas prædicavit esse Redemptorem Mundi, sive Salutare paratum ante faciem omnium populorum: tum ab Anna prophetissa, Sanctissima Vidua (2) *octoginta quatuor annorum, quæ non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens nocte & die, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*. Eadem per totum imperium Romanum propagata est, dum paucis ab ortu Christi diebus ille abductus fuit in Aegyptum ab Joseph juxta mandatum Domini eidem communicatum ab Angelo occasione immanis consilii Herodis, de quo meminit etiam Macrobius (3), qui (4) *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra*, stulte putans se in horum aliquo Christum oppressurum. Illustris igitur ex omni parte fuit hæc Nativitas, sicuti etiam ejusdem mors & pars aliqua ipsius vitæ, ut jam declarabo. Quare solum ad fovendam & insinuandam incredulitatem potuit impium Dictionarium philosophicum apud Bergierium (5) simulata pietate dicere, *Deum involvisse nebula tam augusta quam obscura nativitatem vitam & mortem suam*.

Novæ Angeli apparitiones factæ Josepho illustrant infantiam Christi, per quas jussus fuit ejusdem ab Aegypto reditus primo in Israel, deinde in Galilæam.

270. Miracula, quæ ad Christum non amplius infantem, sed nondum prædicantem spectantia, commemorantur, sunt I. patefactio Sapientiæ supra ætatem, quando in templo Jerusalem inventus est (6) annos natos duodecim sedere in medio doctorum, audiens illos & interrogans eos ut stuperent *omnes qui eum audiebant super prudendem-*

(1) Luc. c. 2. v. 45.
(2) Luc. c. 2. v. 37.
(3) Mac. Satur. l. 2. c 4.
(4) Matt. c. 2. v. 16.
(5) Ber. Apolog. p. 4. ar. Christianisme.
(6) Luc. c. 2.

dentia & responsis ejus. II. hæc sunt. Christo suscipiente Baptisma Joannis, (1) *aperti sunt ei Cæli*, *& vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de Cælis dicens, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: in quibus verbis advertit Maldonatus (2) dici apertos Cælos ei ideſt Christo, quia propter eum aperti fuerunt, cæterum *credendum est omnibus, qui adstabant apertos fuisse*, sicuti etiam *omnes spiritum descendentem vidisse*. III. est jejunium (3) *quadraginta diebus & quadraginta noctibus* protractum in deserto, quo post baptismum se contulit, quod intelligendum est de abstinentia ab omni cibo & potu, ut speciatim Cal. met hic advertit, quandoquidem de essentia jejunii apud Hebræos erat nihil neque solidi neque liquidi gustare, eumdemque fuisse morem vetustioribus Ecclesiæ temporibus colligitur ex Ruffino & Prudentio; Ruffinus enim apud Rosweidum (4) refert Silvanum Abbatem dixisse discipulo suo Zachariæ, cum in itinere de aqua quam invenerat vellet bibere, *Zacharia hodie jejunium est*: Prudentius vero inducit Sanctum Fructuosum Tarraconensem Episcopum sic eos alloquentem, qui sibi ad Martyrium pertracto poculum exhibebant.

Jejunamus ait recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora

quæ erat hora cibi & potus, quam prævertere idem erat ac jejunii legem violare.

271. Exacto hoc jejunio cum Christus fame naturaliter passus fuerit se affligi, voluit etiam Diaboli tentationibus se subiicere, qui cognita hac ejus infirmitate statim ad eum tentandum accessit, & semel superatus, iterum iterumque cum novis tentationibus rediit: quarum narrationem cum Matthæus his verbis aggrediatur, (5) *Assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi*. Et (6) *iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde*, Maldonatus in hunc locum potiorem ducit eorum interpretationem, qui verbum assumpsit explicant per verbum duxit, tum quia alia habemus apud eumdem Matthæum exempla hujus significationis verbi assumo, tum quia Lucas idem narrans, utitur verbo duxit, tum tandem quia parum verosimile est tantum Diabolo Christum erga se permisisse, ut ab eo deportaretur. Restat igitur in hac interpretatione solum miraculum in data Diabolo permissione ut ad se accederet sub visibili forma, quam eodem Maldonato teste

(1) Matt c. 3. v. 16.
(2) Mal. in Matt. hic.
(3) Matt. c. 14.
(4) Rof. Vitæ Patrum.
(5) Matt. c. 4. v. 5.
(6) Ibid. v. 8.

ſte (1) *omnes Auctores* dicunt fuiſſe *corpoream*, *eamque humanam*, quod aliud ſequutum eſt, quando expulſo tentatore *acceſſerunt Angeli*, *& miniſtrabant ei*.

ARTICULUS III.

De Miraculis Novi Teſtamenti in prædicatione Chriſti exceptis ſanationibus

272. VEnio ad miracula, quæ illuſtrant Chriſti prædicationem. Hanc cum ordiretur, electis jam in ſuos diſcipulos (2) Andrea Petro & Philippo, prophetam ſe oſtendit Nathanaeli. quando (3) *dixit ei*, *priuſquam te Philippus vocaret*, *cum eſſes ſub ficu vidi te*: quod quia ſibi ſoli notum eſſe ſciebat Nathanael, *reſpondit ei & ait*: *Rabbi Tu es Filius Dei*, *Tu es Rex Iſrael*. Paucis poſt diebus ad nuptias invitatus in Cana Galilææ deficiente vino aquam in vinum commutavit: quod *initium ſignorum Jeſus* vocat Joannes, non quia primum fuerit abſolute, cum jam aliqua ante hoc tempus ab ipſo facta jam adnotaverim, ſed quia primum eorum, quæ fecit ut omnibus oſtenderet ſe eſſe Meſſiam, quemadmodum explicant Suarez (4) & Maldonatus (5), qui ſicuti nolit credi quædam miracula, quæ in libro *De infantia Chriſti* aſcripto apocryphis per Gelaſium (6), & confutato noſtra ætate a Cardinali Gotti (7), ita nolit eos approbari, qui hoc Joannis teſtimonio utuntur ad excludendum omne omnino antecedens miraculum, quaſi vero ab ipſo Evangelio non ſatis indicata ſit ſua interpretatio per verba quæ ſequuntur, & *manifeſtavit gloriam ſuam*, hoc eſt Divinitatem ſuam, quæ alibi etiam ab Evangeliſtis Gloria appellatur. Manifeſtavit autem luculenter, quia hoc miraculum exequutus ſola voluntate.

273. Non multo poſt aſcendens Jeroſolymam (8) & inveniens in templo vendentes boves et oves & columbas, & numularios ſedentes, facto flagello de funiculis *omnes ejecit de templo*, *oves quoque & boves*, *& numulariorum effudit æs*, *& menſas ſubvertit*. De hoc miraculo, quod cum Matthæus & Lucas (9) narrent factum ſub finem prædicationis Chriſti, putant bis factum Chryoſtomus, Auguſtinus, & Euthimius, quos ſequitur Maldonatus (10), dicit Hieronymus, *Mihi inter omnia ſigna hoc videtur mirabilius*, *quod unus homo potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem*, *menſaſque ſubvertere*.

(1) Mal. in Ioa. c. 2. v. 11.
(2) Joan. c. 1.
(3) Ibid. c. 1. v. 48.
(4) Sua. in 3. p. Diſ. 31. ſec. 2. §. ſed quæres.
(5) Mal. in Joa. c. 2. v. 11.
(6) Can. Sancta Romana. Diſt. 15. §. 1.
(7) Grot. Verit. Relig. c. 15. §. 1.
(8) Joa. c. 2. v. 13.
(9) Luc. c. 19. a 45.
(10) Mald. in Matt. c. 21. v. 12.

tere. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus & Divinitatis Majestas lucebat in facie.

274. Ex hoc tempore innumerabilia occurrunt miracula juxta hyperbolem, quam S. Augustinus (1) & alii Patres apud Maldonatum agnoscunt in verbis S. Joannis, (2) *Quæ fecit Jesus si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt libri*. Quare optimo jure Maldonatus in controversia, an propositio Christi Dn. (3) *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, significet fuisse sua miracula majora numero, an qualitate iis, quæ Patriarchæ & Prophetæ fecerunt, contendit significare fuisse in omni sensu majora. Summa horum miraculorum capita exceptis sanationibus, de quibus seorsim dicam, sunt,

275. I. Repetita distributio alimentorum semel in quinque millia hominum (4) præter mulieres & parvulos ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, duodecim sportis fragmentorum superantibus: & iterum in quatuor millia hominum supra mulieres & parvulos (5) ex septem panibus, & paucis pisciculis ita ut satiatis omnibus ex fragmentis impletæ fuerint septem sportæ. Incredulus, qui apud Bergierium (6) dubitat de veritate harum multiplicationum, quia ad illam ait requiri creationem novæ materiæ, quam subductis rationibus computat libras quindecies mille, profecto insulsus est. Nam imprimis quis hoc sapienter opponat ubi agitur de multiplicatione facta a Creatore Cæli & Terræ: deinde docuit jam S. Thomas ex dictis supra (n. 27.) eam factam fuisse per conversionem in panes materiæ alias existentis, non per creationem.

276. II. Demonstratio dominii in omnes creaturas etiam inanimes, ut cum a Nazaræis civibus cæteroquin suis repente surgentibus in medio sermonis, quem apud eos habebat iisdem ingratum, extra civitatem ductus (7) *usque ad supercilium montis ut præcipitarent eum, ipse transiens per medium illorum ibat*, plane ostendens quocunque modo id effecerit dogma illud, (8) *sine me nihil potestis facere*. Et cum non permisit, ut Jerosolymitani Judæi sibi palam docenti in templo diebus festis Tabernaculorum nocerent, etsi maxime vellent, & miserint etiam (9) *Principes & Pharisæi ministros ut apprehenderent eum*, quod non solum non fuerunt exequuti, sed ne potuisse quidem exequi declararunt, cum reversi re infecta, principibus rogantibus, (10) *quare non adduxistis illum? responderunt ministri, Nunquam eum*,

(1) S. Aug. in Joa. tr. 124.
(2) Joa. c. 21.
(3) Joa. c. 15. v. 24.
(4) Matth. c. 14. v. 17.
(5) Ibid. c. 15. v. 32.
(6) Ber Anal. c. 6. n. 1.
(7) Luc. c. 4. v. 29.
(8) Joa. c. 15. v. 5.
(9) Joa. c. 7. v. 32.
(10) Ibid. v. 45.

sic loquutus est homo, sicut hic homo. Et cum iterum habito coram eis in templo sermone, in quo eosdem palam docebat de sua Divinitate, & missione a Deo Patre, illis tollentibus (1) *lapides ut jacerent in eum, abscondit se & exivit de templo*, hoc est invisibilem se reddens per medium illorum transiens extra templum venit: Quam interpretationem approbat cum aliis Maldonatus (2), & ipse textus satis declarat, conjungens *abscondit* cum *exivit*. Et quam tertio in alio festo Encæniorum securus prosequutus est suam ad illos concionem, in qua palam fatebatur suam Divinitatem, etiamsi lapides jam sustulerint (3) *ut lapidarent eum*. Et quando post pauca in eamdem rem audita cum vellent eum apprehendere ad perficiendam (4) extra templum ipsius lapidationem, ipse *exivit de manibus eorum, & abiit trans Jordanem*. Qui animadvertit Christum pro concione de sua Divinitate tam sæpe loquutum fuisse, admirabitur cum Bergierio (5) dari incredulos tam ignorantes vel tam mendaces, qui identidem scribant Christum suis coævis se esse Deum non manifestasse.

277. Et cum ad duos ex discipulis suis missos in castellum proximum Jerosolymæ, dixit, (6) *invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet*: Accidit autem referente Luca, (7) *ut solventibus illis pullum, dixerint domini ejus ad illos, quid solvitis pullum. At illi dixerunt, quia Dominus eum necessarium habet, & duxerunt ad Jesum*; Audito enim hoc imperio, confestim dimissi fuerunt, ut Jesus jam prædixerat. Et cum (8) *increpavit ventum & tempestatem aquæ, & cessavit*. Et cum Petrus & ejus socii ad ejus imperium (9) laxantes retia in capturam, concluserunt tantam piscium multitudinem, ut impleverint duas naviculas ita ut pene mergerentur. Quare Petrus stupore correptus *procidit ad genua Jesu dicens, Exi a me, quia homo peccator sum Domine*. Et cum iterum (ut hoc etiam quoniam simillimum ab altero non sejungam etsi factum post resurrectionem) apparens (10) discipulis ad mare Tiberiadis jussit mittere in dexteram navigii rete, quod jam non valebant trahere præ multitudine piscium, quod cum tandem traxerint, etsi plenum magnis piscibus centum quadraginta tribus, nihilominus non est scissum rete.

278. Et cum supra aquas, tamquam supra solidum pavimentum bis ipse (11) visus est ambulare, & semel concessit Petro ut & ipse su-

(1) Ibid. c.8. v.59.
(2) Mald. in hunc locum.
(3) Joa. c.10. v.31.
(4) Ibid. v.39.
(5) Ber. Apolog. p.4. ar. Christianisme pag.175.
(6) Matt. c.21. v.2.
(7) Luc. c.19. v.33.
(8) Luc. c.8. v.24.
(9) Ibi. c.5 v.4.
(10) Joa. c.21.
(11) Matt. c.14. v.25. Et Mar. c.6. v.48.

ſuper aquam ambulans ad ſe veniret, quoniam rogaverat, nec mergi coepit, niſi poſtquam importune timens ventum validum, humanum quid paſſus eſt diminutionem fidei. Et cum (1) *nihil inveniens in fici arbore niſi folia*, eidem maledixit, & continuo (2) *arida facta eſt a radicibus*, quo miraculo juxta interpretes ſymbolice enunciavit ſempiternam Synagogæ abrogationem. Et cum ad ſolvendum tributum, de quo Publicanos noverat cum Petro colloquutos, dixit Petro, (3) *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.*

279. III. Diverſi generis prophetiæ. Circa enim res præſentes, ſed omni creaturæ occultas, celebres ſunt quas de internis hominum cogitationibus manifeſtavit. Scribæ quidam audientes ea ad quemdam paralyticum directa verba, (4) *Remittuntur tibi peccata tua, dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris*, & reliqua. Alius Phariſæus apud quem Jeſus manducabat, cum (5) *intra ſe* diceret contra Chriſtum permittentem peccatrici quæ illuc intraverat, ut oſcularetur pedes ſuos & unguento ungeret, *Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique qua & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, reſpondens* Jeſus ea dixit, quibus miſericordiam & ſanctitatem ſuam, ejuſdemque errorem atque iniquitatem demonſtravit. Circa autem res abſentes loco, habemus ipſum domi manentem noviſſe, quid extra illam Publicani didrachma accipientes colloquuti fuerunt cum Petro: Nam cum Petrus (6) *intraſſet domum, prævenit eum Jeſus*, & de colloquio habito ſe penitus inſtructum oſtendit. Habemus præterea ipſum diſtantem a Bethania vidiſſe Lazarum ibi jam obiiſſe; Nam antequam illuc tenderet ad eum excitandum a morte ad vitam, diſcipulis (7) *dixit manifeſte, Lazarus mortuus eſt.*

280. Circa res præteritas Evangelium meminit de illa, quæ conſiſtit in enarratis Samaritanæ probroſis ipſius vitæ erroribus, quibus auditis ſtupore perculſa (8) *Dicit ei, Domine video quia propheta es tu*, & relicta hydria, quam ad hauriendam aquam a fonte extra civitatem poſito ſecum attulerat (9) *abiit in civitatem, & dicit illis hominibus, Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.*

281. Circa res futuras frequens fuit illa de exitu ſuæ vitæ poſt multos cruciatus, quos paſſurus erat (10) *a ſenioribus & ſcribis & princi-*

(1) Matt. c. 21. v. 19.
(2) Luc. c. 11. v. 20.
(3) Matt. c. 17. v. 26.
(4) Ibid. c. 9. v. 2.
(5) Luc. c. 7. v. 39.
(6) Matt. c. 17. v. 24.
(7) Jon. c. 11. v. 14.
(8) Jo. c. 4. v. 19.
(9) Ibid. v. 28.
(10) Matt. c. 26. v. 21.

cipibus Sacerdotum, qui eum morte etiam essent condemnaturi, & de illusionibus flagellis & cruce, quæ sibi manebant eorumdem Judæorum impulsu a Gentibus, (1) *Filium hominis condemnabunt morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum*: Et de ipsorum poena propter tantam perfidiam in eo sita, quod non foret amplius ex ipsis Ecclesia Dei composita, sed ex quibusvis gentibus, quæ in Christum ab ipsis reprobatum crederent. Hoc significavit per parabolas de convivio, in quo (2) Judæis rejectis alii ab Oriente & Occidente venientes recumberent, de vinea, quæ (3) locanda erat aliis agricolis, de regno Dei ab ipsis auferendo, de offensione in lapidem, supra quem cadentes confringerentur, quem sensum ipsimet Judæi probe (4) intellexerunt: Et de proditione Judæ (5), ac poena quæ ipsum propterea manebat: Et de fuga discipulorum, ac trina Petri negatione in una eademque nocte (6) *priusquam Gallus vocem bis* dedisset: Et de suo ad vitam reditu, & quidem tertia die a tolerata morte, (7) *Filius hominis occisus tertia die resurget*, sicuti factum fuit; occisus enim die Veneris resurrexit die dominica. Qui objiciunt non haberi hac ratione tres dies, nesciunt modum loquendi communem plerisque gentibus comprehendendi primum & ultimum diem, quocunque modo hi se habeant sive inchoati sive perfecti, cum de numero dierum determinato loquuntur: Et tandem de novo adventu ad judicandum mundum, quem præcedent inaudita prodigia in Sole Luna Stellis & universa terra, ut habetur apud Matthæum (8), Apocalypsim, & alios Prophetas.

Distincta autem prophetia est illa facta Apostolis de iis, quæ ipsis contingerent in prædicatione Evangelii, ad quam elegerat, quæ omnia eventu novimus comprobata. Impleti enim Spiritu Sancto quem orando & expectando prout sibi præscriptum & promissum fuerat receperunt, omnes terrarum partes pervaserunt Christum annunciantes juxta illud, (9) *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Experti sunt ubique odium principum & populorum, quibus prædicarunt. Sed nihilominus illis reluctantibus Ecclesiam Christi in toto Romano imperio & ultra stabiliverunt: quorum utrumque notum ipsis jam erat, primum quidem scilicet persequutiones, quia dixerat, (10) *Eritis odio omnibus propter nomen meum*: secundum vero triumphum fidei & Ecclesiæ Christi, qnia cum post similem prophetiam, (11) *in*

(1) Ibid. c.20. v.18.
(2) Matt. c.8. v.11.
(3) Ibid. c.20. v. 41.
(4) Ibid. v.45.
(5) Ibid. c.26.
(6) Mar. c.14. v.30.
(7) Ibid. c.9. v.30.
(8) Matt. c. 24.
(9) Act. c.1. v.8.
(10) Matt.c.10.v.22. (11) Jo.c.16.v.33.

mundo pressuram habebitis, addidit statim, *sed confidite*, *ego vici mundum*. Nec dubitamus de perpetuitate hujus triumphi contra omnes hæreticorum furores, incredulorum aggressiones, & totam diaboli malitiam, quia idem auctor Ecclesiæ prædixit, quod (1) *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Sustinuerunt tandem Apostoli ipsius prædicationis gratia mortem in cruciatibus, quales sceleſtissimis per sententiam Magistratuum cum infamia decernuntur: sed hæc nulli venerunt inopina, quia omnibus dixerat, (2) *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo*, addens, *hæc loquutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Atque hac reminiscentia adiuti, dum inquit Augustinus (3) *excitatur adversus ipsos sæva infidelitas, tolerant prædicta, sperant promissa, docent præcepta*.

282 Insignis tandem est illa de excidio Jerosolymæ, quod fore horribile paucis ante suam mortem diebus hanc urbem ingrediens etiam cum lacrymis (4) declaravit, & ne remansurum quidem lapidem sui præsertim templi toto orbe celeberrimi post aliquos dies a prima prophetia aperte iterum prænunciavit. Quorum utrumque suum ut ita dicam effectum habere incoepit secundo Vespasiani anno, quando Titus ejus filius narrante Josepho (5) urbem ipsis Paschatis feriis, in quibus populus undique in eam confluxerat, repente obsessam tandem coepit & delevit, ipso templo flammis consumpto contra Titi voluntatem & oppositos suorum militum conatus, & mortuis intra ipsam qua gladio qua fame undecies centenis millibus Judæorum: complementum vero habuit sub Juliano Apostata, quarto Ecclesiæ sæculo, quando Judæi ad novi templi ædificationem imperatore ipso urgente incubuerunt, & *suismet manibus*, ut ait Maldonatus (6) *Christi prædictionem impleverunt* dirutis veteris templi fundamentis ut nova reponerent. Quod tamen ne inchoare quidem potuerunt prohibitis terræmotu & igne e terra repente exiliente ita ut apparatus omnes & operarii incensi & dissipati fuerint utique per miraculum, quod Ammianus Marcellinus (7) auctor coævus, paganus, Juliani aulicus & admirator distincte refert, & de quo mentionem faciunt Gregorius Nazianzenus (8), Chrysostomus (9), Theodoretus (10), & alii authores abunde citati ab historia ecclesiastica Claudii Fleury, & quod recenter propugnavit Vvarburton (11) præ-

(1) Matt c.16. v.18.
(2) Joa. c.16. v.2.
(3) Aug. epi. ad Volusian.
(4) Joa. c.19. v.41.
(5) Jos. de Bello Jud. l.7.
(6) Mal. in Matt. c. 24. v.2.
(7) Amm. Hist. l.23.
(8) Naz. Orat. 2. c. Julianam.
(9) Chry. hom. 2. c. Judæos.
(10) The. Hist. l. 3. c. 20.
(11) War. Julian.

præclaro opere, cujus epitomam aliquam afferunt Trevoltiani (1) contra illos, ut Jacobum Basnagem (2), & Auctorem Miscellaneorum de Literatura Historia & Philosophia apud Bergierium (3), qui aliquo modo de veritate hujus miraculi professi sunt se dubitare.

283. IV. Gloria quædam eidem etiam ante mortem collata. Insignis fuit, qua gavisi sunt Petrus, Jacobus, & Joannes, quando coram illis (4) *Transfiguratus est, & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, sive hoc acciderit supra montem Thabor, ut tenent SS. Hieronymus (5), Cyrillus Hierosolymitanus (6), Damascenus (7), & Beda (8), sive supra montem parum a lacu Genesareth distantem, ut placuit Calmeto (9), & Bernardo Lamy (10). Miraculum in hac re juxta Abulensem (11) in eo consistit, quod corpus Christi adhuc passibile, & nondum glorificatum haberet qualitates gloriæ, quam Petrus ipsius speculator commemorat (12) cum admiratione ipsius magnitudinis. Hanc cumulavit vox de nube lucida erumpens, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, qualis jam personuerat, cum baptismum Joannis (13) susciperet, & cum iterum sub finem prædicationis suæ illo orante (14) *Pater clarifica nomen tuum, venit vox de Cælo, & clarificavi, & iterum clarificabo*. quam Maldonatus in hunc locum cum multis Patribus credit intelligendam esse de gloria Christo data usque ad illud tempus per miracula ab ipso patrata, & alia eidem præparata per alia miracula deinceps facienda non solum post ejus mortem, sed in ipsa etiam passione sua ac morte.

Articulus IV.

De Miraculis sanationum Novi Testamenti in prædicatione Christi.

284. DE miraculis sanationum ab infirmitatibus omnis generis, quas Christus in sua prædicatione operatus est, mentio fit in Evangelio tum per formulas generales quibus multæ comprehenduntur, tum per distinctas aliquarum narrationes. Formulæ generales hæ sunt: (15) *Abiit*, inquit S. Matthæus, *opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & para-*

(1) Tre an. 1754. ar. 140.
(2) Bas. Hist. Judæo. l. 6. c. 18.
(3) Ber. Apolog. c. 6. n. 17.
(4) Matt. c. 17. v. 2.
(5) S Hie. Epist. 27. ad Eustochium.
(6) Cyri. Catech. 12.
(7) Dam. Serm. de Transfigur.
(8) Bed. de locis Sanctis c. 17.
(9) Cal. in Matt. c. 17.
(10) Lam. Appar. Geogr. c. 12.
(11) Abul. q. 31. in Matt. c. 17.
(12) 2. Petr. c. 1.
(13) Matt. c. 3. v. 17.
(14) Joa. c. 12. v. 28.
(15) Matt. c. 4. v. 24.

ralyticos, & curavit eos. Venit (1) *secus mare Galilææ, & accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos cæcos claudos debiles & alios multos, & projecerunt ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.* His similia idem Evangelista habet referens adventum Christi ad alia loca (2), eique uniformes sunt SS. Joannes (3), Lucas (4), & Marcus (5), qui etiam uno in loco repræsentat infirmos turmatim (6) *irruentes in eum ut illum tangerent*: in alio loco incolas integræ regionis, qui (7) *in grabatis eos qui se male habebant, circumferebant, ubi audiebant eum esse, & in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, & quotquot tangebant eum salvi fiebant.* Calvinum hic reprehendit Maldonatus (8), quod ausus sit obloqui contra hunc vestium contactum tamquam superstitionem & errorem in eo situm, quod qui id facerent, ad tactum vestis gratiam reducerent, quando Christus miraculis ostendit illum non fuisse nisi argumentum eximiæ in seipsum fidei. Qua ratione reliquiis etiam de rebus, quæ fuerunt Christo & Sanctis extrinsecæ, merito honor tribuitur (9) *juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ religionis temporibus receptum*, ut docet Tridentinum. Generales interea formulas de sanationibus concludam hac S Jo. Chrysostomi apostrophe, (10) *Intende quantam multitudinem curatam transcurrant Evangelistæ, non unumquodque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.*

285. Speciatim Evangelistæ mentionem faciunt de socru Simonis, quam jacentem ex febri ingrediens Jesus in ejus domum (11) *cum Jacobo & Joanne elevavit eam apprehensa manu ejus; & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Sic Marcus, & similiter Matthæus (12). Idem significat quod apud Lucam legitur (13) *Stans super illam, imperavit febri, & dimisit illam*, quia propositio *super* hic accipienda est pro *juxta* seu *propter*: Nam oritur a Græca lectione ἐπάνω quæ cum utrumque significet, Latinus interpres sic reddidit, quemadmodum primus quod sciam notavit Josephus Khell (14). Qui citantur Paulus Zacchias (15), Paulus Vecchi (16), & Gulielmus Ader

(1) Ibid. c. 15. v. 29.
(2) Id. c 8. v. 16. Et c. 9. v. 35. Et c. 12. v. 15. Et c. 14. v. 14.
(3) Joa. c. 6. v. 2.
(4) Luc. c. 4. v. 41. Et c 6. v. 19. Et c. 7. v. 21. Et c. 9. v. 11.
(5) Mar. c. 1. v. 34.
(6) Id. c. 3. v 9.
(7) Ib. c. 6. v. 55.
(8) Mal. in Matt. c. 13. v. 36.
(9) Trid. sess. 25. de Invoc. & Reliqu.
(10) Chr. in Matt. c. 18.
(11) Mar. c. 1. v. 29.
(12) Matt. c. 8. v. 15.
(13) Luc. c. 4. v. 39.
(14) Khel. Observat. in Novum Test. Dec. 1. Obser. 6.
(15) Zac. Quæ. medico-legal. l. 4. tit. 1. q. 5. n. 66.
(16) Vec. Obser. medic. in S. Script. Obser. 88.

der (1) tamquam docentes omnes quos Christus sanavit, non potuisse per artem medicam convalescere, advertent apud Lucam dici, quod *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus*, quoties quis ipsorum opinioni obiiciat hoc miraculum: quemadmodum facit Jo. M. Lancisius, qui in Voto pro Veritate super ptimo miraculo in causa tunc Venerabilis, nunc S. Jo. Francisci Regis dicit, *Febris socrus Petri non erat morbus omnino desperatus, sed solummodo curatu difficilis, & refractarius*.

285. Præterea meminerunt Evangelistæ de sanato (2) *quodam homine triginta & octo annos habente in infirmitate sua*, qui jacebat ad probaticam piscinam. Et de muliere (3) quæ *annis decem & octo erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere* opera Dæmonis, unde dicitur habuisse *spiritum infirmitatis, & Satanam eam alligasse*, sed erecta fuit & dimissa ab hac infirmitate simul ac Jesus illi ad se vocatæ imposuit manus. Et de alia muliere, cujus (4) *siccatus est fons sanguinis* a duodecim annis fluens ad contactum vestimenti Christi. Et de homine, cujus (5) *manus dextra arida* ad ejus imperium coram tota synagoga Capernaitarum *restituta est*. Et de hydropico sanato (6). Et de undecim leprosis curatis, uno quidem subito, Nam (7) cum veniens adoraret eum, *dicens Domine si vis potes me mundare, extendens Jesus manum, tetigit eum dicens, Volo, Mundare, & confestim mundata est lepra ejus*: decem autem simul, qui clamantes (8) *Jesu præceptor miserere nostri*, dum irent ad sacerdotes juxta ipsius Domini præceptum, *Ite ostendite vos Sacerdotibus*, mundati sunt.

287. Et de septem cæcis illuminatis. Nam duos curavit (9) domi suæ Capharnai tangens oculos eorum, & *dicens secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum*. Alios duos in publica via non longe ab Jericho, cum clamarent, (10) *Domine miserere nostri, & misertus tetigit oculos eorum, & confestim viderunt*. Siquis miraculum factum in cæco, quem Bartimæum Marcus dixit vocari (11), de quo etiam Lucas (12) loquutus fuit, ab his duobus jam dictis distinguat, jam quintus locus Bartimæo conveniret. Sed quoniam hanc distinctionem minus probant, qui cum Maldonato (13) observant prænimiam similitudinem in unius historia cum illa duorum, cui observationi nihil opposuit Calmet in suis Commentariis, quod non fuerit jam cognitum & dissolutum, quintum dicam cæcum

(1) Ade. Trac. Bibl. t. 9. De Morbis Evangel.
(2) Matt. c. 5. v. 5.
(3) Luc. c. 13. v. 11.
(4) Marc. c. 5. v. 29.
(5) Luc. c 6.
(6) Id. c. 14. v. 4.
(7) Matt. c. 8. v. 4.
(8) Luc. c. 17 v. 12.
(9) Matt. c. 9. v. 28.
(10) Id. c. 20. v. 30.
(11) Mar. c. 10. v. 47.
(12) Luc. c. 18. v. 35.
(13) Mald. in M. c. 20.

cum, qui Christo oblatus fuit (1) *Dæmonium habens cæcus & mutus, & curavit eum ut loqueretur & videret*. Sextus, quem quasi per gradus sanavit sputo & manuum impositione, ita ut primo videret (2) *homines velut arbores ambulantes*, & deinde iterata manum impositione super oculos ejus *clare videret omnia*. Hunc non advertit Brancatus, qui propterea dixit (3) *Sex cæci leguntur illuminati*.

288. Septimus tandem est cæcus natus (4). redditus videns linitis oculis ejus luto facto ex sputo & terra, & lavatione, ut ipsemet cæcus iterum iterumque narravit dicens, *ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit & unxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoria Siloe, & lava: & abii lavi & video*. Celebre miraculum, tum quia inimicos Christi Judæos summopere contorsit, tum quia per lutum rem aptam ad excæcandum non ad illuminandum Christus ipsum effecit ad splendidiorem Divinæ suæ virtutis demonstrationem, ut Interpretes observant, quod satis est ad contemnendum quemdam De Vert, qui apud Lambertinum (5) ausus est dicere illuminatum per vim naturalem sputi ac luti, & ad detestandum J J. Rousseaum, qui apud Nonnotem (6) non solum dissimulat finem gloriæ Dei expressum in evangelica narratione, sed hanc etiam ex integro in dubium revocat dicens, Naturæ Dominus obtinet ab illa obsequium sine ullo conatu aut mediis inutilibus saliva & pulvere.

289. Et de octo a potestate Diaboli liberatis. Nam duo describuntur (7) habitantes in monumentis, a quibus exeuntes spiritus nequam impetrata prius venia a Christo *abierunt in porcos*. De horum altero dumtaxat meminerunt Marcus (8) & Lucas (9), nisi quis velit in sententiam Brancati descendere, qui dicit (10) *forte hic est alius casus, ut quidam putarunt*, quos qui sint ignoravit Maldonatus, quoniam non citat nisi Patres, & quidem plures (11), qui eumdem esse casum supponunt. Quod si verum esset, tanto magis ipse Brancatus distabit a vero, dum septem (12) expresse ait numerari liberatos a Dæmone. Tertius est, de quo habemus, (13) *obtulerant ei hominem mutum Dæmonium habentem: & ejecto Dæmonio locutus est mutus, & mirata sunt turbæ*. Quartus (14) dæmonium habens, cæcus etiam & mutus erat, quem curavit *ita ut loqueretur & videret*. Quinto occurrit filia Chananeæ, quæ perseverante matre in suis ad Christum

(1) Matt. c. 12. v. 22.
(2) Mar. c. 8. v 23.
(3) Bra. de Mirac. n. 17.
(4) Joa. c. 9. v. 1.
(5) Lam. ubi alias c. 8. n. 10.
(6) Non. Dict. ar. Miracl. Entr. 2.
(7) Matt. c. 8. v. 28.
(8) Mar. c. 5.
(9) Luc. c. 8. v. 27.
(10) Bra. de Mirac. n. 435.
(11) Mal. in Matt. c. 8. v. 28.
(12) Bran. de Mirac. n. 106. & 122.
(13) Matt. c. 9. v. 32. Et Luc. c. 11. v. 14.
(14) Matt. c. 12. v. 22.

stam precibus tandem audivit (1) *Fiat tibi sicut vis & sanata est filia eius ex illa hora* a Dæmone, a quo *male vexabatur*. Sexto habemus (2) Mariam Magdalenem, de qua ejecta fuerunt *septem Dæmonia*. Septimus est ille, a quo in Capharnai synagoga Spiritus immundus (3) *exclamans voce magna exiit*, simul ac Christus dixit *Exi*.

290. Octauus est, quem Lucas (4) Dæmoniacum vocat. Matthæus vero (5) Lunaticum, & mutum præterea ac surdum dicit. qui sanus fuit *illa hora* qua ad Christi imperium *exiit ab eo Dæmonium*. Quare (6) *verosimilius*, inquit Maldonatus, *est neque natura neque morbo, sed Dæmonis arte lunaticum fuisse* contra illos, ut Aderum (7), qui contrarium opinati sunt. Porro (8) *Lunaticus morbus*, juxta Vallesium (9) & Zacchiam, *propriissime loquendo epilepsia est, quæ secundum Lunæ motus exarcebatur*. Præter hos ab aliis fuerunt expulsi Dæmones dicente Marco, (10) *Erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia eiiciens*. Hæc divina eloquia apertissima patefaciunt incredulitatem vel impietatem eorum, qui jam olim apud Guglielmum Parisiensem (11) negarunt quemquam unquam extitisse Dæmone correptum, quibus quidam alii deinceps accesserunt, ut Richardus Mead, & Beker, quos video citari tamquam recentiores ab iis qui hanc hæresim confutarunt, supra (n. 93.) nominatis.

291 Sermo etiam est de tribus mutis, quos loquentes reddidit, uno quidem (12) muto simul & surdo, & duobus mutis simul & Dæmonium habentibus (13). Et de duobus paralyticis sanatis Capharnai, quorum alter a S. Marco describitur (14) a quatuor portatus, & per tectum ante Christum demissus cum grabato in quo jacebat, quoniam præ multitudine non potuit aliter ipsi offerri, quas circumstantias tacuerat S. Matthæus (15): Alter autem fuit servus Centurionis, de quo cum hic dixerit Christo (16) *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur*, Thomas Bartholinus (17), Ader (18), & Lancisius in Voto supra (n. 285.) citato advertunt hujus paralysim fuisse impotentiam ad motum propter convulsiones, quæ musculos dolore ac tensione affligunt, quæ minus proprie sic a vulgo appellatur, non vero impotentiam ad motum propter impeditum

V

(1) Matt. c. 15. v. 22.
(2) Luc. c. 16. v. 4.
(3) Mar c. 1. v. 23. Et Luc. c. 4. v. 33
(4) Luc. c. 9. v. 39.
(5) Matt. c. 17. v. 16., & v. 25.
(6) Mal. in Matt. c. 17. v. 17.
(7) Ade De Morbis Evangel. Ennar. 4.
(8) Zac. Quæ. medic. leg. l. 4. tit. 1. q. 8. n. 20.
(9) Vall. de Sacr. Philos. c. 71.
(10) Marc. c. 1. v. 35.
(11) Pari. De Univers.
(12) Mar. c. 7. v. 32.
(13) Matt. c. 9. v. 32. & c. 12. v. 22. Et Luc. c. 11. v. 14.
(14) Mar. c. 2. v. 3.
(15) Matt. c. 9. v. 6.
(16) Bar. de paralys. Nov. Testam.
(17) Ade. Enarrat. 2. de Paralys.

tum excursum spirituum animalium a cerebro per nervos, quæ absolute & proprie paralysis est. Et tandem de tribus a morte ad vitam revocatis, puella (1) annorum duodecim, filio viduæ (2) unico, & Lazaro (3), qui non solum a quatuor jam diebus mortuus & sepultus resurrexit, sed etiam *prodiit* licet *ligatus pedes & manus*.

ARTICULUS V.

De Miraculis Novi Testamenti in Passione & Resurrectione Christi.

292. IN ipsis pro redemptione generis humani toleratis a Christo tormentis & morte non defuerunt prodigia. In his sunt, qui numerant (4) sudorem ejus *sicut guttas sanguinis decurrentis in terram*, quem ab eo expressit tristitia ad apprehensionem crudelissimæ mortis quam jam subiturus erat. Sed alii effectum naturalem in hoc agnoscunt, quem non recusant appellare miraculum in eo sensu, quo miraculum dicitur quod raro contingit. Plures pro utraque parte Authores dabit Lambertinus (5), qui præ ceteris laudat dissertationem, quam dedit Calmet *De Sudore Sanguinis Jesus Christi*. Pro sententia quæ quid naturale in hoc sudore agnoscit est ea magni ponderis ratio allata a Suarez (6), quod sudor sanguinis proponitur in Evangelio tamquam argumentum certum maximi angoris & tristitiæ animæ Christi, quod minus efficax videretur si in hoc haberetur miraculum. Verius ad miracula pertinet; quod tunc apparuerit (7) *illi Angelus de cælo confortans eum*.

293. Sed venio ad ea, quæ coram multitudine in extrema vitæ Christi parte contigerunt. Respondente illo quærentibus se, *Ego sum* (8) abeunt retrorsum & cadunt in terram. Tangente illo auriculam Malchi a Petro amputatam (9) *sanavit eam*. Eo jam crucifixo morti obviam tendit late spargens clarissimos divinæ magnanimitatis fortitudinis & caritatis radios, dum pro suis etiam inimicis & carnificibus enixe orat, & latroni secum morienti peramanter respondet. Fine vitæ jam proximo (10) *a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, circa quam expiravit. Miraculum fuit insigne, quia Eclipsis Solis naturaliter non contingit nisi in Novilunio, seu Lunæ conjunctione cum Sole, non in oppositione, seu Plenilunio, quod tunc erat cum esset tempus paschatis. Quod Mat-

(1) Matt. c. 9. v. 24.
(2) Luc. c. 7. v. 15.
(3) Joa. c. 11. v. 14.
(4) Luc. c. 22. v. 244.
(5) Lamb. ubi ali. c. 26. n. 4.
(6) Suar. in 3. p. dis. 46. ar. 2.
(7) Luc. c. 22. v. 43.
(8) Joa. c. 18. v. 6.
(9) Luc. c. 22. v. 54.
(10) Matt. c. 27. v. 45.

Matthæus & Lucas (1) dicunt *super universam terram*, Marcus (2) dicit *per totam terram*. Ex quo Lambertinus (3) cum multis quos citat fuse de hoc miraculo differentes, quibus addo Cornelium a Lapide ejusdem secum opinionis, minus probat Origenis interpretationem, quæ præ cæteris placuit Maldonato, qui non orbem terrarum ibi credit indicari, sed solam Judææ regionem. De hac Eclipsi meminit inter profanos paganus Phlegon apud Tricaletum (4) ex Origene, eodemque tempore idem Phlegon dicit contigisse ingentem terræmotum, quo plura ædificia Nicææ in Bithynia corruerunt. Dum moreretur (5) *exclamavit voce magna dicens Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me*, quod supra naturam fuit, in qua sub horam mortis vox solet imprimis deficere. Dum expiraret iterum (6) *clamans voce magna ait, Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, quod evidentius supra naturam humanam est, ut Centurio fassus est, qui (7) *videns, quia sic clamans expirasset, ait, vere hic homo filius Dei erat*.

294. In ipsa morte (8) *Ecce Velum templi*, quod Sancta Sanctorum contegebat, partem templi magis augustam, in quam semel in anno solus summus Sacerdos ingrediebatur, *scissum est in duas partes a summo usque deorsum*, ut significaretur Legis veteris mysteria per tot Sacramenta & cærimonias expressa aperta jam evasisse, & Cælum hominibus ante Redemptoris mortem occlusum jam ipsis patefactum. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt*, quibus Scriptura sæpius (9) docet significari Majestatem Divinam alicubi particulari modo præsentem. Quare (10) *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*. Post ejus mortem habemus (11), quod cum unus militum lancea latus ejus aperuisset, *continuo exivit sanguis & aqua*, symbola juxta omnes interpretes Baptismi & Eucharistiæ, quæ præcipua sunt Sacramenta ad salutem hominum instituta. Calvinus apud Maldonatum (12) naturale dicens fuisse hoc effluvium opponitur Evangelistæ, qui contrarium significat, dum statim subiicit, *Qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus*.

295. Miracula in ejus a mortuis resurrectione sunt, Exitus e sepulcro gloriosi jam corporis penetrando (13) *saxum magnum ad ostium monumenti positum*: Descensus de Cælo duorum Angelorum (14) in spe-

(1) Luc. c.23. (2) Mar. c.15.
(3) Lam. ubi alias c.25. n.6.
(4) Mar. c.15. v.34.
(5) Luc. c.23. v.46.
(6) Mar. c.15. v.30.
(7) Matt. c. 23. v.51.
(8) Tri. Moti. de credib. pag. 126.
(9) Psal. 67. Et 79. Et 98. Et 113. Et Ioel. c.2. v.10.
(10) Luc. c.23. v.41.
(11) Joa. c 18. v.32.
(12) Mal. in Matt. c.27. v. 59.
(13) Matt. c. 27. v 60.
(14) Mar. c. 16. v.5. Et Luc. c.24. v.4.

specie quidem juvenum, sed simul cælestium propter (1) terræmotum magnum tunc factum, & aspectum sicut fulguris, & candorem vestimentorum sicut nivis, qui sepulcri lapide revoluto, ut quisque intueretur amplius ibi non esse Christi corpus, intra ipsum steterunt. Angelorum colloquutio cum mulieribus, quæ illuc advenerant portantes (2) *aromata & unguenta*: quibus dixerunt, (3) *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic sed surrexit*: Consternatio custodum, qui his visis *facti sunt velut mortui*, & qui primus animos resumpsit ocius ad civitatem advolavit nunciatum *principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerunt*, ut hi primo de hac resurrectione certiores fierent & deinde tota civitas, quandoquidem cum ad hujusmodi nuncium (4) *congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederint militibus dicentes: dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus, divulgatum est verbum istud apud Judæos*, quod vel Principes militibus, vel milites populo dixerunt. Confirmatio hujus resurrectionis per multos Sanctos, quorum (5) *monumenta aperta sunt, & corpora surrexerunt, & venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*, & per plures apparitiones factas diversis temporibus intra quadraginta dies, quibus redivivus in terris commoratus est, quas conclusit illa omnium maxime insigni, quando coram (6) *plusquam quingentis fratribus*, effecit illud ut loquar cum Augustino (7) *grande celebreque miraculum, in Cælum cum carne, qua resurrexit ascensionem*.

296. Post ascensionem habemus quod (8) cum Apostoli *intuerentur in Cælum euntem illum, ecce duo viri*, Angeli utique in specie virorum, *astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt, quid statis aspicientes in Cælum? Hic Jesus; qui assumptus est a vobis in Cælum sic veniet*. Habemus præterea quod Christus e Cælo juxta promissa (9) emisit die ab Ascensione sua decima Spiritum sanctum in discipulos congregatos modo pleno miraculis. Nam (10) *Factus est repente de Cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis*, in quo novum genus miraculi extitit proprium Legis Gratiæ, saltem non legitur factum ante illam. Quare quotquot convenerunt, *stupebant omnes & mirabantur*: & Petrus habens tunc ad illos concionem, statim reddidit in

(1) Matt. c.28. v.2.
(2) Luc. c.23. v. 56.
(3) Matt. c.28. v.5.
(4) Matt. c.28. v 12.
(5) Matt. c.27. v. 52.
(6) 1. Corinth. c.15 v.6.
(7) S. Aug. de Civ. l.22. c.8.
(8) Act. c.1. v.10.
(9) Joa. c.14. v.16. & 26.
(10) Act. c.2. v.2.

in Jesum credentes *animas circiter tria millia*, & reliqui omnes paulo ante tam pusillanimes & timidi, ut turpiter Christum deseruerint, & ab eo fugerint cum captum viderunt, repente ejus amore tam vehementi correptos se produnt, ut hoc unum in votis habeant pro ejus gloria apud omnes gentes procuranda reliquum vitæ consumare.

ARTICULUS VI.

De Miraculis Sanctorum quæ sunt in novo Testamento.

297. Miracula Sanctorum quæ in Novo testamento narrantur, hæc sunt. De Apostolis in universum, & aliis primis fidelibus scriptum est, quod habuerint donum Linguarum: Et quod cum semel sic orassent (1) *Domine da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesus, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto & loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Et Quod (2) *per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa*. Et quod (3) *Concurrebat multitudo vicinarum civitatum Jerusalem afferentes agros, & vexatos a Spiritibus immundis, qui curabantur omnes*. Distinctius id sic exposuit S. Marcus, Apostoli (4) *exeuntes prædicabant, ut poenitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos agros, & sanabant*: ubi cum per unctionem significetur Sacramentum extremæ unctionis, ut hic luculenter evincit Maldonatus, conficitur sanatos ab Apostolis omnis generis infirmos etiam deploratos.

298. In particulari de Philippo prædicante in civitate Samariæ dicitur, quod per ipsum Spiritus immundi exibant, & *multi paralytici & claudi curati sunt*: Quod baptizato Eunucho Candacis Reginæ Aethyopum, cui obviam ierat (6) ex mandato Angeli, raptus fuit a Spiritu Domini, (7) *& amplius non vidit eum eunuchus*.

299. De Joanne Evangelista quisque novit ex sua Apocalypsi, quam multa revelata ipsi fuerint in Pathmo maris Aegei insula, in quam fuerat a Domitiano relegatus, circa Ecclesiam per omnia tempora usque ad adventum Antichristi, & hujus Mundi finem.

De quodam propheta nomine Agabo legimus, quod significavit (8) *per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum,* quæ

(1) Act. c. 4. v. 29.
(2) Ibid. c. 5. v. 12.
(3) Ibid. v. 16.
(4) Mar. c. 6. v. 12.
(5) Act. c. 8. v. 16.
(6) Act. c. 8. v. 26.
(7) Ibid. v. 39
(8) Ibid. c. 11. v. 28.

quæ facta est sub Claudio , & Paulum jam factum Apostolum (1) alligandum esse in Jerusalem a Judæis , & tradendum in manus Gentium .

300. De Petro paulo post resurrectionem Domini habemus, quod ingrediens simul cum Joanne templum integram sanitatem dederit (2) *claudo ex utero matris suæ annorum* (3) *amplius quadraginta* , eleemosynæ petendæ gratia ad portam templi quotidie deportato , dicens *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula* , *& apprehensa manu ejus dextera allevans eum* , tanto accurrentis ad eos populi stupore , ut ad concionem ipsius Petri , quam tunc habuit , in qua eos docuit miraculum factum esse in nomine Jesu , quem ab ipsis traditum negatum & crucifixum Deus suscitavit a mortuis , converterit ad poenitentiam & fidem in Christum (4) *numerum virorum quinque millia* .

301. De eodem Petro & aliis Apostolis inclusis jussu Principum Sacerdotum in publico Jerosolymæ carcere habemus eos eductos ab illo fuisse per noctem ab Angelo Domini , qui jussit (5) *loqui in templo omnia verba vitæ* , quemadmodum diluculo facere incœperunt , quando Principes ex concilio , quod inscii de miraculo liberationis super eos convocaverant , venientes ad templum eosdem sine vi ad ipsum concilium adduxerunt , ubi post multas secum & cum ipsis Apostolis altercationes iisdem *denunciaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu , & dimiserunt eos : Et illi quidem omni die non cessabant in templo & circa domos docentes & evangelizantes Christum Jesum* . Iterum eumdem Petrum ab Herode missum in carcerem cum catenis duabus in medio duorum militum etiam de nocte , & cum custodia ante ostium , novimus ereptum (6) per Angelum Domini , ad cujus adventum *lumen refulsit in habitaculo , & ceciderunt catenæ de manibus ejus* , qui eumdem secum foras deduxit transeundo *primam & secundam custodiam* , & deveniendo *ad portam ferream , quæ ducit ad civitatem , quæ ultro aperta est eis* .

302. Nihil clarius narratione repentinæ mortis Ananiæ & Zaphiræ , simul ac idem Petrus ipsis exprobavit (7) , quod Deo mentirentur . Quare furoris insigne exemplum præbent ii Increduli , qui apud Bergierium (8) contra hoc S. Petri miraculum invehuntur tamquam injustitiæ & crudelitatis facinus in homines , qui ne fame perirent aliquid de propriis bonis sibi clanculum reservaverant . Videas eos credere simul & non credere hoc factum ; Nam si crederent, ti-

(1) Ibid. c. 21. v. 11.
(2) Ibid. c. 3. v. 2.
(3) Ibid. c. 4 v. 22.
(4) Ibid. 2. 4.
(5) Ibid. c. 5. v. 20.
(6) Ibid. c. 12. v. 7.
(7) Ibid. c. 5.
(8) Ber. Apolog. c. 15. n. 3.

timerent sibi a tanta S. Apostoli potentia, & abstinerent ab hujusmodi in ipsum contumeliis, quin immo in Deum primam miraculorum omnium caussam: si non crederent, inanis esset illorum declamatio, quæ aliunde mendax est circa caussam hujus punitionis, quæ alia juxta scripturam non fuit, quam mendacium.

303. Amabilia sunt alia S. Petri miracula, de Aenea, qui (1) *ab annis octo jacens* paralyticus, continuo surrexit eodem dicente, *sanat te Dominus Jesus Christus*: Et de Tabitha (2) *plena operibus bonis & eleemosynis*, quam in urbe Joppes reddidit vivam iis, qui eam cum luctu jam composuerant: Et de Cornelio Centurione ad agnitionem Jesu Christi per ipsum Petrum (3) cum multis miraculis deducto, cujusmodi sunt facta prius ipsi Cornelio manifesta apparitio Angeli Dei in specie viri veste candida induti, qui jussit Petrum ad se arcessere, ut ab eo edoceretur viam salutis æternæ, & declaratio hujus Divinæ Voluntatis, quam Petrus audivit in mentis excessu. De eodem tandem scriptum est, quod credentes in Dominum (4) *in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*

304. Pauli conversio congeries est miraculorum, Iesus sibi apparentis dum iter faceret (5) *spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, eumque increpantis voce late resonanti, qua tamquam fulgure perculsus cecidit in terram sive pedes esset, ut contendit Bergierius (6) post Paulum Massutium (7), sive equo insideret, ut Pictores repræsentant, sive mulo aut asino ut ostendere conatur Jo. Interian de Ayala (8): Alia miracula sunt cæcitatis improvisæ: stuporis per tres dies, quibus non manducavit neque bibit: visus confestim recuperati ad impositionem manus Ananiæ cælitus moniti, ut ipsum propterea adiret, quem audiit electum ad nomen Dei portandum coram gentibus & regibus: voluntatis studiosissimæ prædicandi Jesum: & subitæ eloquentiæ in hac prædicatione tam efficacis, ut confusi pervicaces Judæi consilium inierint eum interficiendi. Ipse deinde dicitur simul cum Barnaba electus singulari modo ad evangelizandum per diversa loca; Nam cum esset Antiochiæ cum aliis Sanctis viris, his (9) *ministrantibus Domino & jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus. segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes imponentesque eis manus* di-

(1) Act. c.9. v.34.
(2) Ibid. v. 36.
(3) Ibid. c. 10.
(4) Ibid. c. 5. v. 15.
(5) Ibid. c.9. v. 12.
(6) Be.. Apolog. c.3. n. 12.
(7) Maf. Vita D. Paul. l. 2.
(8) Aya. Christian. pict. l.5. c.5.
(9) Act. c. 13. v.2.

dimiserunt illos. Idem (1) admiratur magnitudinem revelationum, quæ sibi factæ fuerunt, præsertim quando *raptus in Paradisum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*.

305. Ab eodem Paulo legimus (2) percussum cæcitate Elymam magum *subvertentem vias Domini rectas*: Et sanatum Listris (3) *claudum ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat*. De ipso ibidem narratur, quod postquam concitatis per malevolos turbis ductus extra civitatem lapidatus fuit & creditus mortuus, (4) *surgens intravit civitatem, & postera die profectus est in Derben*. Ab eodem novimus expulsum a puella (5) *Spiritum pythonem*, ipsa quidem gaudente, sed furentibus ejusdem dominis, qui quæstum ex ipsius divinationibus faciebant: rursus ab eodem traditos Satanæ Corinthium (6) incestuosum, & Hymenæum (7) & Alexandrum blasphemos, qui eos torqueret, quemadmodum olim, prout notat Emmanuel Sa (8) contingebat, quoties quis per excommunicationem ab Ecclesia fuisset exclusus. Novimus præterea ipsummet Apostolum liberatum divinitus a carcere & vinculis, quibus propter proximum puellæ miraculum tenebatur; Nam (9) *media nocte subito terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamen a carceris: & statim aperta sunt omnia ostia, & uuiversorum vincula soluta sunt*: Curatos Ephesi morbos omnis generis per ejusdem (10) sudaria & semicinctia, & similiter Melitæ (11) *omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant* Paulo, *& curabantur*: accedebant autem cum fiducia, postquam viderunt Patrem Publii principis insulæ vexatum a febribus & dysenteria salvatum fuisse, cum Paulus orasset & imposuisset ei manus: & Troade revocatum ad vitam adolescentem Eutychum, qui (12) *cadens de tertio cœnaculo sublatus fuerat mortuus*: Et ipsum Apostolum innoxium a viperæ morsu, quam cum multi (13) *viderint pendentem de manu ejus*, & adverterent, *nihil mali in eo fieri, dicebant esse Deum*: *Et animas tandem ducentas septuaginta sex* (14) salvatas a naufragio in ejus gratiam juxta præviam revelationem (15) sibi ab Angelo factam, & vectoribus communicatam.

306. Quod aliqui, ut Paulus Zacchia apud Brancatum (16) addunt hoc loco aliud miraculum de jejunio, quod sine ullo omnino cibo per dies quatuordecim, quibus tempestas duravit, hi navigantes

(1) 2. Corinth. c. 12.
(2) Act. v. 11.
(3) Ibid. c. 14. v. 7.
(4) Ibid. v. 19.
(5) Ibid. c. 16 v. 16.
(6) 1. Corinth. c. 5. v. 5.
(7) 1. ad Timoth. c. 1. v. 20.
(8) Sa. Notat. in 1. ad Timoth. c. 1.
(9) Act. c. 16. v. 25.
(10) Ibid. c. 19. v. 12.
(11) Ibid. c. 28. v. 9.
(12) Ibid. c. 20. v. 9.
(13) Ibid. c. 28. v. 4.
(14) Ibid. c. 27. v. 37.
(15) Ibid. v. 24.
(16) Bran. de Mirac. n. 1009.

tes sustinuerunt, non admittitur ab Interpretibus, qui hæc verba(1) *Rogabat Paulus omnes sumere cibum dicens, quartadecima hodie die expectantes jejunii permanetis nihil accipientes*, volunt intelligi de tenuissimo victu, qui in tanta agitatione animi & corporis sumi solet. Considerant enim ex una parte non deesse proprietatem sermoni, si jejunus quis dicatur, qui modicum quid dumtaxat & quasi furtim comedit, & notum est proverbium, quod parum pro nihilo reputatur: Ex alia vero animadvertunt Ethnicos fuisse maxima ex parte, qui in ea navi erant, quibus nondum Paulus prædicaverat, ut dici nequeat ad Fidei veritatem comprobandam hoc ab eo factum prodigium. Tandem tota scripturæ narratio nihil habet. quod significet pro miraculo habitum hoc jejunium saltem ab aliquo ex tanta multitudine: ergo miraculum non fuit.

307. Miraculum primis Ecclesiæ temporibus commune omnibus, qui Fidem Christi amplecterentur, erat recipere præsertim in Confirmationis Sacramento Spiritum Sanctum sub signis visibilibus ut constat ex Actis Apostolorum (2), quæ etiam referunt, quod (3) *cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens, Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*. Signa autem visibilia accepti Spiritus S. erant, quæ Christus annunciaverat, (4) *Signa eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt*. De hac miraculorum facultate tamquam cuique Fidelium communi passim mentionem faciunt primorum sæculorum Patres, de quibus consuli potest Fevardentius (5). Non est tamen credendum singulos quoties libuerit loquutos fuisse novis linguis, aut alia prædicta miracula quasi per jocum fecisse. Hæc dona dabantur non ad privatam sed ad publicam utilitatem, quæ erat Fidem Christianam propagare & stabilire. Quare advertente Maldonato generale Christi oraculum jam relatum intelligendum est cum duplici limitatione, altera est ut potentia ad ea miracula esset communis singulis fidelibus, non vero actus; Jo. enim Baptista licet fidelis & Sanctus (6) *signum fecit nullum*. Altera est, ut pro opportunitate ea fierent promovendi Fidem. Atque hac ratione Tertullianus (7) dicebat Ethnicis, adducite ad quemvis ex fidelibus obsessos a Dæmone, qui eo tempore maxime abundabant Deo ita permittente

X ut

(1) Act. c.27. v.33.
(2) Act. c. 10 v. 44. Et c. 19. v. 6.
(3) Ibid. c.8. v.18.
(4) Mar. c.16. v.17.
(5) Fev. Not. ad S. Irenæum l. 2. c.8.
(6) Jo. c. 10. v.41.
(7) Ter. Apolog. c.23. Et de Spectac. c. 29.

ut palam fieret Idololatriam late tunc vigentem niti in ſuperbia malorum Dæmonum, qui honorem Deo debitum ſibi arrogabant, & ut hac etiam via celerius (1) princeps hujus mundi foras ejiceretur, Quivis fidelis coget ipſum abire: niſi id fecerit, facile patiar eum a vobis occidi.

308. Quamdiu duraverit in Eccleſia Chriſti hoc miraculorum donum equidem ignoro. Hoc ſolum dicam. S. Irenæus auctor ſecundi ſæculi ſub Severo Martyr hæc habet, (2) *Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per univerſum mundum Eccleſia in nomine Chriſti per ſingulos dies in opitulationem gentium perficit*. S. autem Cyprianus auctor ſæculi tertii ſub Valeriano & Gallieno Martyr, hæc primis contraria dicit. (3) *Unanimitas olim ſub Apoſtolis fuit, ſic novus credentium populus Domini mandata cuſtodiens caritatem ſuam tenuit... Ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Domini miſericordia poſtulabant: in nobis vero ſic unanimitas diminuta eſt ut & largitas operationum* (hoc eſt miraculorum) *infracta*. Alii videant, an ex his bene concludat Author anonymus Gallici *tractatus dogmatici de falſis miraculis* editi neſcias ubi anno 1737, finem hujus prærogativæ contigiſſe (4) tempore inter hos Sanctos intermedio.

309. Ad miracula cum pertineant prophetiæ, hæ quoque prædicantur, & referuntur factæ ab Apoſtolis, & aliis in Novo Teſtamento nominatis Sanctis. Ex his aliquas eventus jam comprobavit. Hujuſmodi ſunt illæ Annæ filiæ Phanuelis, ſenis Simeonis, & Jo. Baptiſtæ & hujus parentum, Eliſabeth & Zachariæ, in quo duo alia acciderunt miracula: alterum (5) ut mutus repente fieret, eo quod non crediderit S. Angelo Gabrieli annuncianti conceptionem Baptiſtæ ex ipſo & uxore ſua jam ſenibus: alterum ut in circumciſione nati jam filii aperiretur (6) *illico os ejus & lingua ejus*, & loqueretur, de quibus jam (n. 266.) dixi.

310. Sunt & aliæ pro tempore futuro expreſſæ prophetiæ, (7) quæ, ut ait S. Auguſtinus *ex tot ac tantis, quæ ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, expectantur implenda*. Atque in his eſt horribilis tragoedia copioſius prænunciata a S. Jo. Evangeliſta in ſua Apocalypſi, quæ finem hujus mundi præcedet, cujus quaſi initium erit depravatio morum & veræ fidei late apud homines diffuſa, quam urgebunt pſeudochriſti & pſeudoprophetæ falſis miraculis & omnium maxime Antichriſtus, contra quos exſurgent Henoch & Elias, pugnantes pro cauſſa Dei non ſolum verbis ſed etiam miraculis punitionis.

(1) Jo. c. 12. v. 32.
(2) S. Ire. l. 2. c. 57.
(3) S. Cyp. de Unita. Eccleſ.
(4) Trait. dogmat. ſec. 1. c. 3. ar. 2.
(5) Luc. c. 1 v. 20.
(6) Ibid. v. 46.
(7) S. Aug. Epiſ. ad Voluſian.

nis supra (n. 51.) commemoratis, quibus (1) ipsorum inimici destruentur, donec hora advenerit jam prædicta, qua hi pariter Sancti in testimonium fidei occisi jacebunt insepulti per tres dies & dimidium, post quos iis ad vitam revocatis alia prodigiorum series enunciatur.

ARTICULUS VII.

Argumenta pro propositione ex ratione.

311. I. Arguitur ex eo, quod Novum Testamentum, & ea definite insignis ipsius pars quatuor Evangelia, in quibus tot referuntur miracula sint verbum Dei, quemadmodum supra (n. 203.) factum est pro miraculis Veteris Testamenti: ergo hæc certissima sunt. Quæ contra antecedens dicunt nostræ ætatis Increduli, sunt difficultates, quæ passim inveniuntur propositæ & enucleatæ apud Interpretes, quas ipsi dissimulantes earum solutiones, non cessant quotidie cum novo contumeliarum in Sanctos scriptores condimento recoquere. Eadem autem ex ea etiam caussa negligi debent, quia non versantur circa ea, quæ præcipua sunt in Vita Christi ejusque miraculis, sed in his vel illis circumstantis & adjunctis, quorum aliqua unus omittit, & alter non eodem omnino modo ac alter refert, ut contra illos observat Bergerius in sua apologia (2).

II. Eodem modo ac pro illis Veteris sic arguitur. Extra controversiam sunt miracula facta in promulgatione Religionis Christianæ, quæ integra Judæorum natio, & innumeri ex Ethnicis viderunt, & ita confessi sunt, ut contra naturalem propensionem tuendi antiquam religionem, hanc abdicaverint, & jam tunc admiserint instituta festa & cærimonias novæ, quæ usque ad hoc tempus religiose servantur utpote quæ ipsius essentiam partim continent, partim declarant: Atqui hujusmodi sunt exposita jam miracula facta in promulgatione Religionis Christianæ; Ea enim coram tota Hebræorum tunc florentissima Rep. evenerunt, & memoria eorum quæ præcipua sunt, consecrata jam tunc fuit festis & cærimoniis & ritibus & Sacramentis, de quorum institutione usu & significatione nunquam ab eo tempore non personarunt omnes Christianorum non solum publici conventus, sed ipsæ etiam privatæ familiæ, in quibus parentes filios edocent, quæ a suis majoribus acceperunt: ergo extra controversiam sunt miracula facta in promulgatione Religionis Christianæ.

312. III. Arguitur. Quotquot fuerunt & sunt in Ecclesia Christi ha-

(1) Apoc. c. 11. (2) Ber. c. 10. n. 12.

habent pro infallibiliter certis multa ab Ethnicis philoſophis penitus ignorata vel controverſa, ut myſteria de Deo uno in Eſſentia & trino in perſonis, de Incarnatione ſecundæ Trinitatis Perſonæ ejuſque pro peccatis hominum ſatisfactione, de originali peccato in genus humanum univerſum diffuſo, de futura mortuorum hominum reſurrectione, de vita pro bonis æternum beata, & pro malis æternum miſera, de remedio originalis peccati in baptiſmo, aliorum autem in Sacramento pænitentiæ, de determinato Deum colendi modo, qui omnia hominis officia erga Deum, proximum, & ſeipſum ordinat qua præceptis, & qua conſiliis: Sed hæc non poſſent ab hominibus haberi pro infallibiliter certis, niſi haberentur argumenta, quæ vim inferant intellectui ad ea credenda: ergo habentur hæc argumenta. Atqui hæc argumenta omnium opportuniſſima utpote invictæ efficacitatis, & omnibus ac ſingulis communia ſunt miracula ad horum probationem & confirmationem a Chriſto & ejus Apoſtolis facta: ergo facta ſunt hæc miracula.

313. Majorem ſuadent quotquot a fundata Eccleſia Chriſti extiterunt ejuſdem propugnatores profecto nobis innumerabiles, qui ejus myſteria & dogmata ubique conſtantiſſime profeſſi ſunt, ut nullis nec promiſſis nec minis nec ſuppliciis a propoſito deterriti vitam etiam in eorum confirmationem cum acerbiſſima morte intrepidi commutaverint. De his certos non reddunt hiſtoriæ omnium temporum, quas ſaltem æquali loco habere debent Adverſarii, ac hiſtorias profanas, niſi velint ſe prorſus irrationales profiteri, ſicuti haberetur, qui mendaces & cerebroſos diceret Auctores, qui referuntur, regnaſſe olim Darios in Perſia, Cæſares Romæ, Conſtantinos in Oriente, Pompejum devictum ab Julio Cæſare, hunc in Curia occiſum, & ſimilia. His addantur, qui abnegantes ſua deſideria vitam vivunt non ſolum Legi Evangelicæ ſed hujus etiam conſiliis conformem, quod non accideret, niſi de eorum veritate infallibili certi eſſent.

314. Minor debet eſſe extra controverſiam, quia pauci poſſunt admittere fabulas tamquam hiſtorias, & chimæricas narrationes tamquam aliquid reale, vel ex animo propter imbecillitatem, vel ſimulate propter commodum aliquod aut hujus ſpem, non vero innumerabiles, cujuſmodi ſunt, qui Eccleſiam Chriſti hic in terris compoſuerunt, & nunc componunt, homines ſin minus in literis exculti exceptis paucis, certe bonæ & ſagacis mentis ad cavendas fraudes & deceptiones, & qui ratione ſua omnium maxime utuntur cum communi admiratione. Quivis enim comparans nationes Chriſtianas cum quavis ex Ethnicis magis perpolitis primas invenit bonæ Ethices magiſtras, ſecundas vero de multis iiſque turpiſſimis & manife-

ſtis

ftis erroribus accusat. Jam vero de assumptione nihil dicam. Quis enim ad persuadenda dogmata supra humanum captum posita, & inducendos mores appetitui sensitivo repugnantes præponat miraculorum vi aut eloquentiam aut præmia aut minas aut alterius generis industriam sive bonam sive malam? Qui id sibi fingeret, advertat Evangelii præcones fuisse rudes homines pauperes inermes indoctos & invisos principibus & magistratibus, qui suos errores tamquam bonum non solum privatum sed etiam commune amabant & tuebantur. Quare nihil certius conclusione de existentia hujusmodi miraculorum.

315. Contra Judæos speciatim sic arguitur. Vera per ipsos sunt miracula Moysis, aliaque quæ in Veteri Testamento narrantur: ergo vera etiam sunt illa Christi Dni & Apostolorum, quæ habentur in Novo. Nam ideo miracula Veteris Testamenti sunt vera, vel quia habentur in libris Deo inspirante conscriptis, vel quia præseferunt characteres, quibus prudenter negari fides non potest: Sed etiam libri Novi Testamenti Deo inspirante conscripti sunt, quod demonstrant multi, ut fuse Huetius (1), brevi Genuensis (2), distinctius Csapodius (3), & præseferunt characteres veritatis, quibus prudenter negari fides non potest, quod nisi Judæus concedat, jam nequit contra Ethnicos veritatem miraculorum Veteris Testamenti propugnare: ergo vera etiam sunt miracula Novi Testamenti. Porro miracula narrata in Evangelio de Christo habent characteres veritatis quia referuntur prout visa a multis, quemadmodum Lazari resuscitatio, omnis generis infirmorum curatio, satietas plurium millium hominum per multiplicationem cibariorum. Et omissis aliis Auctoribus vel coævis vel fere coævis quatuor plerunque Evangelistæ ea eodem modo habent, qui etiam frequenter adnotant ea esse qualia antiqui Prophetæ descripserant facienda a Christo: Nec novimus ab ullo ex ipsis ejus temporis Judæis aut negata aut in dubium revocata: Et quamvis in Christi mortem furiose conspiraverint, attamen non a miraculis tamquam falsis accusationes ad illum perdendum desumpserunt, sed ex eo maxime quod Filium Dei se diceret.

AR-

(1) Hu. Demon. Evang.
(2) Gen. Elem. metaph. p. 3. c. 5. prop. 34.
(3) Csa. Relig. revel. dif. histor. p. 2. an. 35.

ARTICULUS VIII.

Argumentum ex Testimoniis sacris.

316. QUod testantur Authores, in quibus concurrant omnes conditiones ad faciendam fidem, numerus scilicet & vitæ sanctitas aut honestas fatendi, quod sua etiam intereerat negare, utpote minus consonum suis vel præjudiciis vel desideriis, constantia & uniformitas testimonii, præsentia in plerisque ad loca, ubi facta quæ narrantur evenerunt, & ocularis etiam eorumdem evidentia, nulla occasio vel remota fingendi aut mentiendi, & quædam pacifica possessio suæ veracitatis, cum nemo ipsis coævus contradixerit, nequit sine nota stultitiæ aut improbitatis repudiari tamquam falsum. Atqui plures Authores Sacri & profani, in quibus concurrunt omnes prædictæ conditiones, testantur Christi & Apostolorum miracula: ergo hæc nequeunt sine nota stultitiæ aut improbitatis repudiari tamquam falsa.

317. Inter sacros auctores sunt imprimis quotquot Novum Testamentum componunt homines perspectæ probitatis, nullius terrenæ rei cupidi, neque honoris neque lucri neque commodi, ex ipso vitæ genere remoti ab omni decipiendi voluntate, & ea narrantes de quibus verissime dicerent vel cum Petro, (1) *Nos testes sumus omnium, quæ* (Jesus) *fecit in regione Judæorum, & Jerusalem*, vel cum Joanne, (2) *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis*, & quæ alii perquam multi, quos alloquebantur, adhuc viventes viderant, utpote facta coram frequenti multitudine in compitis in plateis in pratis, & quorum vivida erat apud omnes notitia atque memoria, & de quibus apertæ prædictiones leguntur in Veteri Testamento, ut ipsimet sacri Historici frequenter advertunt, & qui conformes reperiuntur profanis authoribus in iis, quæ obiter referunt de quibusdam locis, de moribus alicujus populi, de ejus magistratibus sive politicis sive religiosis.

Ipsamet scribendi ratio qua utuntur aperte ingenua est & uniformis in omnibus quantum ad substantiam ut ita dicam historiæ & quantum ad modum prorsus singularem ac divinum & dignum historia de vita & morte Dei Redemptoris nostri, qui is est quo facta tamquam apud omnes certissima libere præcise & affirmate referuntur sine ulla hæsitatione, sine ullo studio seu conatu extorquendi aliorum assensum, sine ulla dissimulatione cujusvis rei, quæ ad ingenuitatem & candorem historiæ pertineat. Quare non solum referunt

(1) Act. c. 10. v. 39. (2) Joa. 1. c. 1. v. 3.

runt Christi miracula, & quæ gloriosa illi in terris fuerunt, sed etiam quæ ipsum deprimerent ut quod pauper esset, quod obscuram vitam maxima ex parte traduxerit, quod animi perturbationibus pavori tædio & mæstitiæ fuerit subjectus, quod Herodes (1) ejusque exercitus, & alii multi maxime nobiles & docti ipsum contemserint, & magistratus oderint, eumque tamquam sceleratum comprehendi iusserint, ludibriis & tormentis affecerint, & in cruce tandem inter duos latrones clavis suspensum necaverint, quin ullam inseruerint animadversionem, quæ horum ignominiam tolleret aut imminueret. Palam etiam eloquuntur non tam quæ ipsorum existimationi faveant, quam quicquid eidem noceat, ignorantiam ignobilitatem abiectum vitæ genus ambitionem (2), exortas inter se contentiones, Judæ proditionem, trinam Petri negationem de sua cum Christo familiaritate ad vilium hominum & mulierum interrogationes, omnium timorem & fugam (3) ab ipsa Christi Dni comprehensione, & quamdam incredulitatem post ejus solum resurrectionem penitus depositam.

318. Sunt præterea relate ad miracula Christi omnia Evangelia apocrypha; in quibus pariter reperiuntur descriptæ actiones Christi una cum summa ipsius doctrinæ, propter quam caussam primis Ecclesiæ temporibus alicubi fuerunt in usu, donec illuc pervenerunt quatuor Canonica ubique jam recepta quæ illorum locum occuparunt, utpote quæ sola agnita fuerunt tamquam indubitanter conscripta ab iis, quorum nomen præseferunt, aliaque neglecta quamvis nomen alicujus Apostoli ut S. Thomæ aut S Matthiæ haberent, non solum quia de hoc non constabat, & credita potius fuerunt alicujus Christiani, qui scripto mandaverit, quæ ab hoc vel illo Apostolo audiverat, sed etiam quia in aliquibus vel documentis vel narrationibus vel harum adjunctis inventa sunt cum aliis genuinis evangeliis minus consentire. Testis est S. Lucas multos extitisse, qui (4) *conati sunt ordinare narrationem eorum, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*: quos ipsi placuit imitari fortasse quia aliqua viderat omissa & alia putavit opportuniori ordine dici posse, quæ rationes mihi videntur insinuari ab his quæ subdit, *Visum est mihi assequuto omnia a principio diligenter, ex ordine scribere*. Patrum antiquissimi citant Evangelium Hebræorum seu Nazarenorum, quod Richardus Simonius (5) contendit idem esse cum Evangelio S. Matthæi, ut jam olim putavit S. Epiphanius; & Evangelium Aegyptiorum, non tamen

(1) Luc. c.23. v.11.
(2) Matt. c.18. v.3.
(3) Ibid. c.26. v.56.
(4) Luc. c.1. v.1.
(5) Sim. Hist. Crit. du nouv. Test. c.8.

men hæc sola, ut Bergierius demonstrat (1) Frereto, qui falso dixit Evangelia nunc unice venerata ignota fuisse usque ad S. Justinum, ut hinc arguat contra Religionem Christianam tamquam innixam argumentis minus solidis, libris apocryphis & evangeliis falsis, quandoquidem apocrypha evangelia appellata sunt etiam falsa, sed ad meram distinctionem a quatuor authenticis, non ad argumentum falsitatis in præcipuis saltem ipsorum documentis vel historiis. Falsitatem enim hujus generis ab illis semper absuisse persuadet ipse eorumdem usus, qui alicubi aliquamdiu invaluit, & manifestum est in iis, quæ extant collecta a Fabricio, & a Bergierio (2) commemorata. Eusebius (3) tandem meminit etiam de Evangeliis manifeste confictis ab Hæreticis, ut hac etiam via incautos ad suos errores pertraherent, quos ibi inseruerant. Atque hæc pariter continebant Christi miracula communiter celebrata, quæ proinde propositum argumentum confirmant & amplificant.

319. Sunt etiam pro miraculis Christi omnes Apostoli, qui pro sui apostolatus munere eadem ubique prædicarunt, quin ad eorum vel dissimulationem vel retractationem induci unquam potuerint quibusvis minis & intentatis suppliciis ab Judæis & Ethnicis Magistratibus, ut in iis insignes de eorum veritate martyres animam tandem exhalaverint. Quod siquis obiiciat martyrium pro tuenda veritate miraculorum Christi, & illius maxime insignis, quod est ejusdem resurrectio, constare solum de quatuor Apostolis, SS. Petro & Paulo, & duobus Jacobis, non vero de cæteris, omittam nunc hanc controversiam, de qua aliquid inferius dicam, quoniam quod datur satis est ut quisque ea credat, & admiretur furorem Boulangerii, qui apud Bergierium (4) deceptores appellat aut deceptos quotquot ex Christi discipulis ejus Divinam missionem miraculis prædicarunt demonstratam. Scilicet qui in has contumelias erumpit, necesse est credat fieri posse, ut illorum plures quot saltem sine controversia fuerunt Christi martyres, quamvis conscii essent de falsitate eorum, quæ in vulgus de Christo spargere volebant, sic secum statuerint. Etsi in promulgandis his fabulis necessarium erit subire carceres tormenta mortem infamiam, & nihil boni sperari possit, neque ex parte conscientiæ, quæ nos perpetuo reprehendet ut deceptores, neque ex parte Christi, quem novimus fuisse purum hominem, qui se falso Deum confinxit, neque ex parte aliorum hominum, qui nobiscum decepti, vel de mendacio nos arguent, vel eodem ac nos modo punientur, si hæc ipsi pariter testentur, neque ex parte Dei, cui horrendam injuriam facimus, cum illi impie

(1) Ber. Conf. dell'esam. c.1. n.3.
(2) Ibid. c.2. n.4.
(3) Eus. Hist. l.3. c.25. & l.4. c.22.
(4) Ber. Apolog. c.3. n.5.

pie coæquamus hominem blasphemum: nihilominus peragremus quotquot possumus regiones, & omni studio ac sollicitudine ubique hujusmodi errores disseminemus. Quis non videt hujusmodi consilia esse plane chimærica? Adde quod præter duodecim Apostolos sunt etiam alii septuaginta duo discipuli Christi, qui pariter testimonium de ipsius divinitate & miraculis dederunt, & quidem multi ex illis etiam cum sanguinis effusione.

320. Tandem in sacris Authoribus sunt illi, qui vulgo scriptores Ecclesiastici appellantur, quorum nomina recitare est sanctitatis ingenii & doctrinæ singularis ideas excitare. Quæ omnia ne permittunt quidem, ut ulla erroris aut deceptionis suspicio circa ea quæ narrant suboriatur. In his qui præcipue in hac re audiendi sunt, adnumero Patres, ut Gregorium Nazianzenum, qui versibus elegiacis conclusit miracula, quæ sunt apud Matthæum & Lucam, & heroicis, quæ Marcus & Joannes narrarunt, & Patres maxime primi Ecclesiæ temporis, qui eadem confidentia de Miraculis Christi & Apostolorum mentionem faciunt, & nullibi significant fuisse qui de illorum veritate controversiam excitasset. Quod non omisissent ii præsertim, qui ex professo Religionem Christianam ab Infidelium sive difficultatibus sive calumniis vindicarunt.

ARTICULUS IX.

Argumentum ex testimoniis profanis.

321. INter profanos authores propositioni nostræ faventes est Josephus Hebræus, cuius extat hoc de Jesu insigne testimonium, (1) *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere, erat enim mirabilium operum effector, Cum eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, non abstiterunt qui primum coeperant. Nam post tertiam diem redivivus ipsis apparuit, cum Divini vates hæc aliaque quam plurima de eo prædicassent:* Quod testimonium verum esse & germanum probarunt jam Bellarminus (2), Huetius (3), Tricalet (4), Bergierius (5), & Nonnote (6): tum quia reperitur in omnibus codicibus: tum quia idem referunt Eusebius (7) & quidem non semel, S. Hieronymus (8), Isido-

(1) Jos. Antiq. Judai. l. 18. c. 4.
(2) Bell. de Scrip. Eccl. ar. de Josepho
(3) Hue. Demon. Evang. prop. 3.
(4) Tri. Moti. de credib. pag. 112.
(5) Ber. Confut. dell' esam. c. 2. n. 8. Et Apolo. p. 4. ar. Christianisme.
(6) Non. Dict. ar. Ioseph
(7) Eus. Hist. l. 1. c. 11. Et Demonst. c. 5.
(8) S. Hie. De Script. Eccles.

dorus (1), Sozomenus (2), Hegesippus (3), & alii multi: tum quia stilus idem hoc loco apparet, ac in reliqua historia: tum quia cum in eodem opere meminerit (4) cum laude de S. Jo. Baptista, & de S. Jacobo (5) *fratre Jesu, qui appellatur Christus*, coactus quodammodo fuit meminisse etiam de Christo, qui his multo magis celebris fuerat non solum apud Judæos sed alias etiam gentes. Alii ex Judæis authoribus ejus temporis non occurrunt, quia alii non extant, qui tunc scripserint, præter Philonem, qui historicum non agit. At de eo aliunde compertum est non negasse Christi miracula, sed scandalo crucis succubuisse, ne ex iis concluderet ejusdem Divinitatem. Ex Judæis enim vero posteriorum temporum usque ad hanc diem abundant testimonia in iis omnibus, qui prodigia facta a Christo Magiæ adscribunt vel aliis absurdis caussis (n. 127.), quod planum facit non interruptam vigere apud ipsos de illis traditionem.

322. Apud Dominicum de Colonia in suo opere *Religio Christiana testimoniis veterum paganorum confirmata*, & apud Petrum Tricalet in posthumo libro *Motiva credibilitatis*. quem non commemorat Dictionarium Authorum Ecclesiasticorum alias (n. 161.) citatum, & apud Gabrielem Seigneuxium in notis ad Adisonum de Religione (6) invenientur testimonia Ethnicorum Chalcidii Philosophi platonici, Thali Græci Authoris primi Ecclesiæ sæculi, Phlegonis liberti Neronis, Celsi, Porphyrii, Juliani Apostatæ, aliorumque, qui de aliquibus Christi miraculis tamquam de factis extra controversiam certis loquuntur, & hoc unum dumtaxat ipsorum aliqui contendunt suadere ex iis non inferri Divinitatem Christi recurrentes ad caussas absurdas & ridiculas. His addantur quæ S. Justinus & Tertullianus in suis Apologiis pro Christianis ad Imperatores vel horum in Provinciis legatos oblatis commemorant tamquam nota jam & indubitata acta Pilati Romani, in quibus juxta morem communicandi Imperatoribus res alicujus momenti, quæ per diversas Imperii regiones contingerent, agebatur de Christi miraculis & morte, de hujus caussa & circumstantiis, de multitudine incredibili eorum, qui ipsius doctrinæ quotidie adhærebant, & de miraculis, quæ in ejusdem Christi nomine passim ejus asseclæ faciebant. Utinam non periissent hæc acta, quemadmodum jam contigerat tempore Eusebii Cæsariensis nescias an propter Paganorum malitiam, an propter Imperii turbulentas vicissitudines. Quod increduli hæc acta habeant pro adulterinis, quia antiquiores Christianæ Religionis Apologistæ de iis non meminerunt, nihil perturbat sapientiores criticos ut Ber-

(1) Isi. l. 4. ep. 225.
(2) Soz. Hist. l. 1. c. 1.
(3) Heg. de excid. Hieroso. l. 2. c. 12.
(4) Jos. Antiq. l. 18. c. 7.
(5) Ibid. l. 20. c. 8.
(6) Sei. sez. 2.

Bergierium (1) qui observant nihil mirum ea fuisse veteribus ignota; Nam quæ Præsides Imperatoribus scribebant, non legebantur pro concione. Quare in tabulariis recondita in lucem deinde venire poterant. Hoc evenisse in re nostra persuadet confidentia, qua Tertullianus iis utitur in data ad ipsum Senatum celebri sua Apologia. Addantur etjam Ethnici Imperatores Tiberius, Hadrianus, & Alexander Severus, qui fama miraculorum Christi commoti serio cogitarunt de eo in Deorum numero collocando, ut de Tiberio referunt Eusebius (2), & Paulus Orosius (3): & Tertullianus omnibus notum supposuit in citata sua Apologia: & de Hadriano ac Severo testatur Lampridius (4).

323 Dum per hæc paganorum testimonia satisfit incredulis qui obiiciunt Christi miracula narrari a solis Christianis, ecce tibi ex adverso erumpit Freretus, qui ea nollet adduci primo quia pagani inquit hæc miracula admiserunt, quin animadverterent quid ex illis deduci posset. At evidentes erant hæ consequentiæ, scilicet veritas missionis Christi Dni, & sanctitas ac necessitas Religionis ab ipso institutæ, quas ut effugerent, ad magiam aut alias caussas confugerunt. Secundo quia sine prævio examine, adeoque temere ea concesserunt. At si ita est, perperam igitur Increduli eos laudant tamquam magnæ mentis homines, & philosophos acutos, quando audiunt alias miraculorum caussas, quam potentiam Dei ab ipsis proferri. Atque hæc ipsa caussarum inquisitio nonne supponit cognita iis fuisse fundamenta, quibus certa eorum existentia reddebatur. Quis de hoc dubitet in Celso, qui (5) præmittit se ad impugnationem Christianorum accedere perpensis omnibus quæ ipsi dicunt, & in Juliano Apostata, qui de Evangeliis optime instructus erat, a quibus defecit, & in Porphyrio, in Hierocle, & aliis Philosophis. Simili modo Bergierius (6) has Frereti objectiones ad insulsa sophismata ostendit pertinere.

324. Præterea quoniam ex sectis hæreticorum quæ prope Apostolorum tempus illis jam mortuis eruperunt nulla aut vix ulla fuit quæ veritatem miraculorum Christi negaverit, jam augetur numerus profanorum, qui de illis testificantur. Dum discipuli Simonis magi Menander Saturninus Basilides & aliquæ Gnosticorum sectæ referente S. Irenæo (7) dicebant Verbum Divinum in apparenti non reali natura humana fuisse in terris, sub qua visus est pati mori & reviviscere, jam ipsa miracula saltem quantum ad speciem admitte-

(1) Ber. Confut. dell' esam. c. 3. a. 3.
(2) Eus. Hist. l. 2.
(3) Oro. Hist. l. 7. c. 4.
(4) Lam. Vit. Severi.
(5) Orig. c. Cels. l. 1.
(6) Ber. Confut. p. 1. c 4. n. 1. & 5.
(7) S. Ire. l. 1. c. 7. 23. & seq.

tebant, eaque etiam quantum ad realitatem admisissent, si magis prophetas & traditionem auscultassent, quam ineptum illud ratiocinium suæ hæreseos fundamentum, quod Verbo Divino indignum esset habere sibi realiter unitam veram naturam humanam.

Quod Freretus (1) hic intercedat producens Cerinthum negantem miraculum resurrectionis Christi, imprimis obiicit hæresiarcham, qui elapso magna ex parte jam primo sæculo Ecclesiam coepit perturbare. Deinde quoniam appellat ad S. Irenæum tamquam vadem suæ objectionis, Bergierius (2) observat S. Irenæum contrarium dicere in eo ipso loco (3), quem Freretus citat. Quando pro se,ut vere poterat, citasset SS. Epiphanium & Philastrium & Augustinum, nihil profecisset, tum quia S. Irenæus utpote propior Cerintho audiendus potius est, tum quia Renatus Massuet in dissertatione præmissa suæ editioni operum S. Irenæi ostendit non Cerinthum sed ejus discipulos hunc errorem aliis sui magistri addidisse.

325. Redeundo ad authores prorsus profanos, si nec plures sunt, qui de his miraculis meminerint, nec qui id utcumque fecerunt, commorati sunt in eorum distincta magis descriptione aut laude, plures habentur caussæ observatæ jam a Michaele Medina (4), & Io. Stephano Menochio (5), scilicet ignorantia eorum, quæ apud Judæos agerentur, contemptus omnium quæ ad religionem spectant tamquam quid indifferens, præjudicium de eorum falsitate, studium occultandi suam stultitiam, qui infidelitatem retinerent contra certam apud ipsos eorum existentiam, timor incurrendi in odium Principum, & supplicia Christianis indicta, Divina tandem Voluntas, quæ noluit sancta tractari ab impuris. Qua de caussa juxta aliquos interpretes, dum legitur, quod ad imperium Christi (6) *exibant Dæmonia clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei,* legitur etiam quod *increpans non sinebat ea loqui*.

326. Cum ignotum non sit Incredulis hoc argumentum ex authoritate attestantium, modum quo unus ex his Hume ab eo se expediat juvat referre, quoniam propter manifestam insipientiam ceu umbræ colores ipsum per se clarum reddunt illustrius. I. itaque negat (7) *ullum esse miraculum, quod habeat pro se numerum sufficientem testium ejus indolis educationis doctrinæ probitatis, qui nos reddat tutos contra omnem in ipsis deceptionem aut decipiendi voluntatem*. Atque hac ratione unus homuncio stoliditatis accusat omnes terrarum orbis nationes, in quibus sunt Christiani, qui a tot jam sæculis his testimo-nis

(1) Fre. Exam. Critiq. c. 1.
(2) Ber. Confut. dell' esam. c. 1. n. 2.
(3) S. Ire. l. 1. c. 16. n. 1.
(4) Med. Christ. paræn. l. 1. c. 7.
(5) Men. Stuore p. 2. cent. 4. c. 32.
(6) Luc. c. 4. v. 41.
(7) Hum. Essa. of mirac. p. 2.

niis crediderunt, omnesque Christi discipulos, & innumerabilem Sanctorum martyrum doctorum & historicorum multitudinem contemnit, & veneratos omni tempore tamquam divinos Sacræ Scripturæ libros conculcat. Quis impudentior aut furiosior?

II. Statuit non posse unquam haberi hujusmodi testes pro ullo miraculo, *quia admiratio, quæ ex miraculis excitatur, est affectio animæ tam jucunda, ut facile mentem rapiat ad ea credenda, quæ sunt ipsius caussa, & siqui sunt, quos hæc passio non rapiat ad credenda miracula, rapit voluptas excitandi in aliis admirationem per hujusmodi narrationes... Quod si spiritus religionis intercedat in amore erga mirabilia, jam actum est de sensu communi, & humanum testimonium jus omne authoritatis amittit.* Quid magis insulsum falsum temerarium, & impium magis? Sed omisso etiam ad breve tempus hoc principio tam insano, Bergierius (1) monet alium incredulum, qui ipsum adoptavit, illud non habere locum in tot & tantis Judæis & Paganis, qui Christi miracula crediderunt contra vehementissima præjudicia in oppositum, in Judæis de Messia potenti & glorioso, & in Paganis de absurditate adorandi tamquam Deum, quem ex Gente Judæa ipsis invisa ad crucem damnatum viderant expirasse.

III. Affirmat observatum esse miracula abundare inter gentes ignorantes & barbaras, & quæ ab expolitis nationibus adhuc credantur, ex suis majoribus, dum inculti essent, provenerunt, & propter authoritatem, quam sibi vindicant receptæ post hominum memoriam opiniones conservantur. Quid magis falsum & magis injuriosum potiori humani generis parti, quæ Christianam Remp. componit?

ARTICULUS X.

Argumentum ex negatis miraculis.

327. CElebre est hoc argumentum S. Augustini, (2) *Si ut crederentur mysteria fidei, miracula facta esse non credunt, hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Quod reperitur usurpatum etiam a SS. Chrysostomo (3) & Damasceno (4), & luculenter declaratum a Bufferio (5, Jure autem grande in hoc miraculum dicitur fore, quia (6) *omnibus signis mirabilius*, ut ait S. Thomas, esset Apostolos Christi

(1) Ber. Apolo. c. 6. §. 7.
(2) S. Aug. de Civit. l. 22. c. 5.
(3) Chry. in Matt. hom. 24. Et in 1. Corinth. hom. 6.
(4) Dam. l. 4. de Fide
(5) Buf. Preuv. de la relig. n. 139.
(6) S. Tho. c. Gent. c. 6.

sti (1) *homines sine literis & idiotas*, non possidentes (2) *aurum neque argentum neque pecuniam in zonis*, *non peram in via*, *neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam* solo verborum sonitu & vitæ genere ad omnem justitiam, adeoque ad invisam communiter singularitatem composito tantam effecisse opinionum & morum, ac tam subitam per universum terrarum orbem conversionem.

Etenim extra controversiam est Christianam religionem ignotam fuisse ante æram vulgarem. Atque in Judæa quidem extabat religio olim a Deo præscripta, sed in figuram Christianæ, quæ erat futura, & proinde post hujus institutionem per Jesum Christum jam consumata & proscripta, attamen incredulis & pervicacibus Judæis adhuc acceptissima propter ejus antiquitatem, splendorem cærimoniarum, excellentiam quæ ipsis tribuebat super omnes Gentes, & voluntarium errorem assumendi in sensu materiali, quæ de Messiæ regno triumphis & gloria allegorice prædicta fuerant. Nihilominus ipsimet Apostoli primum, & alii bene multi Christi discipuli, qui fere omnes in Judaismo nati & educati erant, ab eo discesserunt, & deinde multa Judæorum millia brevi ad eorum conciones Christianam professi sunt, quæ Legem Sacerdotium & Sacra majorum suorum credebat per Christum abrogata, & pares illos faciebat Gentilibus ad eamdem Fidem conversis, & in cælestis felicitatis desiderio spe & expectatione per contemptum humanæ & terrenæ, & per novum vitæ genus in se difficilis & aliorum odio & persequutionibus expositæ defigebat, & ad amorem & adorationem Messiæ, qui in cruce expiraverat, tamquam veri Dei, qui de morte & peccato tandem triumphasset, adducebat cum vehementi dolore & detestatione cæci furoris, quo ipsum apud se commorantem neglexerant oderant necaverant.

328. Extra Judæam autem Religio Paganorum erat divinos honores exhibere aut astris aut hominibus aut bestiis aut dæmoniis cum sempiterna infamia ex parte illorum intellectus tam turpiter errantis, nec minori ex parte voluntatis, quam perditissimi ipsorum mores prædicabant. Hæc erat religio, quæ gentes ipsas expolitiores Græcos atque Romanos occupaverat, apud quas nequicquam obstrepente raro aliquo Socrate aut Platone aut Seneca morum corruptela eo devenerat ut vitia ipsa ad sacros honores evecta viderentur in multitudine Deorum, quorum maximum Jovem dicebant fuisse incestuosum adulterum Ganymedeum, Martem furiosum, Mercurium furem, Apollinem homicidam, Venerem impudicam, Dianam crudelem, omnes sæpe inter se discordes, & singulos singulari aliquo facinore insignes, ad quorum cultum erecta undique templa visebanban-

(1) Act. c. 4. v. 13. (2) Matt. c. 10. v. 10.

bantur in iisque signa suorum scelerum indices, ab ipso Ovidio (1) reprehensa, & constituti sacerdotes, & oblata sacrificia etiam horrenda ex hominibus ad eorum aras iugulatis aut combustis, ut testis est ipsa Scriptura de illo Mosæ Rege Moab, qui (2) *arripiens filium suum primogenitum obtulit holocaustum super murum* in conspectu hostium, a quibus obsidebatur, & de Samaritanis ex Sepharvaim oriundis, qui (3) *comburebant filios suos igni Adramelech & Anamelech Diis Sepharvaim*, et testis Eusebius (4) de aliis populis ex historicis quos citat.

329. Hæc novimus de moribus veterum paganorum ex indubiis monumentis adhuc existentibus. Generaliter autem quanta sit morum corruptio atque perversitas omnium, qui Christianam religionem non sequuntur, agnoscimus ex populis nondum Christianis, qui in Asia Africa & America adhuc abundant. Nominas Tauricos Turcas Arabes Mauros; & adhuc sui juris Americanos, jam excitas ideam hominum qui in supina ignorantia vivunt, qui effroenatis cupiditatibus inserviunt, qui indolem explicant servilem ferocem turbulentam, qui solo timore palam furta latrocinia & omnia scelera non exercent. Illi qui bonos mores prædicant de Sinensibus licet non Christianis, sunt plerunque Increduli, qui cum ignorantia conjunctam habent impudentiam fingendi & mentiendi, ut suo in Religionem odio ex amore vivendi pro suis cupiditatibus contracto inserviant; Historiæ enim eorum, qui ibidem aliquamdiu versati sunt, Sinenses etiam nobis describunt plenos vitiis, in quibus est illud incontinentiæ, cui satisfacere abusu famularum ipsorum leges permittunt, & ab aliis non abstinent nisi solo Magistratuum timore. Ipsi interea Magistratus, qui minus a poenis timent, aliam regulam morum non videntur sequi, quam per fas & nefas ditescere, & seditiones ibi satis frequentes impedire. Hoc Georgius Anson (5) præter alios, quos citat Bergierius (6), ita esse recentissime testatur suismet oculis observasse.

330. Confirmant insignem corruptelam morum apud gentes non Christianas, nostrorum temporum Apostatæ, cujusmodi sunt, qui permultis contra Religionem Christianam perscriptis libellis plus nimio noti sunt, a quibus videas officia omnia circa Deum & homines & seipsos derisa & conculcata. Itaque Sanctis Mysteriis nolunt assensum præstare, quia contra rationem dicunt esse ea credere: Preces ad Deum traducunt tamquam vel superfluas, quia Deus non ignorat nostras necessitates, vel inutiles, quia ejus decreta sunt immu-

(1) Ovid. Trist. l. 2. v. 389.
(2) 4 Reg. 1. c. 3. v. 27.
(3) Ibid. c. 17. v. 31. (4) Eus. Præp. l. 4.
(5) Ans. Voyage l. 3. c. 7.
(6) Ber. Apol. c. 11. n. 4. Et c. 14. n. 10. Et Ibid. p. 4. art. Crecchitme entret. 5.

mutabilia: Divortii prohibitionem condemnant tamquam caussam gravium molestiarum, quæ matrimonia identidem perturbant: Castitatem pro virtute habent imaginaria, cujus nulla est utilitas; Patriam potestatem nullam volunt, simul ac filii ad usum rationis pervenerint. Alia impietatis & improbitatis dogmata cum suis authoribus dabit Bergierius (1), qui simul illorum foeditatem & absurditatem demonstrat.

331. Fingendo igitur Religionem Christianam stabilitam sine miraculis opus est dicamus descriptos Christi discipulos nullo naturali præsidio instructos determinasse intellectus hominum ad repudiandam majorum suorum religionem tamquam contrariam rectæ rationi, oppositam bonis moribus, probrosam & absurdam, & ad amplectendam novam christianam, quæ ut ait S. Augustinus (2) *nimium mirabiliter incredibilia* proponit circa naturam Dei, quam unam & simplicem docet a se existere in tribus realiter inter se distinctis Personis, in Patre qui non est antiquior Filio, in Filio qui non est minor Patre, & in Spiritu Sancto ab utroque procedente, qui æqualis ipsis est in perfectione: Et circa Bonitatem ipsius Dei in homines, qui ex uno a se creato, quicquid in contrarium dicant quidam Increduli, successive existunt, omnes ad imaginem & similitudinem suam, & capaces sempiternæ felicitatis, dummodo adorent Jesum Christum tamquam verum quidem hominem sed etiam verum Deum Deique Filium, qui pro nobis natus crucifixus mortuus & sepultus tandem resurrexit & in Cælum ascendit: Et circa alia multa, quæ ex his mysteriis dependent dogmata. Necesse est præterea dicamus eosdem Apostolos inclinasse voluntates hominum ad mores conformandos juxta hujus novæ religionis principia & leges, quæ cum tota versentur in duobus mandatis (3) dilectione Dei ex omnibus viribus, & dilectione proximi, qualem (4) erga nos ipsi habemus, jam non solum superbiam vitæ, vindictam injuriarum, appetitionem divitiarum, cupiditatem voluptatum, vitium omne detestantur & prohibent, sed ipsis etiam desideriis & internis animæ motibus limites præscribunt, iis certe non ampliores, quos Philosophi lumine rationis ducti externis actibus docebant convenire, & mortem ipsam jubent constanter subire potius quam ab his mandatis discedere, quod sub initium, cum Christiana professio ex Ethnicorum legibus crimen esset dignum morte, frequentissime contigit. Necesse est tandem dicamus eosdem Apostolos ad cognitiones & de-
ter-

(1) Ibic. c. 12. & 13.
(2) S. Aug. de Civit. l. 22. c. 3.
(3) Luc. c. 10. v. 27.
(4) Matt. c. 22. v. 37.

terminationes tam admirabiles adduxisse non jam credulos pueros, imbecilles feminas, juvenes inconsideratos, senes deliros, & incultam solum plebeculam, quemadmodum dixit Celsus, & plures repetunt nostra ætate ipsius imitatores a Bergierio nominati (1), sed homines etiam ætate & prudentia spectatissimos, nobiles, sapientes, perspicaces. Nam Canonicæ epistolæ ad Hebræos, Romanos aliosque populos,datæ profecto fuerunt ad homines inter illas gentes supra ignarum vulgus elevatos, qui eas legerent & intelligerent.

332. Præterea nonne nobiles erant Cornelius centurio baptizatus a Paulo (2) cum *convocatis cognatis suis & necessariis amicis*: Et Sergius Proconsul, qui (3) *credidit admirans super doctrina Domini*, quam ipsi Apostolus explicaverat: Et Crispus Archisynagogus, qui pariter audito Paulo (4) *credidit Domino cum omni domo sua*: Et (5) *Asiæ principes qui erant amici Pauli*? Nonne docti erant & perspicaces ii, quorum Jerosolymæ (6) *multa turba obediebat fidei*: Et qui Athenis Apostoli verbis persuasi (7) *crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita*: Et qui (8) *vehementer Judæos revincebat publice ostendens per Scripturas esse Christum Jesum Apollo vir eloquens*: Et qui Ephesi jam credentes, cum fuerint (9) *curiosa sectati contulerunt libros & combusserunt coram omnibus*: Et qui ea ætate, quæ fuit aurea pro literis & artibus ubique abundabant præclari ingenio & scientia viri, ut Polycarpi Justini Irenæi, quorum omnium tanta fuit persuasio de veritate omnium quæ ad Christianam pertinent religionem quam susceperant, ut quævis pati potius maluerint, quam ab ea deficere, & ab ejusdem propagatione desistere, ita ut hæc post illud tempus vigeat victrix de furiosis per tria prima sæcula persequutionibus Imperatorum & Magistratuum, & de perpetuis improborum contra illam conatibus. Quis non videt esse hæc omnino opposita consueto agendi modo intellectus & voluntatis hominum ut etiam videantur naturæ harum potentiarum intrinsece repugnare. Atque cum hæc repugnantia apud homines qui naturaliter etiam cognoscunt existentiam Dei Omnipotentis, non appareat in cæcorum illuminatione, reductione mortuorum ad vitam, aliisque miraculis, quæ Adversarii recusant admittere, jam plane conficitur majus miraculum poni, dum Christiana Religio dicitur sine miraculis stabilita.

(1) Ber. confut. c. 6.
(2) Act. c. 10. v. 24.
(3) Ibid. c. 13. v. 12.
(4) Ibid. c. 18. v. 8.
(5) Ibid. c. 19. v. 31.
(6) Ibid. c. 6 v. 7. (7) Ibid. c. 18. v. 28.
(8) Ibid. c. 17. v. 34.
(9) Ibid. c. 19. v. 19.

ARTICULUS XI.

Objectiones contra Miraculum resurrectionis Christi.

333. OBiicitur. Miraculum resurrectionis Christi Dn. describitur manifestatum quibusdam mulieribus, & solis Christi discipulis, qui illum viderunt, & alloquuti sunt, non vero Pilato Scribis Pharisæis Principibus Sacerdotum, iis demum qui ipsius mortis caussa fuerunt: Atqui manifestatum non esse nisi mulieribus & discipulis est argumentum dubitandi de ipsius veritate: ergo.

Resp. I. cum Sherlockio supra (n. 264.) citato, Bergierio (1) & Csapodio (2) *nego maj.* Nam scimus milites qui custodiebant sepulcrum vidisse Christum resurgentem, eumque jam redivivum (3) *visum plusquam quingentis fratribus simul.* Quoniam de hac meminimus apparitione iuvat omnes commemorare, quibus intra paucos dies resurrectionem suam Christus demonstravit contra futuros impugnatores tanti miraculi, quod pertinet ad fundamentum Christianæ religionis juxta illud Apostoli (4) *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*, quandoquidem in hac hypothesi constare non posset de Christi Divinitate. Hæc enim excludit imperfectionem omnem potentiæ & scientiæ: defectus autem in potentia statim eluceret in eo, quod qui alios a mortuis dicitur suscitasse, se ipse non potuisset excitare, & locum jam haberet ea Judæorum objectio (5), *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Quis pariter defectum scientiæ non videret, si quod sæpius (6) dixerat se tertia die resurrecturum, non fuisset exequutus.

Apparitiones itaque sunt I. Magdalenæ prope (7) sepulcrum. II. mulieribus (8) a sepulcro redeuntibus. III. S. Petro. IV. duobus discipulis (9) in Emmaus euntibus. V. omnibus discipulis excepto Thoma (10), qui aberat. Atque hæ quinque apparitiones ipsa resurrectionis die factæ fuerunt. VI. octo diebus post omnibus iterum discipulis, ipsique Thomæ, qui tunc aderat, & (11) fixuras clavorum vidit & tetigit, quod factum esse in ipsa Jerusalem tenet Maldonatus (12). VII. septem discipulis Petro, Thomæ, duobus filiis Ze-

(1) Ber. Apolog. c. 3. §. 9.
(2) Csa. Relig. nat. l. 1. n. 120.
(3) 1. Corinth. c. 15. v. 6.
(4) Ibid. c. 13. v. 17.
(5) Matth. c. 27. v. 42.
(6) Ibid. c. 12. v. 39. Et c. 16. v. 21. Et c. 20. v. 19.
(7) Mar. c. 16. v. 9.
(8) Matt. c. 28. v. 29.
(9) Mar. c. 16. v. 12.
(10) Joa. c. 20. v. 19.
(11) Ibid. v. 26.
(12) Mal. in Jo. c. 20. v. 26. Et in Mar. c. 16. v. 19.

Zebedæi Jacobo & Joanni, Nathaneli, & aliis duobus qui non nominantur (1) ad mare Tiberiadis, quibuscum manducavit & bibit. VIII. undecim discipulis (2) qui supra montem in Galilæam abierunt juxta mandatum Domini (3) ipsis per mulieres communicatum, ubi *videntes eum adoraverunt*. IX. fratribus (4) plusquam quingentis. X. iis quos (5) *eduxit in Bethaniam* Jerosolymæ vicinam in monte Oliveti sitam (6), ubi in eorum conspectu ad Cælum ascendit. Neque est dissimulandum, quod prout habetur in Actis Apostolorum, ipsis Christus (7) *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis*.

334. *Resp.* II. cum Franciscio apud Trevoltianos (8) *omitto mai. & nego min.* Ad argumentum veritatis alicujus facti satis est scientia & veracitas plurium testium. In his omnis Respublica, quin immo humanum genus universum semper agnovit contineri demonstrationem quam dicunt moralem, quæ sola haberi potest dum de veritate facti disquiritur, & per eam omnes acquiescunt in sententiis de controversiis quantumvis maximi momenti ut de bono sive publico sive privato. Itaque cum Adversarii dent plures in Apostolis haberi testes de miraculo resurrectionis Christi, cumque in ipsis reperiri qualitatem veracitatis supra (n. 316.) demonstratum fuerit, restat ad summum de eorum circa hoc factum scientia, sicut etiam de illa mulierum dubitationem omnem removere, quod plane conficitur ostendendo eos ad eam credendam coactos fuisse argumentis physice evidentibus, cujusmodi se produnt, considerando quod quamvis tam sæpe audierint ab ipso Domino se tertia die resurrecturum, nihilominus eo jam occiso de hoc eventu non cogitarunt vel prorsus desperarunt. Novimus enim mulieres ad sepulcrum non ivisse, nisi ut corpus curarent, & Magdalenam, cum ipsum non invenerit, non credidisse redivivum (9), sed alio asportatum, donec ipse Dominus benigne se eisdem vivum ostendit, (10) jubens ire id nunciatum Apostolis, quibus hæc audientibus (11) *visa sunt sicut deliramentum verba ista*; & eadem die idem Christus medius inter duos discipulos euntes in Emmaus non obtinuit, ut crederent ejus resurrectionem, nisi postquam porrigente eis pane (12) *aperti sunt oculi eorum & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum*, non quia phantasma esset, ut hæc verba calumniantur increduli, sed

(1) Joa. c. 21.
(2) Matth. c. 28. v. 16.
(3) Ibid. v. 7.
(4) 1. Cor. c. 15. v. 6.
(5) Luc. c. 24. v. 50.
(6) Act. c. 1. v. 12.
(7) Ibid c. 1.
(8) Trev. an. 1755. ar. 88 p. 1948.
(9) Jo. c. 20. v. 15.
(10) Matt. c. 28 v. 10.
(11) Luc. c. 24. v. 11.
(12) Ibid v. 31.

quia invisibilem se reddidit, ut sæpe in primæva vita (n. 276.) jam fecerat. Hi reversi in Jerusalem ceteros quidem Apostolos de hac apparitione certiores fecerunt, sed quoniam (1) *nec illis crediderunt*, ecce tibi repente stat (2) *Jesus in medio eorum, & dicit eis Pax vobis, Ego sum*: nec adhuc credunt, sed conterriti existimant se spiritum videre. At *Spiritus*, reponit Christus, *carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere .... & ostendit eis manus & pedes*. Nondum tamen ab animi suspensione penitus recedunt, sed cum tandem *manducasset coram eis*, cesserunt evidentiæ, a qua cum abesset Thomas, nihil commotus aliorum testimonio professus fuit se non crediturum, nisi & ipse videret (3) *in manibus ejus fixuram clavorum*, & mitteret manum suam in latus ejus: quorum utrumque cum obtinuisset apparente iterum Jesu coram omnibus tandem credidit exclamans *Dominus meus & Deus meus*. Persuasio quam in ipsis produxit tanta evidentia, evasit maxima & omnino ineluctabilis, quando alias iisdem (4) *præbuit se ipsum vivum in multis argumentis per dies quadraginta*, & quando innumera deinde prodigia, donec vixerunt, coram omnibus patrarunt (5) *in nomine Jesu Christi, quem Deus suscitavit a mortuis*. Multa igitur & invicta habentur argumenta de scientia Apostolorum circa Christi Dn. resurrectionem, quibus accedit illud S. Jo, Chrysostomi, quod sic habet: Plusquam commune est post mortem eorum, quos in vita etiam impense diligimus, penitus oblivisci, & multo magis si ab iisdem adhuc vivi defecimus: ergo quoniam Apostoli, qui in vita a Christo defecerant, post ejus crucifixionem innumeros labores, & ipsam mortis damnationem pro illo sustinuerunt, necesse est certissime noverint ipsum post crucifixionem ad novam vitam rediisse. In horum igitur testimonio vera hujus resurrectionis demonstratio continetur.

335. Huic qui non cedat, sed adhuc existimet aut suspicetur Apostolos deceptos fuisse vanis imaginationibus, is profecto viam sibi obstruit ad quicquam credendum, etiamsi non solum Pilato Scribis Pharisæis & Principibus Sacerdotum, & aliis quos vellent, Christus apparuisset, sed etiamsi sibimet appareret, vel aliud quodvis miraculum, ut hoc crederet, operaretur. Si enim tot & tantos homines, omnes Apostolos & fratres quingentos, & innumerabiles qui miracula facta in testimonium resurrectionis Christi viderunt, aliquo modo credunt deceptos, & quidem non semel atque iterum, sed quoties narrant se ipsum vidisse contrectasse, cum eo sermones habuisse & sæpius manducasse, atque in hac dece-

(1) Mar. c. 16. v. 13.
(2) Luc. c. 24. v. 36.
(3) Joa. c. 20. v. 25.
(4) Act. c. 1.
(5) Ibi. c. 4. v. 10.

ceptione perseverasse non una aut altera hora, nec per dies etiam quadraginta, sed per totam plurium annorum vitam, quanam ratione sibi persuadere poterunt se pariter non decipi, dum vivum repente videant, qui jam obierat, vel aliud impetrent quod magis vellent miraculum ad hoc credendum. Non potest igitur resurrectionis Dominicæ veritas in controversiam adduci ex eo, quod Dominus noluerit se palam ostendere omnibus & singulis, qui ipsum viderunt in cruce expirasse, aut ejus mortis caussa aliqua fuerunt.

336. Ratio autem cur id noluerit, sine dubio non deest, sed quænam definite sit, dicat qui (1) *consiliarius ejus fuit*. Fortasse ea interfuit, quam modo dixi, quia qui de illa dubitat contra tanta de ejus veritate argumenta, jam ne suismet quidem oculis crederet. Recentioris increduli (n. 166.) sunt hæc verba (2) *Quid jactas te reddere mutos loquentes & mortuos redivivos. Ab his mea fides non concutitur. Credo meis ratiociniis magis quam meis oculis*. Et alterius sunt hæc alia (3) *Si mortuus ante meos oculos surgeret, nihil admirarer, quandoquidem non semel accidit ut viveret, qui mortuus aliquamdiu creditus fuit. Hæc spectacula amentem me potius redderent quam credentem*. Horum pervicacia expressa jam fuerat ab Evangelio, ubi narrat negatam missionem Lazari (4) ad quinque fratres damnati divitis, quia *neque si quis ex mortuis resurrexerit*, erant credituri, Fuit fortasse & illa, quod etiamsi propter evidentiam fassi fuissent Christi resurrectionem, nihilominus eum tamquam Messiam numquam adorassent. Nonne enim novimus Judæos post miraculum a S. Petro palam factum Ierosolymæ in claudo ex utero matris suæ, quem in nomine Christi a Deo suscitati allevavit, conclusisse in concilio denunciandum cum comminatione ipsi Petro & ceteris (2) *ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu*.

337. I. Instat Auctor *Christianismi detecti*. Apparitio solemnis quam Christus fecisset in publica platea, fuisset argumentum illustrius suæ resurrectionis, quam omnes simul apparitiones clandestinæ factæ hominibus, qui convenerant in nova secta stabilienda.

Resp. nego imprimis triplex suppositum. Primum est non haberi apparitionem solemnem qualis in publica platea, hoc est coram frequenti populo, Hæc enim habetur in ea quæ facta fuit fratribus plusquam quingentis; Alterum est clandestinas dici apparitiones in quibus cum omnibus simul congregatis Apostolis toties per dies quadraginta versatus fuit familiariter cum eis etiam convescens. Tertium est, Apostolos suscepisse consilium formandi novam sectam sci-

(1) ad.Rom.c.1.v.74.
(2) Pensees hpilos.
(3) Rousseau. Lett. de la Monta.
(4) Luc.c.16.v.27.
(5) Act.c.4.v.18.

ſcilicet inducendi homines ad adorandum crucifixum tamquam Deum, quem conſcii erant fuiſſe impoſtorem, ſi certi non fuiſſent de ejus reſurrectione. Hoc conſilium non potuiſſe illis venire in mentem ſupra (n. 319.) jam demonſtratum eſt. Deinde nego ipſum aſſumptum; Nam ſi repetitæ apparitiones habitæ coram tam multis non impetrant ab incredulis ut credant hanc reſurrectionem, quia dubitant de veritate narrationis, ex eadem ratione dubitarent etiam de veritate apparitionis ab ipſis excogitatæ. Tandem omitto aſſumptum, quandoquidem ex eo quod Chriſtus non reddiderit veritatem ſuæ reſurrectionis claram per argumentum, quod hæc male feriata capita proponunt, non ſequitur, quod certiſſimam non reddiderit, quemadmodum palam eſt ex aſſenſu omnium chriſtianorum.

338. II. Inſtant. Milites cuſtodientes ſepulcrum teſtati ſunt ipſis dormientibus Apoſtolos abſtuliſſe corpus Chriſti: ergo dubitari poteſt de ejus reſurrectione.

Reſp. *conc. ant*, *& nego conſeqm.* Nam ſi dormiunt quomodo de facto teſtantur? Qui autem eſt hic ſomnus in tot militibus, quem non excutit fragor neceſſarius ad removendum ingentem lapidem, qui os ſepulchri obſtruebat, & ad cadaver adſportandum? Sed quid his opus eſt, cum Increduli hanc cavillationem ab ipſis Evangeliſtis deſumant, a quibus norunt illam prolatam a militibus corruptis ab Judæorum concilio (1) *copioſa pecunia*, & inſano prorſus conſilio.

339. III. Inſtant. Non conveniunt inter ſe Evangeliſtæ circa horam hujus reſurrectionis; Nam Matthæus (2) docet contigiſſe veſperi: Marcus (3) valde mane orto jam ſole: Et Joannes (4) cum adhuc eſſent tenebræ: ergo non debet credi.

Reſp. antecedens peccare falſa ſuppoſitione, quod in citatis ex Evangelio locis ſermo ſit de hora reſurrectionis Chriſti. Hæc quidem contigit die dominica, ſed (5) *qua hora nemo unquam mortalium ſcire potuit* inquiunt Patres apud Maldonatum. Itaque in objectis locis ſermo eſt de acceſſu mulierum ad ſepulcrum, & optime omnia inter ſe conciliari, luculenter demonſtrant Interpretes.

Hujuſmodi inſtantiis Increduli oſtendunt a ſe haberi Apoſtolos non tam pro deceptis quam pro deceptoribus, ex quo iterum ſequitur ipſos reddere ſe omnino impares ad quicquam credendum per quodvis miraculum. Cum enim Apoſtolos tenent aliquo modo pro impoſtoribus, jam neceſſe eſt ut eoſdem credant fuiſſe in ſe furioſos, qui pro ſuo apud ſe certo mendacio tot labores in eo promulgan-

(1) Matt. c. 28. v. 12.
(2) Matt. c. 28. v. 2.
(3) Mar. c. 16. v. 2.
(4) Joa. c. 20. v. 1.
(5) Mal. in Matth. c. 28. v. 2.

gando, tot tormenta & mortem ipsam in eo tuendo toleraverint, & furorem hunc per quamdam contagionem communicasse quotquot ex suis alumnis, qui sunt innumerabiles, similes labores ac cruciatus pro eadem caussa deinceps sustinuerunt, & Deum permisisse non solum, ut eorumdem deceptionem nemo detegeret cum facile posset, quoniam locum tempus testes & minimas talis resurrectionis circumstantias significabant, sed etiam ut illam confirmarent quodammodo Judæi & Gentiles, qui nunquam mendacium hujusmodi narrationibus opposuerunt. Quæ cum ita apud se statuant, rogo quodnam sibi reliquum faciant argumentum, cui possint jure existentiæ alicujus facti assentiri?

340. IV. Instat Freretus apud Bergierum (1) Non legimus discipulos et eos qui dicebant vidisse se Christum redivivum, & alia ejus miracula, fuisse in judicium vocatos, & juxta juris regulas de facti veritate examinatos.

Resp. nego assumpti suppositum, scilicet quod de iis, quæ vel tota civitas vel magna ejus pars vidit aut alio modo certo novit, quæratur in foro an vera sint. Desipit qui Judicis sententiam requirat ut admittat tamquam vera, quæ ipse & tota regio aut urbs scit esse vera. Hujus conditionis sunt pleraque Christi miracula, & ipsa etiam ejus resurrectio, pro qua adsunt etiam repetiti ad tribunalia accitus Apostolorum, qui illam prædicabant, non quidem ut punirentur tamquam fabulatores, sed ut ab ejus promulgatione desisterent. Qua de caussa negari etiam absolute posset assumptum. Nam novimus Petrum & Joannem post sanatum claudum tractos ad Judæorum tribunal, ubi (2) *si diudicamur*, inquiunt, *in benefacto hominis infirmi notum sit omnibus vobis, quia in nomine Jesu Christi, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus, & nihil poterant contradicere, & denunciaverunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu, & comminantes dimiserunt eos.* Non multo post cum prædicationem Evangelii prosequerentur, prout illis jam indixerant se facturos, quia justum non erat (3) *eos potius audire quam Deum*, iterum (4) statuuntur in concilio, ubi conquerentibus quod non obedierint præcepto sibi imposito, iterum *dixerunt*, *obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus suscitavit Jesum*. Nec interrumpunt sermonem tamquam falsum, sed cogitant interficere illos, & renovato præcepto tandem dimittunt. Insignis est etiam Pauli ad plura tribunalia deductio propter ipsam de resurrectione Christi prædicationem. Sistitur primo Jerosolymæ ad idem Judæorum conci-

(1) Ber Confutazi. dell' esame p. 1. c. 3. n. 1.
(2) Act. c. 3. v. 4.
(3) Ibid v. 19.
(4) Ibid. c. 5. v. 27.

cilium (1): Deinde ad tribunal Felicis Præsidis Romani (2): & tertio ad illud ejus successoris Portii Festi, præsente etiam Rege Agrippa, & in omnibus actum est (3) *de Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere*, qui ante Regem eadem repetens, testem ipsum appellavit de ipsorum veritate utpote (4) *scientem omnia, & quæ apud Judæos sunt quæstiones*. Atque cum hæc agerentur, nemo fuit, qui ipsi obiiceret falsitatem in suis dictis, & tam Præses quam Agrippa concluserunt, quod (5) *dimitti poterat, si non appellasset ad Cæsarem*. Quando tandem ipsemet Paulus de se scribit, sui (6) *in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum*, jam appellat ad actus, qui palam faciunt sæpius se fuisse a Magistratibus examinatum de Christi resurrectione ejusque miraculis, quibus ejusdem Divinitatem persuadebat, & in cujus prædicatione vitam consumavit.

Articulus XII.

Obiectio contra miracula Christi tamquam opera Diaboli.

341. Obiicitur. Miracula quæ narrantur de Christo, existimata fuerunt esse opera Dæmonis non solum a Judæis sui temporis (7) *Quidam dixerunt in Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia*, verum etiam a posterioribus authoribus, ut colligitur ex S. Justino (8) Origene (9), S. Cypriano (10), Lactantio (11) & omnibus fere antiquis Christianæ Religionis defensoribus: Eo ipso non potest confidenter affirmari illa esse indubitata miracula: ergo.

Resp. *dist. mai.* Miracula ejectionis Dæmonum credita fuerunt fieri per Beelzebub, *conc. mai.* omnia miracula, *nego mai & min.* Stultitia fuisset tribuere virtuti Dæmonis cæcos a nativitate illuminare, paralyticos a multis jam annis confirmatos repente consolidare, paucos panes multiplicare in ipsa distributione inter multa millia hominum, mortuos suscitare & similia; Nam nemo unquam Diabolum credidit posse membra & organa jam corrupta renovare aut quicquam creare, saltem numquam hæc antea visa aut audita fuerant, idque vulgus ipsum significavit dicens per cæcum a nativitate,

(1) Ibid. c. 23.
(2) Ibid. c. 24.
(3) Ibid. c. 25. v. 19.
(4) Ibid. c. 26. v. 3.
(5) Ibid. v. 31.
(6) 2. Corint. c. 11. v. 23.
(7) Luc. c. 11. v. 15.
(8) S. Jus. Apolog. 1. n. 37.
(9) Ori. l. 1. c Cels. n. 54. & l. 3.
(10) S. Cyp. de Idol. vanit.
(11) Luc. l. 4. c. 13.

te, quem Christus sanavit, (1) *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*: & multo magis noverant Pharisæi & Scribæ viri inter Judæos docti, quibus ignota esse non poterant, quæ Dæmon posset præstare eo præsertim tempore, quo maxime viguit curiositas Magiæ inter Gentiles teste Josepho apud Seigneuxium (2), quod colligitur etiam ex Actis Apostolorum, in quibus habemus (3) quod *multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*.

342. Hinc invidi Pharisæi ipsum miraculum cæci nati factum sabbato quærentes deprimere, non tribuerunt Beelzebub, sed hoc solum dixerunt (4) *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*, de quo tamen ab aliis statim fuerunt reprehensi. Hinc etiam ex observatione Duplessii apud eumdem Seigneuxium, cum Principes Sacerdotum inito inter se consilio decreverint mortem Christi, nunquam legimus protulisse contra ipsum criminationem magiæ, probe intelligentes ejusdem futilitatem. De sola proinde ejectione Dæmonum legimus tunc dictum fuisse a Diabolo provenire, quia de hac sola sine nota perversitatis nimis apertæ suspicio aliqua apud vulgus disseminari poterat, quod fieret opera principis Dæmoniorum, (5) *non quia*, inquit Brancatus, *Magus aut Dæmon habeat potestatem eiiciendi imperio suo alios Dæmones, sed quia ex condicto seu pacto Dæmones ad jussionem recedunt*.

343. At si in hujusmodi a Christo Dn. peractis expulsionibus tribuendis Dæmoni aberat stultitia, non deerat tamen blasphemia, quam Christus ipse iisdem exprobravit, quia dicebant in Beelzebub eiici Dæmonia, quæ evidens erat eiici *in Spiritu Dei*, hoc est virtute Divina, tum quia eadem videbant passim expelli a suis discipulis in nomine Christi, non Beelzebub, quod juxta Patres apud Maldonatum (6) significavit Christus per illa verba, *Filii vestri in quo eiiciunt* Dæmonia? Nonne in nomine meo? Tum quia hæc ejectio & omnes Christi operationes præseferebant studium gloriæ Divinæ, incitamentum ad ejus cultum, odium Satanæ, ejusque regni aversationem implacabilem, cujus ipsa fundamenta (7) superbiam vitæ & concupiscentiam carnis & oculorum perpetuis ad animi demissionem, divitiarum contemptum, & cupiditatum refroenationem impulsibus convellebat. Hanc rationem attulit ipse Christus tamquam

A 2 de-

(1) Joa. c. 9. v. 32.
(2) Sci. in not. ad. Adisson. de Relig. Christ. sec. 2. §. 4.
(3) Act. c. 19. v. 19.
(4) Joa. c. 9. v. 16.
(5) Bra. de Mirac. n. 668.
(6) Mal. in Matt. c. 12. v. 27.
(7) 1. Ioan. c. 2.

demonstrationem impiæ illorum suspicionis, dum dixit (1) *Si satanas satanam eiicit, quomodo stabit regnum ejus.*

344. Propter hanc evidentiam Divinæ Virtutis in quibusvis Christi miraculis etiam inferioris generis ut sanationibus, credo equidem suspicionem magiæ ne venisse quidem in mentem iis qui eorum testes de visu fuerunt: alii autem, qui hæc deinde audientes hujusmodi vel suspicionem vel criminationem proposuerunt Thalmudistæ (n. 32.), & Pagani apud citatos Patres, vel etiam nunc horum discipuli proponant, refelluntur tum per exposita Divinæ virtutis signa, quæ in singulis elucebant, ut testes sunt Evangelistæ, tum per tantam illorum multitudinem, & tam eximiam in aliquibus qualitatem, ut evidens cuique sit esse supra Diaboli potentiam, tum per recordationem prophetiarum, quæ de iisdem miraculis in Veteri Testamento leguntur, & quæ jure habentur a Patribus Ethnicos & illis similes adversarios impugnantibus tamquam totidem demonstrationes ipsorum erroris & impietatis; Nam (2) *Dei est opus* inquit S. Justinus, *prius promulgare quicquam quam fiat, atque ita factum exhiberi, sicut est prædictum*: & infra, (3) *Nequis opponat, quod Christus arte magica virtutes, quas diximus ediderit, demonstrationem aggredimur non tam dicentibus credentes, quam prædicentibus.* Et S. Irenæus, (4) *si et Dominum per phantasmata hujusmodi fecisse dicunt, ex propheticis demonstrabimus omnia sic de eo prædicta esse.* Et S. Augustinus, (5) *Non defuissent, qui magicæ potentiæ cuncta illa* (Christi Miracula) *tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur*, quibus similia habent Origenes (6) Tertullianus (7) & Lactantius (8)

345. Instatur. Expulsiones Dæmonum obtineri possunt modo etiam naturali: ergo hæ saltem quæ tamquam totidem Christi miracula narrantur ab Evangelistis, miracula revera non sunt. Quæ afferuntur pro antecedenti, quod negatur, sunt.

I. Quia Legimus Tobiam servasse jecur cujusdam piscis ex jussu Angeli, qui dixit ei (9), quod eo incenso fugaretur Dæmonium: ergo sicuti hic fumus fugabat Dæmones, ita & alia erunt, quæ idem efficiant. At interpretes Liranus & alii, quo sequitur Martinus del Rio (10) in eo jecoris fumo non agnoscunt causam efficientem illius expulsionis, sed merum signum ejus, quam Angelus tunc facturus erat. Interpretatio nititur ipsi Scripturæ quæ refert, quod cum (11) *To-*

(1) Matt. c. 12. v. 26.
(2) Iust. Apolog. 1. n. 14.
(3) Id. ibid. n. 37.
(4) S. Irc. l. 2. c. 57.
(5) S. Au. l. 12. con. Faust. c. 45.
(6) Orig. l. 1. con. Celsum nu. 5. & 34.
(7) Ter. con. Marcion. l. 3.
(8) Lac. Instit. l. 15.
(9) Tob. c. 6. v. 17.
(10) Rio. Disq. mag. l. 2. q. 30. sec. 3.
(11) Tob. c. 8. v. 2.

Tobias partem jecoris posuit super carbones vivos, tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit eum in deserto.

346. II. quia iterum legimus, quod (1) *quandocumque Spiritus Domini malus accipiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo Spiritus malus*: ergo sonus illius citharæ fugabat Dæmones. At nullus ex probatis Interpretibus admittit hanc consequentiam, quam aliunde illegitimam esse vulgus ipsum novit, quod illos rideat, qui harmoniam credant vel dicant flagellum Dæmonum. Vera consequentia est, ergo melancholici, quales naturaliter sunt possessi a Dæmone, musicis instrumentis recreantur, & propter Divinas laudes, quas David supra citharam modulabatur, malus Saulis spiritus ad tempus recedebat; Habemus enim Saulem ex consilio servorum suorum non quæsiisse citharædum dumtaxat, sed (2) *hominem scientem psallere cithara*.

347. III. Quia sunt apud Gasparem Schottum (3), qui Salviam Anethum Foeniculum Allium. Rutam caprariam, & alias herbas nec non & quosdam lapides recensent inter causas naturaliter expultrices Dæmonum. At Philosophi & Theologi, quos nominat & sequitur Lambertinus (4) respuunt horum historias tamquam fabulas, & alienas a Philosophia, quæ non agnoscit aliam actionem naturalem corporum in Spiritus, nisi quam habent corpora in animas, quæ sint ipsorum formæ substantiales, eamque veram quidem sed ineffabilem profitentur.

348. IV. Quia Josephus Hebræus (5) testatur Salomoni notam fuisse Divino munere artem expellendi Dæmones sitam in quibusdam incantationibus quas scriptas reliquit, & vidisse se Eleazarum coram Vespasiano & toto ejus exercitu id obtinentem admoto Dæmoniaci naribus anulo, in quo erat radix quædam a Salomone monstrata. At Lambertinus (6) post Bellarminum (7) & Estium (8) respondet, *hæc incerta sunt, & undequaque superstitiosi exorcismi, qui dicuntur Salomonis*. Addit Nonnote (9) contra impium quemdam qui hanc renovavit obiectionem, quod tota narratione Josephi perpensa videatur posse totum eventum circulatoriæ arti adscribi.

349. V. Quia Malefici sicuti cum volunt cantionibus Dæmones advocant ad inferendum malum aliis sibi invisis hominibus, aut eorum campis frugibus animalibus, ut supponunt plures Canones (10).

A a 2 & gra-

(1) 1. Reg. c. 16. v. 23.
(2) Ibid. v. 16.
(3) Sch. Physic. curiosa l. 4. c. 15.
(4) Lam. ubi alias. c. 29. n. 7.
(5) Jos. Antiq. l. 8. c. 2.
(6) Lam. ubi alias, c. 29. n. 6.
(7) Bel. Scri. Eccl. ar. de Salomone.
(8) Est. in 4. Sent. dis. 24. §. 12.
(9) Non. Dict. Philos. tit. Christianisme art. 6. n. 15.
(10) Can. Episcopi. Can. Nec mirum. Can. Quicumque 26. q. 5.

& graves poenæ contra illos ab ipsis Romanis Pontificibus constitutæ (1), ita etiam cum volunt dimittant: ergo non opus est Divina Virtute ad expellendos Dæmones. At omisso antecedenti *dist. conseqs* non opus est Divina virtute ad expellendos Dæmones, qui ex pacto cum maleficis alicubi supervenerint, *omitto*, secus nego *conseqm*. Expulsiones malorum spirituum, quas Evangelia commemorant factas a Christo, demonstrantur fuisse verissima miracula, & quidem secundi gradus per ea, quæ supra (n. 32.) dixi, ex quibus Christus ipse conclusit (2) *Ego in Spiritu Dei eiicio Dæmonia*.

ARTICULUS XIII.

Obiectio contra miracula Christi tamquam effectus sui temperamenti.

350. OBiicitur. Sanitas recuperata per contactum Christi Dn. tribui potest habitudini temperatissimæ ipsius corporis, & definite surditas, impotentia loquendi, & cæcitas, sanatæ infirmitates per digitos, quos Christus (3) misit in auriculas surdi, & per salivam qua tetigit linguam muti, & oculos (4) cæci potuerunt esse effectus naturales carnis & salivæ Christi. Quod confirmatur ex similibus sanationibus, quæ referuntur operatæ a quibusdam, qui *Salvatores* proinde solent appellari: ergo hujusmodi saltem sanationes non sunt miracula.

Resp. *nego ans*. Qui hæc commenti sunt, diligentissime confutantur a Michaele Medina (5), & a Thoma Campanella apud Garmannum (6), & a Bordono (7). I. quia Christus ostendit vim suam operandi miracula in iis quæ fecit sine ullo contactu, ut quando aquam in vinum transmutavit, & Lazarum a morte ad vitam revocavit. II. quia sanavit non solum sibi præsentes, sed etiam longe a se distantes, ut filium Reguli, & servum Centurionis: ergo non per temperamentum, quod postulat contactum sanantis cum sanando vel physicum, vel saltem virtualem, per medium scilicet aliquod, ut per atmospheram propriam cujusque corporis, quæ non potest fingi ad arbitrium extensa in immensam distantiam. III. quia Christus sanavit infirmos, non cum illi primum sibi facti erant propinqui, sed plerunque postquam instituerat cum ipsis, aliisque adstantibus colloquium aliquod, apertissime declarans, quod sciens & volens illis sanitatem largiretur, qui non est modus agendi virtutis, quæ

(1) Innoc. VIII. Const. 1. Summis. Et Greg. XV. Con. 46. Omnipote.
(2) Matt. c. 12. v. 28.
(3) Mar. c. 7. v. 32.
(4) Ibid. c. 8. v. 23.
(5) Med. Christ. Parænc. l. 2. c. 7. §. Nunc de his.
(6) Gar. De mirac. mortu Diss. proem. sec. 2. §. 53.
(7) Bord. De Mirac. medit. 3. n. 38.

quæ ſita ſit in naturali corporis temperamento. IV. quia vis naturalis ad aliquem effectum non communicatur naturaliter cuicumque alteri corpori, quod habeat temperamentum toto Cælo diverſum. At Chriſtus communicavit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus vim faciendi miracula, quam ipſi ſuo modo cum libuit exercuerunt. V. quia mera habitudo corporea, quæ ſit cauſa alicuius effectus, hunc producit etiam ſine precibus & invocatione Dei, & proceſſu temporis ſatis diuturno; Natura enim non operatur per ſaltum. At miracula Chriſtus fecit invocato Deo, & quando & quibus voluit, & plerunque in inſtanti. VI. tandem, quia vis qua Chriſtus ſanabat ægrotos eadem erat cum illa, per quam Lazarus quatriduanus non ſolum ad vitam rediit, ſed per novum miraculum ad eam ipſius vocem (1) *Lazare veni foras, ſtatim prodiit ligatus pedes & manus inſtitis*, quam vim nulli veniat in mentem tribuere temperamento.

351. Quod dicitur in confirmatione de quibuſdam *Salvatoribus*, reſpondeo, vel iſti repente ſanant morbos unius aut diverſi generis invocato Jeſu Chriſti nomine, & remota omni ſuperſtitione aut vana obſervantia, & tunc dicendum eos habere gratiam ſanitatum (n. 60.) quæ in Eccleſia Chriſti apud aliquos ſemper poteſt reperiri, adeoque exemplum eſt contra adverſarios: vel ſanant repente aliquem aut aliquos morbos omiſſo omni actu Religionis Catholicæ & tunc dicendum intervenire operationem Diaboli, qui poteſt morbum aliquem tollere, quem ipſe idem producat. Quare non eſt ad rem confirmatio. Si tandem non repente, ſed progreſſu temporis infirmus per iſtos homines tactu aut ſaliva adiuvetur & ſanetur, jam effectus erit naturalis, & comparandus cum iis, quos herbæ etiam & foſſilia producunt. Plura de his Salvatoribus dabunt varii auctores citati a Brancato (2), quorum aliqui, ut Victoria eoſdem condemnant, alii ut Navarrus & Azorius abſolvunt & admirantur.

352. Inſtant. Scriptum eſt, (3) *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes*: Et de muliere, quæ a profluvio ſanguinis per furtivum veſtimenti contactum ſanata fuit, legimus (4) *Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam ajebat, quis me tetigit?* Sed hæc indicant virtutem patrandi miracula fuiſſe in Chriſto a cauſa naturali dependentem: ergo.

Reſp. *conc. mai. & nego min.* Virtus in citatis locis, ut obſervant Interpretes ſignificat idem ac effectum, qui eſt miraculum. Chriſtus autem in iis patrandis reſpiciebat ægrorum fidem, Dei gloriam, animarum utilitatem, novæ Eccleſiæ ædificium, quæ omnia

(1) Joa. c. 11. v. 44.
(2) Bra. de Mirac. n. 847.
(3) Luc. c. 6. v. 19.
(4) Marc. c. 5. v. 30.

omnia habuisse locum in circumstantiis, de quibus ea quæ obiiciuntur dicta sunt ex contextu patet. Quod confirmatur ex eo, quod idem Dominus in patria sua, (1) *non poterat virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*, quia ut immediate legitur, *mirabatur propter incredulitatem eorum*, qui non solum eum non credebant, neque venerabantur ut Messiam, sed (2) *scandalizabantur in illo* eum contemnentes. Proinde pro regula quam Divina Providentia videtur servare, ut potentiam suam non exerceat in miraculis coram incredulis, signa in patria sua non fecit. Atque hinc quam præposterus sit recursus ad temperamentum corporis pro causa miraculorum Christi luculentissime innotescit, cum regio in qua quis natus sit omnium maxime faveat temperamento.

ARTICULUS XIV.

Obiectiones contra miracula Christi tamquam effectus naturales.

353. I. OBiicitur. Omnes febrientes & paralytici possunt per caussas naturales etiam repente convalescere: ergo hujus saltem generis miracula nulla sunt. Ans probatur. Schenckius (3) refert hominem a multis jam annis immotum propter paralysim in una sui corporis parte per incendium in ejus domo excitatum convaluisse, dum ex metu conatus est fugere, & e summo ædium in viam se præcipitem dedit. Horstius (4) author est irrumpentibus de nocte hostibus in Niorti urbem, paralyticum a tribus jam annis decumbentem e vestigio prosiluisse, ut in hostes cum aliis irrueret, quod feliciter successit. Diemerbroeck (5) testatur paralyticam brachiis & crure sinistro a triginta jam annis motum subito & firmitatem recuperasse ex concepto horrore ad fragorem plusquam ingentem delapsi per noctem fulminis. Muratorius (6) narrat mulierem a medicis conclamatam ut proximam morti propter vehementem & diuturnam febrim, brevi naturaliter convaluisse ex vehementi terrore, qui illam invasit videns de nocte incendium proximæ domus, quo ita fuit commota, ut e lecto exiverit, & reptans manibus pedibusque longius a periculo abierit.

354. Resp *nego ans.* Exempla ad ejus probationem allata omitto. Nam non infertur ex illis propositum. I. quia habent singulares authores, quorum nullus testem se dicit de visu, immo aliquis in aliorum fide id profitetur se narrare: & aliunde parum vel nihil probabi-

(1) Ibid. c. 6. v. 5.
(2) Ibid. c. 6. v. 7.
(3) Sch. Observ. l. 1. de Paralysi.
(4) Hor. Consil l. 3.
(5) Die. Anatom. l. 8. c. 1. de Nervis
(6) Mur. Filos. mora. c. 6.

bilitatis habent. Admittitur quidem a Medicis, quod per animi affectus vehementes, metus maxime & iræ repentina fieri possit alteratio humorum, & spirituum animalium, quam salutares aliquando effectus consequantur: sed quod in his sit subita & completa valetudo maxime a morbis diuturnis & confirmatis nescio quisnam ex cordatis Physicis unquam dixerit. Verum quicquid de hoc sit, hoc certum est illa quæ inter miracula numerantur, talia esse sine controversia propter authoritatem Divinam, si sermo sit de iis, quorum Scriptura meminit, vel auctoritatem omni exceptione majorem, si de aliis. II. quia cum in obiectis non inveniantur omnia attributa, per quæ distinguuntur miracula vera ab apparentibus aut falsis juxta definitionem miraculi jam stabilitam, ultro damus ea non esse miraculis adscribenda, & ex contraria caussâ in his cætera numeramus. III. quia naturales caussæ propositæ earum admirabilium sanationum, quæ certe non sunt receptæ nec usitatæ a Medicis non intercesserunt in iis quas Christus & Sancti peregerunt. In his enim aliud non invenimus, quam infirmorum preces & animum in ipsis pacatum, & ad fiduciam non ad terrorem aut iracundiam compositum.

355. II. Obiicitur ab Incredulis apud Lambertinum (1) Quæ creduntur miracula sunt effectus extraordinarii, qui vi legum generalium cum extituri sint certo tempore, ii qui hanc notitiam aliquo modo habeant vel a sua singulari perspicacia, vel ab illa Dæmonis, ea abutuntur ad exhibendos se tamquam illorum caussas: ergo non constat ulla esse miracula.

Resp. *nego ans*, utpote continens hypotheses evidenter insulsas, cujusmodi sunt cæcum a nativitate vi legum generalium, quibus Auctor naturæ rerum materialium universitatem moderatur, debuisse visum recuperare eo instanti, quo videre petiit a Christo, etiamsi id non postulasset: & Lazarum redivivum e sepulcro debuisse prodire, quamvis Christus ipsum non evocasset: & Apostolos adeo Domini amantes habuisse commercium cum Diabolo, aut quamvis nullis disciplinis excultos eo fuisse ingenio, ut hæc naturæ mysteria præstantissimis philosophis nunquam nota cognoverint simul cum momento temporis quo erumperent, & ad aliorum deceptionem hujusmodi cognitione fuerint abusi. Hæ hypotheses præter insipientiam includunt summam impietatem, quippe faciunt Christum Dñum & Sanctos impostores, quandoquidem Dominus per potestatem sibi divinitus traditam (2) & Apostoli per illam sibi a Do-

(1) Lam. ubi alias.

(2) Matt. c. 28. v. 18.

a Domino communicatam (1), & in ejus nomine (2) miracula dicebant se efficere.

356. III. Obiicitur a J. J. Rousseau apud Bergierium (3). Quæ Christus Dñus effecit singularia & insolita, ab ignorantibus spectatoribus credita fuerunt miracula, cum non essent nisi effectus per media naturalia, quæ ipse Divino lumine supra cæteros illustratus poterat adhibere. De hoc habemus quoddam quasi exemplum in arte nostris temporibus inventa restituendi vitam submersis. Fortasse eamdem olim recuperabunt, qui alio genere morbi quotidie moriuntur, per arcanum aliquod, quod industria humana aut studium bonæ physices aut exercitatio in Chymicis tandem excudet.

Resp. *nego assumptum*, quod cum vix distet a superiori obiectione, eodem modo ipsius falsitas demonstratur, & hoc præterea, quod contradicat apertis ipsius Dni testimoniis, cujusmodi sunt, quando in digito Dei eiicere se Dæmonia professus est, quando eadem virtute a se paralyticum sanari dixit, qua ejusdem peccata remiserat, quæ certe non erat naturalis. Quod dicitur de arte restituendi vitam submersis, continet abusum cujusdam hyperbolicæ loquutionis, qua solus incredulus abuti potuit. Ars enim in eo tota consistit, quod quibusdam opportunis adjumentis recenter excogitatis respirationis officium ex submersione attenuatum quidem ita ut insensibile etiam evaserit, non tamen omnino nullum, restituatur ad pristinam frequentiam & intensionem. Animi igitur deliquium est non mors, quod ab his suffocatis nova arte tollitur, quemadmodum communiora deliquia, in quibus homines mortui apparent sine motu & sine sensu, suis artibus vulgo ipsi cognitis, frequenter expelluntur.

ARTICULUS XV.

Aliæ obiectiones contra miracula Christi.

357. I. Obiicitur. Aliqua ab Evangelistis narrata de Christo miracula sunt ridicula, ut potestas data Dæmoniis ab homine expulsis (4) sues invadendi. Quod J. J. Rousseau commemorans exclamat apud Nonnotem, (5), *Haccine sunt argumenta missionis Christi. Mihi quidem ita mens perturbatur, ut nihil jam intelligam. Amens est, qui hoc credat*. Et alius nescio quis apud eumdem (6), & Bergierium (7) fassus est hujusmodi miraculum, & ea quæ jam subiiciam, videri dubia. Alia itaque sunt levia ut fici ar-

(1) Ioa. c. 14. v. 12.
(2) Luc. c. 10. v. 17.
(3) Ber. Deisme refut. Lett. 12.
(4) Matt. c. 8.
(5) Non. Dicti. art. Mirac. entr. 2. in fine
(6) Ibid. tit. Christianisme ar. 6. n. 5.
(7) Ber. Apolo. p. 4. tit. Christianisme pag. 172.

arborem arefacere (1): Alia sunt sine ulla apparenti culpa damnosa possessoribus, ut patet in exemplis suum & ficulneæ: Alia sunt Deo indigna, ut aquam commutare in vinum pro convivis, qui in Cana Galilææ jam ebrii dicuntur: ergo hæc miracula somnia sunt Evangelistarum, vel eorum a quibus ipsi rudes & imperiti decepti fuerunt.

Resp. *nego ant*. Quod pertinet ad duo prima miracula, S. Jo. Chrysostomus (2) putat Christum, quia omnibus beneficus erat voluisse in brutis & plantis præbere argumentum vis suæ, qua malos punire posset, & aliquando tandem puniet, sicut fecit cum Synagoga designata juxta Interpretes in ficu arefacta, quam a se repulit, quia bonorum operum fructus non ferebat. Qui autem ulteriores rationes inquirat, S. Doctor a se reiicit tamquam moventes quæstiones nugacissimas. Illis quæ dicunt de damno injusto possessorum, reponit S Thomas, (3) *Non facit creator injuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem*. Hoc salutis studium videt Bergierius (4) in subita & generali ruina immundi gregis facta per invasionem Dæmonum, ut scilicet existentiam Spirituum hoc modo sensibilem redderet Sadducæis, qui rari in Judæa non erant, & aperte eam negabant; Neque enim hunc eventum eodem tempore in tam multis bestiis explicarent, sicuti alias solebant actiones unius aut alterius Dæmoniaci, per vim morbi cujusdam particularis, aut perturbatæ imaginationis, vel per simulationem.

358. Adde esse apud Maldonatum (5), qui existimant possessores porcorum fuisse Judæos, qui iis contra legem uterentur, eorumque jactura propterea punitos. Ficus autem dicitur fuisse *secus viam*. Quare fortasse nemo privatus erat ipsius possessor. Citati increduli exclamatio videtur mihi respondere illi Dæmonum, (6) *Quid nobis & tibi Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*. Sed quis hominem curet, qui fatetur sibi de miraculis cogitanti mentem perturbari. Quod plane confirmat, ubi (7) ea excludit a miraculis, quæ dicuntur facta in compitis in desertis in cubiculis tamquam Deo indigna, quorum ceteroqui plura Jesus Christus juxta Evangelia perfecit.

359. Ad tertium sunt qui dicunt vocabulum inebriari in Scriptura non semper intemperantiam significare. Alii melius negant in Evangelio haberi, quod convivæ Canæ ebrii fuerint, sed solum di-

(1) Matt. c. 21. v. 19.
(2) Chr. hom. 67. alias. 68. in Matt.
(3) S Tho. 3. p. q. 44. ar. 4. ad 2.
(4) Ber. Deisme refut. Lett. 12. Edit. 3.
(5) Mal. in Mat. c. 8. v. 30.
(6) Matt. c. 8. v. 29.
(7) Rou. Emil. to. 3.

ci observant in more esse, quod vinum deterius apponatur post bonum, quod largius epotum potest inebriare. Quamvis negato antecedenti nulla sit consequentia, nihilominus juvat advertere in ea contineri quamdam adversariorum contradictionem; Nam si credunt Evangelistas & universim Christi discipulos fuisse rudes homines & vix sensu communi praeditos, jam credant necesse est a Deo Authore esse Evangelium, opus doctrinae admirabilis, quam tota Philosophorum natio numquam excudit. Sin evangelium habeant pro opere & inventione discipulorum, jam concedunt non semper fuisse rudes & imperitos, sed, sublimi mente sapientia & eloquentia fuisse aliquando divinitus instructos, prout Scriptura narrat evenisse per acceptum ab ipsis Spiritum Sanctum.

360. II. Obiicitur. Non persuasit Christus miraculis, quae ipsi tribuuntur, suam missionem & Divinitatem, immo ne obtinuit quidem ut vitae suae parcerent, aut saltem ne modo omnium maxime probroso ipsam sibi eriperent. Ergo haec miracula vel nulla sunt, vel longe pauciora ac tenuiora, quam praedicantur.

Resp *dist. ans*. Non persuasit Pharisaeis & Magistratibus Judaeorum, *conc. ans*: nullis Judaeorum persuasit, *nego ans & conseqm*. Hoc secundum dici non potest, quia habemus, quod (1) *Multi ex Judais, qui viderant, quae fecit Jesus, crediderunt in eum*. Restat illud primum, quod verum est & praedictum jam ab Isaia, ut notat idem Evangelium (2). Consequentia interea nulla est. Nam omnia scelera habent hoc, ut sint contra rationem, a qua magis vel minus distant pro majori vel minori ipsorum gravitate. Haec numquam homines nisi a prava aliqua cupiditate inflammati committunt, quae quam vehemens esse possit quotidie videmus in tot sceleratis, qui numquam desunt. Quae Judaeos contra Christum armavit quamvis certos de ipsius sanctitate & testes de visu ipsius miraculorum, fuit invidia de ipsius gloria, & hinc timor ne ipsi & tota respublica propterea splendorem suum amitterent, (3) *Quid facimus*, inquit ipsorum concilium post Lazarum resuscitatum, miraculum praeclarissimum, *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem*. Ab illa (4) *ergo die cogitaverunt ut interficerent eum*.

361. Hoc exemplum satis debuerat esse ne Freretus diceret infidelitatem Judaeorum, qui dicuntur vidisse Christi miracula esse argumentum magni ponderis contra eorumdem veritatem, & ne in rem

(1) Jo. c. 11. v. 45.
(2) Ibid. c. 12. v. 37.
(3) Ibid. c. 11. v. 47.
(4) Ibid. v. 53.

rem suam adduceret simile Calvinistæ Jurei argumentum a Bayle(1) jam explosum, quo fabulam conclusit esse miraculum de manu restituta a B. Virgine S. Jo. Damasceno, quia Damascus Mahometi Religionem in Christianam non mutavit. Mali scilicet ratiocinatores, ut jam advertit Bergierius (2), qui contra primas naturalis Dialecticæ regulas unum non distinguunt ab altero, & certitudinem miraculorum cum professione Religionis, in qua vel pro qua ea fiunt, confundunt.

PROPOSITIO III.

Miracula tam Judaicæ Religionis, quæ in veteri, quam Christianæ, quæ in novo Testamento referuntur non habent exemplum apud Ethnicos.

362. HAnc propositionem necessariam reddunt, qui ex miraculis quæ Ethnicorum libri apud se contigisse referunt, & quæ communiter jam habentur pro falsis & fictis, occasionem sumunt dubitandi, primo quidem de veritate etiam miraculorum Scripturæ, quibus similia dicunt occurrere apud Ethnicos, & deinde ex pari ratione de aliis omnibus. quin immo quidam citati a Bergierio (2) aperte scribunt nostra ætate, veros Philosophos Græcos atque Romanos Christianis jactantibus miracula pro sua religione numquam non respondisse, ea esse imitationes præstigiarum, quæ ipsi de suis Diis narrabant. Quare dicebant, sicuti nos olim fuimus impostores, ita & vos nunc estis.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

363. PRobatur propositio. Miracula Judaicæ Religionis alia sunt, quæ ad illam fundandam & stabiliendam facta fuerunt, alia quæ ea jam constituta acciderunt quasi ad ipsam amplificandam & conservandam. Sed neutra habent exemplum apud Ethnicam, aut aliam quamcumque ex Religionibus vulgo jam cognitis tamquam falsis: Non prima; Nulla enim religio præter Judaicam & Christianam habet miracula quæ jactet pro sui fundamento & origine: Non secunda; Nam nulla pariter aliarum religionum

 est,

(1) Ba. Dict. art. Damascene.
(2) Ber. Confu. dell' esam. c. 3. n. 5.
(2) Id. Apolog. c. 3. n. 9.

est, quæ in iis miraculis quæ pro se proponit, exhibeat eos de ipsorum veritate characteres, quibus credibilia prudenter reddantur, aut quos pro suis Judaica profert Religio. Ergo miracula Judaicæ Religionis non habent exemplum in ulla ex Religionibus certo falsis.

Quod pertinet ad miracula Religionis Christianæ, quæ in Novo Testamento referuntur idem argumentum sic distinctius expono. Miracula Religionis Christianæ pertinent ad ipsius fundamentum & erectionem, ad agnitionem Dei adducunt, quem persuadent unum esse in Natura, & trinum in Personis, & ex his secundam assumpsisse naturam humanam in unum compositum theandricum, & hoc esse ipsummet Christum miraculorum effectorem: (1) Ad hoc, sic S. Leo, *discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, ut idem Christus, & Unigenitus Dei, & hominis filius crederetur.* Hæc præseferunt Divinam virtutem vel in re vel in modo, & Dei cultum & amorem inspirant, ejusque divinas perfectiones declarant, Omnipotentiam in restitutione vitæ etiam extinctæ, & organorum atque membrorum, quæ jam destructa fuerunt, Magnificentiam & Liberalitatem in eorum multitudine & amplitudine late se extendente, Bonitatem in significatione ineffabilis benevolentiæ qua in hominum bonum hæc largiebatur, Sanctitatem in optimis morum documentis, quæ plerunque tunc dabat. Hæc coram multitudine peracta narrantur a testibus de visu, etsi diverso ordine a diversis, ab his brevius & obscurius, & ab illis prolixius aut clarius, ut videas diversitatem simul & consensum scriptorum. Eadem post se reliquerunt perpetua de sui veritate monumenta. Iisdem nemo suo tempore obiecit falsitatem aut mendacium, aut vim ex medicamentis applicatis, sed omnes fassi sunt esse effectus Divinæ Potentiæ. Eadem inveniuntur distinctius prænunciata a pluribus prophetis usque ab antiquissimis temporibus, quorum scripta, in quibus Veteris Testamenti magna pars consistit, Divina Providentia factum est, ut ex quacumque rerum vicissitudine semper extarent. Eadem tandem jam tunc perquammultis, deinceps vero omnibus per universam terram dispersis gentibus persuaserunt, in Christo adorandum esse Deum hominem, promissum humani generis reparatorem, non merum hominem aut medicamentornm inventorem, ejusque legem & doctrinam opus esse recipere, & usque ad vitæ & sanguinis profusionem servare & tueri, quemadmodum quovis tempore innumerabiles fecerunt.

364. Nihil simile habent Ethnicorum historiæ, a quibus nulla miracula referuntur facta ad suam Idololatriam, aut falsam religionem erigendam & nulla habent pro se tam validam authoritatem, cui

(1) S. Leo Serm. de Transfigur.

cui nefas sit non acquiescere, (1) *Non habemus necesse*, dixit jam S. Augustinus, *omnia credere, quæ historia continet gentium*, scilicet quia non fundantur in testimoniis, de quibus sufficienter nota sit scientia & veracitas; Plerumque enim narrantur juxta rumorem, qui per vulgus increbuit, quin inventus aut quæsitus fuerit legitimus testis de visu. & siqua sint quæ quis contendat omnino admitti debere propter sufficiens de illorum veritate fundamentum, videntur esse vel præmium alicujus virtutis moralis vel alicujus sceleris vindicta, quo modo juxta S. Thomam non repugnat esse vera miracula a Deo ipso patrata, vel sunt manifeste intra sphæram virtutis Dæmoniorum, cum consistant in locali motione, aut in liberatione a morbis, qui vel naturaliter curari poterant vel ab ipsis Dæmoniis latenter ad hanc deceptionem inducti fuerant, aut in præstigiis brevi evanescentibus, aut in flexiloquis rerum futurarum enunciationibus. *Non potes* dicebat Celso Origenes (2) *proferre multitudinem Græcorum Barbarorumque credentium Aesculapio*, & infra (3) *Non potes dicere quid utilitatis humano generi provenisset ex istis, quæ tibi videntur tam mirifica: nos autem dum res Jesu enarramus, non vulgares rationes afferimus, Deum voluisse per Jesum salutarem doctrinam hominibus instituere.* (4) *Quid prodest*, respondebant Ethnicis Arnobius, & Tertullianus (5) *unum aut alterum ostendere fortasse curatos ab Aesculapio*. Desipere dicebat S. Augustinus Ethnicos, qui (6) eo quod sensibus eorum Dæmones quædam stupenda monstrarent, non eligerent quæ sectarentur vera miracula, quæ Deus *ad commendanda eloquia veritatis suæ per immortales nuncios fecit majora, certiora, clariora*. Et S Franciscus Salesius (7) excusandos censuit Incredulos, si nullum aliud miraculum audirent de Christo Dn., quam mutasse aquam in vinum, & dixisse Samaritanæ, (8) *quinque viros habuisti & nunc quem habes, non est tuus vir*. At quis illos non coarguat atque condemnet, postquam noverunt claudos confirmatos, leprosos mundatos, cæcos a nativitate illuminatos, Dæmonia expulsa, mortuos ad vitam revocatos, prænunciata futura quæ a libertate Dei vel hominum dependent, mortuos ad vitam revocatos, & alia multa ab ipso, & etiam ab aliis in ejus nomine aliquando per imperium aliquando per solum actum internum aut desiderium peracta? Concludam igitur etiam miracula Christianæ religionis non habere exemplum in ulla ex religionibus certo falsis.

Ulterior probatio est solutio eorum, quæ obiiciuntur, in quibus

(1) S. Aug. de Civi. l. 21. c. 6.
(2) Orig. l. 3. c. Cels. n. 127.
(3) Id. ibid. n. 131.
(4) Arn. l. 1. con. Gent. c. 17.
(5) Ter. Apolog. c. 25.
(6) S. Aug. de Civ. l. 10. c. 16.
(7) Jo. c. 4. v. 18.
(8) S. Fra. Disc. di Controv. p. 4. dis. 9

bus tamen non meminero neque de admirandis magorum Pharaonis operationibus, neque de illis Antichristi, quia utrisque supra (n. 151.) jam satisfactum est.

Articulus I.

Obiectio pro redivivis etiam apud Ethnicos.

365. Obiicitur. Historiæ Ethnicorum referunt plures mortuos ad vitam revocatos: ergo revocatio mortuorum ad vitam, quæ celebratur tamquam miraculum in utroque Testamento habet exemplum apud Ethnicos.

Antecedens probatur. Plato de Ero quodam Armenio, genere Phamphylio, profitens se non apologum narrare, sed historiam dicit (1) *quod cum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaveribus cæteris jam corruptis integer incorrupto corpore repertus fuit, domumque delatus ut sepeliretur: duodecima ab obitu die, dum pyræ impositus esset, revixit, & quæ interim viderat retulit.* Aliam huic similem historiam retulit deinde Plutarchus de Thespesio Solensi, cui redivivo tribuit luculenter loquutum fuisse de pœnis Inferni & Purgatorii. De prima meminit etiam S. Augustinus (2): de utraque Fortunius Licetus contendens (3) nullam in iis esse falsitatem aut fictionem.

Apollonius Thyanæus teste Philostrato coram Domitiano Cæsare mortuam puellam dum ad sepulturam deferretur ad vitam revocavit. Plinius (4) Gabienum nominat fortissimum militem bello Siculo relictum in litore toto die, capite ferme reciso protinus revixisse, & Sexto Pompeio futura quædam prænunciasse, quo facto iterum animam eflavit.

Aelianus tandem ex Hyppide Rhegino refert (5) mulierculam ad vitam revocatam ab Aesculapio Epidauri, quo se contulerat, ut ab eo sanaretur ab infirmitate vermium, quam medicorum ars non poterat depellere. Sed cum forte tunc abesset Aesculapius, ejus ministri curam suscipientes illam occiderunt; Nam capite ipsi abscisso, ut manibus ex cavo corporis lumbricum quem habebat ingentem abstraherent, non potuerunt amplius caput corpori connectere, quemadmodum posse se facere existimaverant. At superveniens tandem Aesculapius, quod illi non potuerunt, ipse facillime perfecit, & plenam vita ac sanitate feminam dimisit.

366. Resp. *conc. ant & nego conseqm.* Admitto enim reditum ad

(1) Pla. l. 10 de Rep sub finem
(2) S. Aug. de civ. l. 22. c. 28.
(3) Lic. de sexto quæsitis per epist.
(4) Pli. Nat. Hist. l. 7. c. 52.
(5) Ael. de animali. l. 9. c. 33.

ad vitam esse miraculum præclarissimum, & superare vim omnem creatam juxta axioma communiter receptum quod a privatione ad habitum non datur per naturæ vires regressus. Sed nego dici posse de mortuorum excitationibus relatis in Sacra Scriptura, quod dicitur de iis, quæ ex Ethnicis producuntur. Quicumque etiam incredulus illa Bibliorum legat aut audiat, non dicit ipsam eorum narrationem & expositionem præseferre fictionem, quemadmodum de secundis statim dicitur jure omnium optimo ut sigillatim adducta exempla considerando planum erit.

Ad primum enim de Platone. Talia Erus fusissime narrat, ut ex illis solis apologus plusquam manifeste eluceat, quem Justinus Philosophus Platonicus, & deinde Martyr Christianus (1) credit excogitatum a Platone ad insinuandam doctrinam de felicitate bonorum, & rursus malorum calamitate in alia, quæ nos manet vita, haustam a Prophetis, utpote summopere utilem ad continendos homines in officio, quam cum nollet aperte fateri *Græcorum invidia deterritus, descripsit tamquam a quodam, sicuti ei fingere visum est, audivisset*. Nec quod ille neget se fingere, vim ullam habet, postquam ipsius dogma fuit, (2) *licere mentiri ad communem utilitatem*. Idem dico de exemplo Plutarchi. Atque in utroque illud animadverto argumentum falsitatis ac dissimilitudinis a mortuis suscitatis Bibliorum, quod hi Ethnici gratis quodammodo vel sponte reviviscunt; Nemo enim est qui illorum interitum lamentetur, nullus qui pro eorum vita intercedat, eam aut postulans aut largiens, nullæ tandem apparent neque caussæ neque circumstantiæ tanti miraculi, quæ de illis Sacrarum literarum referuntur. Liceto qui has narrationes approbavit tamquam veras, oppono magni nominis Auctores, quos præter Justinum contra Licetum produxit Lambertinus (3)

367. De iis quæ Philostratus narrat de Apollonio, quantum curandum sit, patebit inferius. Sed quod pertinet ad relatum puellæ miraculum Eusebius e verbis ipsis Philostrati colligit illum non dicere, quod mortua cum esset revixerit, sed quod cum mortuæ similis esset (4) *dum efferretur, irrorante pluvia excitata fuit*, idemque concludit Buffierius (5) ex aliis verbis, quæ leguntur in ea narratione.

Venio ad Plinium. Ex sola ipsius narratione apparet in ea haberi stratagema Pompejanorum ad erigendos militum animos, qui ex acceptis cladibus concidere debuerant, quandoquidem Gabienus jus[-]

(1) S. Jus. Paræn. ad Genti.
(2) Pla. de Rep. dial. 3. sub initi.
(3) Lam. de Beatif. li. 4. p. 1. c. 21. n. 3.
(4) Eus. con. Hierocl. l. 6.
(5) Buf. Preuv. de la relig. n. 415.

jussu Deorum dicitur rediisse ad vitam ut annunciaret futuram victoriam ex parte Pompeii, utpote quæ a Diis justa esset judicata, quod notum est non evenisse. De aliis, quæ idem Plinius congerit dici debet, quod nemo ipsorum, qui dicuntur revixisse, mortuus revera fuit, sed syncope aliqua vehementissima correptus creditus fuit mortuus, & casu aliquo ut ex igne admoto ad cadaver comburendum ad sensus revocatus. Hoc ipse Plinius videtur satis aperte dicere, idemque non ita raro accidere notum est, & pluribus declarat Michael Medina ad hæc ipsa exempla (1) respondens.

Ultimum de Aesculapio tam frigide & stolide confictum est, ut mirari non desinat Author E. Vv. (2) quonam modo non puduerit Stillingfleetum tam insulsam fabulam adhibere pro seria obiectione contra miracula, quæ Catholici narrant, præsertim cum habeamus Lucianum inter Ethnicos (3), qui medicum agnovit in Aesculapio, non Deum. Aliæ anastases, quæ obiectis adiici possent confictæ ab Ethnicis referuntur & confutantur prolixe a Daniele Huetio (4), & breviter a Csapodio, (5)

ARTICULUS III.

Obiectio pro miraculis apud Ethnicos similibus illi Christi Dni.

368. OBiicitur. Miracula similia illis, quæ dicuntur habita esse per Christum referuntur habita etiam per Ethnicos. Aliis omissis assumptum probant ipsi Patres, qui Ethnicis suorum Deorum præsertim Aesculapii miracula opponentibus contra illa, quæ de Christo prædicabantur, non responderunt omnia Deorum miracula esse fabulas, sed superari ab illis Christi numero certitudine & claritate. Probant etiam quæ Tacitus (6) & Suetonius (7) narrant de Vespasiano, quod Alexandriæ salutatus Imperator reddiderit cæco visum resperfis oculis sputo, & alteri manum ægram pedis pressione confirmaverit, ita ut hæc miracula induxerint aliquos Judæorum in opinionem quod Vespasianus esset Messias.

Probant iterum multa, quæ Philostratus refert patrata ab Apollonio Thyaneo, sic appellato a Thiana pago quodam Cappadociæ, qui extitit primo Ecclesiæ sæculo, & cui divinos honores habuerunt Alexander Imperator, aliæque gentes referentibus Lactantio, Lampri-

(1) Med. Christ. paræn. l. 2. c. 7.
(2) E. Vv. A discou. of mirac. c. 16. n. 18.
(3) Luc. Philopseud.
(4) Hue. Demon. Evang. prop. 9.
(5) Csa. Relig. revel. l. 1, n. 125.
(6) Taci. Hist. l. 4.
(7) Sue. Vespas. c. 7.

pridio, aliisque. Nec Philostrati authoritas contemni potest, postquam recentius Cudvvorthius (1) de illo praeclare sensit, & Gulielmus Fleetvvodus non audet ejus narrationes falsitatis accusare. Probant tandem, quae apud Gruterum (2) Graece leguntur insculpta in tabula marmorea reperta in insula Tyberina, quae proinde videtur spectasse ad templum Aesculapii, de duobus caecis ab hoc Idolo illuminatis, & de altero a vomitu sanguinis, altero a contumaci lateris dolore liberatis.

369. Hanc objectionem ex ea parte, in qua miracula Christi cum iis comparantur, quae de Aesculapio Ethnici praedicabant, ab ipsis Ethnicis habemus teste S. Justino (3), Arnobio (4), aliisque Christianae Religionis propugnatoribus: ex ea vero parte, in qua haec comparatio instituitur cum miraculis Apollonio attributis, primus protulit Hierocles Aegypti praefectus, quem brevi refutavit Lactantius (5), & ex professo Eusebius Cesariensis. Hieroclem imitati videntur aliqui tempore S. Augustini; Nam haec apud illum lego, (6) *Quis vel risu dignum non putet, quod Apollonium & Apulejum caterosque magicarum artium peritissimos conferre Christo vel etiam praferre conantur*. Recentius huic impietati palam subscripserunt praeter Vvoolstonum & Humem Carolus Blount famosus blasphemus, de quo loquuntur Morerius (7), & Chauffepieus (8), & alii, in quibus videmus renovatam stultitiam Philisthiim, qui (9) *arcam Dei statuerunt juxta Dagon*.

Resp. *nego ans*. Ad id, quod obiicitur de Patribus, qui concesserunt Ethnicis aliqua saltem apud illos extitisse a sui Diis miracula, dico ipsos in hac concessione sequutos fuisse definitionem miraculi, quae dicit esse effectum, qui excedit humanam facultatem, quod est juxta S. Thomam sumere (10) *miraculum large*. Hoc modo dicebat Origenes Celso praedicanti miracula Aesculapii, (11) *Concedamus medicum Damonem aliquem curare morbos corporum, qui vocatur Aesculapius*: Et S. Augustinus (12) arti magicae tribuit mira Apollonii, quando quis velit haec concedi, quae ceteroqui inquit alibi (13) *nullo fideli Auctore jactitant*, eodemque modo jam antea loquutus fuerat Eusebius Cesariensis scribens contra Hieroclem, *si ve-*

(1) Cud. Syst. intellec. c. 4.
(2) Gen. Inscri. cum annot. Grev. t. 1. pag. 71.
(3) S. Just. Apol. 1. n. 30. Et dial. cum Triph. c. 12.
(4) Arn. l. 1. c Gent.
(5) Lac. Div Inst. l. 5. c. 3.
(6) S. Aug. Epi. ad Marcellin.
(7) Mor. Dict. ar. Blount
(8) Chan. Suppl. an. Dict. du Bayle. art. Blount.
(9) 1. Reg. c. 5.
(10) S. Tho. 1. p; q. 114. ar. 4. o.
(11) Ori. l. 1. c. Cels. n. 128.
(12) S. Aug. epis. ad Marcellin.
(13) Id. epis. ad Volusian.

vera esse quæ Philostratus narrat concedamus, non alia tamen ratione, quam Dæmonis auxilio atque opera facta esse constabit.

Revocata igitur significatione miraculi ad definitionem jam stabilitam, quæ negat esse miraculum quicquid creatura suis viribus naturalibus efficiat, jam nulla esse possunt apud Ethnicos ab ipsorum Diis spiritibus nequam miracula, (1) *Sciendum est*, sic S. Thomas, *quod etiamsi Dæmones subito sanarent, non esset miraculum, ex quo id agerent mediante naturali virtute.*

370. Quod si instent, illa saltem, quæ pro miraculis habebantur apud Ethnicos, similia erant miraculis Christi, & ipsum S. Augustinum fateri (2) *magicis artibus fieri miracula plerumque similia illis, quæ fiunt per Servos Dei.* Resp. similia esse prima specie, quam confusa & generica illorum narratio puta cæci, claudi, aut alterius infirmi sanati ingerit, & in hoc sensu loqui S. Augustinum, ut S. Thomas (3) docet: at postquam omnia & singula in particulari quis considerat, & in nullis invenit characteres neque intrinsecos neque exrinsecos miraculi, jam dissimilia dicit, & nullo modo cum miraculis Christi comparanda.

371. Quod pertinet ad miracula Vespasiani imprimis non conveniunt inter se Tacitus & Suetonius. Hic crure debilem, ille manu ægrum dicit sanatum, *Manu æger*, sic Tacitus, *Serapide auctore ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur orabat*, apud Suetonium autem orabat, quia Serapis per quietem ipsi nunciaverat *confirmaturum crus si dignaretur calce contigere*. Deinde ipse Tacitus pro mendaciis habet has narrationes. Alii postea diligentius de iisdem inquirentes, ut Csapodius (4) plures fraudis characteres in tota hac narratione proferunt, adulationem ex parte Alexandrinorum ad obtinendam vectigalium imminutionem, indulgentiam ad hanc simulationem ex parte Vespasiani ad stabiliendum imperium, quod recenter adierat, mendacia Sacerdotum Serapidis a Ruffino (5) exagitata, qui Imperatori huic fictioni repugnantem ad eamdem induxerunt fingentes ipsum Serapidem jussisse ægros illos ab eo sanitatem postulare. Alii ut Menochius (6), & Pichler (7) de præstigiis Dæmonis suspicantur, quatenus organa oculorum, & manus vel cruris ceteroquin integra reliquerit expedita ad suas actiones ad quas Deo permittente antea impedierat, qua ratione sanati proprie non fuerunt nec cæcus nec claudus aut mancus, quasi alter visum jam deperditum, alter nervos cruris vel manus jam recisos vel dissolutos recu-

(1) S. Tho. de Poten. q. 6. de Mirac. ar. 5.
(2) S. Au. l. 83. qu.
(3) S. Tho. 1. p. q. 114. ar. 4.
(4) Csa. Rel. revel. l. 1. n. 135.
(5) Ruff. Hist. Eccl. l. 2. c. 23.
(6) Men. Stuor. p. 2. centu. 4. c. 12.
(7) Pich. Theol. polem. p. 1. controv. 3. ar. 4. n. 27.

recuperaverint, sed liberati solum ab appositis per ipsum Dæmonem impedimentis. Baronius tandem ad annum Christi septuagesimum primum suadet omnia ex integro conficta fuisse vel studio Apollonii Thyanæi, qui eo tempore Alexandriæ commorabatur, vel malitia Judæorum, qui adulari Vespasiano voluerunt tamquam Messiæ, qui tunc advenerit, eidem applicando, quæ ex Scripturis noverant prædicta esse de Christo Dn., & quæ viderant contigisse in vero Christo, quem ipsi pro sua perfidia noluerunt recipere. Idem censuit Fleetvvodus apud Trevoltianos (1), & Campbell (2), qui nequitiam Humes ostendit in exaggerandis, & etiam fingendis argumentis, quibus hæ Vespasiani sanationes veræ possint apparere, ut quoniam nemo easdem jam non contemnit tamquam ridicula commenta facilius persuadeat juxta suum propositum contemptum universalem miraculorum omnium quorumcumque.

372. Sed horum consilium nemo qui sapiat non solum impium, sed etiam stultum jam agnoscit. Nam commemorare hæc Vespasiani miracula est novum argumentum pro veritate miraculorum Christi afferre. Ista enim curnam conficta sunt ab ipso primo Ecclesiæ sæculo, nisi ad elevanda miracula Christi: ergo hæc erant communiter tunc cognita, & admissa ut vera. Eodem modo concluditur Deistas confirmare veritatem de existentia cujusvis miraculorum speciei, quæ a Catholicis pro Religione revelata producuntur, dum credunt eorumdem falsitatem a se demonstrari per ea quæ Gentes apud se similiter narrant contigisse habita jam ab ipsis Christianis pro vanis imaginationibus & erroribus popularibus; Non enim venit in mentem imaginari aut fingere revelationes sanationes apparitiones & alia diversi generis miracula, nisi quia extiterunt vera in singulis miracula. Itaque veræ historiæ plerumque fabulosas præcedunt, & errores populares ex aliqua veritate communiter nasci plures jam observarunt, quos sequitur Bergierius (3).

373. Quod pertinet ad Apollonii miracula, ea vulgo jam reputantur aliqua quidem mera mendacia Philostrati, quibus authoritatem conciliare conatus est dicens eruta a se esse ex commentariis numquam pervulgatis ignotorum scriptorum Maximi, Metagenis, & Damidis: alia vero esse effectus productos per applicationem caussarum, quas ipse Apollonius Sophista & Medicus noverat, vulgo interea eas ignorante: alia demum esse opera Dæmonum, quæ manifeste ipsorum vim non superabant, cujusmodi fuerunt juxta Anastasium Sinaitam (4) avertere bestias quadrupedes & volucres, quæ possunt homines lædere, & alia quæ sunt ad perniciem & interitum homi-

(1) Trev. an. 1703. ar. 189. pag. 2012.
(2) Cam. Diss. on mirac. p. 2. sec. 4.
(3) Ber. Confut. dell' esa. c. 5. n. 3.
(4) Ana. in Bibli. PP.

hominum, quæ *non solum in vita ejus per ipsum fecerunt Dæmones, sed etiam post ejus mortem*: & juxta Eusebium qui singula percurrit, (1) *cuncta illius miracula Dæmonis ministerio* fuerunt.

Suffragium Hieroclis Alexandrini nullum est; Nam odio in Christianam Religionem, cui crudeliter indulserat sub Diocletiano, adoptavit tamquam vera, quæ de Apollonio Philostratus annis centum & amplius post ejus mortem finxit; Godfridus enim Olearius in præfatione præmissa Philostrati operibus ex editione Lipsiensi anni 1709 ostendit Apollonium anno Christi 97 obiisse, qui natus dicitur tribus aut quatuor annis ante finem sæculi antecedentis: Philostratum vero Lemnium hominem, ab Eusebio Athenienfem dictum, quia Athenis Rhetor fuit antequam Romam veniret, scripsisse sub Septimio Severo, qui ab anno Christi 193. regnavit usque ad annnm 211. Deinde Authores coævi Apollonio, ut Tacitus, Suetonius, Plinius, Plutarchus, Dion Cassius, aliique quamvis Christiani nominis osores nullam de prodigiis Apollonii mentionem faciunt.

374. Cudvvorthius Apollonii æstimator præter Eusebium & S. Augustinum supra (n. 369.) citatos habet contra se Lucianum in suo Pseudomante: Photium, (2) qui fabulatorem vocat Philostratum: Zenobium Acciolium, qui eamdem adhibet appellationem in epistola dedicatoria ad Laurentium Medicem suæ versionis e Græco in Latinum Eusebianæ impugnationis jam dictæ: Aldum Manutium, qui in epistola ad citatum Acciolium præmissa suæ editioni Græcæ & Latinæ Philostrati & Eusebii contra Hieroclem, appellat *mendacem Philostratum, & temerarium Hieroclem, & vanissimum circulatoremque Apollonium*: Baronium ad annum Christi sexagesimum octavum, qui cum omni contemptu de Apollonio & Scriptore ejus vitæ Philostrato loquitur, quem imitantur alii Historiæ Ecclesiasticæ auctores: Gulielmum Nicholsium (3), qui copiosius ostendit ficta ea esse a Philostrato, quod ex professo fecerunt etiam Huetius (4), & Buffierius (5) in sua de Apollonio dissertatione, & Ludovicus du Pin in sua de eodem historia, & Carolus Lesleus in Præfatione ad suam *Methodum contra Deistas*, & Clairvalius in sua *Historia Apollonii Thyanæi* convicta de falsitate, cujus epitoma extat apud Trevoltianos (6). Novam contra Cudvvorthium cohortem ducit Morerius (7), cui conjunguntur Michael Medina (8), Jacobus Bru-

(1) Eus. co. Hyerocl.
(2) Pho. cod. 44.
(3) Nic A conference vvith a Theist. p. 3.
(4) Huc. Dem. Evangel. prop. 9.
(5) Buf. Preuv. de la Relig. diss. 3.
(6) Trev. an. 1705. ar. 132. pag. 1514.
(7) Mor. Dictio. ar. Apollonius
(8) Med. Chris. Paran. l. 1. c. 7.

Bruckerius (1) Antonius Genuensis (2), Creverius (3), Fassonius (4), & Valsecchius (5).

Quod pertinet ad Fleetvvodum, ille de hujusmodi circa Apollonium narrationibus non curavit, quia cum ejus institutum esset oppugnare Deistas, observavit quæcumque de illo fingerentur, ea ipsis non favere, quandoquidem dato etiam, quod vera essent, ex illis inferebatur non jam Deismus, sed Polytheismus; Nam eædem historiæ, quæ illa referunt, dicunt etiam, Apollonium solitum fuisse sacrificia offerre Diis quibuslibet, quos inveniret coli in iis regionibus, per quas transiret. Simili de caussà citatus etiam Lesleus permisit Deistis sentire quicquid libuerit de Apollonio, ejusque vita ac gestis.

375. Restant curationes attributæ Aesculapio in tabula Gruteri. At imprimis qoniam hæ dicuntur contigisse sub Antonino, *populo congratulante quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino*, dubitari non injuria potest conficta fuisse a Sacerdotibus Aesculapii simili consilio ac illa Vespasiani, ut officerent miraculis, quæ de Christo prædicabantur. Dubitationem confirmat, quod in omnibus legitur intercessisse oraculum, scilicet Sacerdotum responsum, vel fictum aliquod somnium tamquam a Deo immissum, quo jussi fuerunt ægri quædam peragere ad obtinendam sanitatem, quam quærebant. Deinde præter unum cæcum, cum reliqui sanati dicantur post adhibita remedia ab Oraculo præscripta, quæ ibidem referuntur, & videntur satis opportuna, jam ad miracula non pertinent, quemadmodum Arnobius (6) jam observaverat & Aesculapii prædicatoribus exprobravit. Cæci autem illuminatio sine remediis sic narratur in tabula, *Cuidam cæco oraculum edidit, veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, a parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos. Et recte vidit*. Ex qua sola narratione apparet conventio & dolus.

AR-

(1) Bru. Hist. Crit. Philos. t. 2.
(2) Gen. Elem. Metaph. p. 3. c. 5. prop. 34.
(3) Cre. hist. des Emper. §. 7. Domitien.
(4) Fas. de Mirac. n. 20.
(5) Val. Fond. d. Relig. l.2.c.16. n.12.
(6) Arn. l. 1. c. Gent.

Articulus IV.

Obiectiones pro prophetiis etiam apud Ethnicos.

376. I. OBiicitur. Habemus ex Plutarcho in Julio Cæsare, eadem die qua in Thessalia pugnam inierunt exercitus Cæsaris & Pompeii, Patavii C. Cornelium Sacerdotem augurem eam quasi præsens esset in quodam mentis excessu descripsisse, & Cæsaris tandem victoriam enunciasse. De hoc vaticinio loquens Gellius dixit, (1) *Ea sacerdotis bariolatio levis tum quidem visa est & vecors, magna mox admirationis fuit.* Et Lucani de eodem sunt hæc:

Augur
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit,
Impia concurrunt Pompeii & Cæsaris arma

Extant igitur etiam apud Ethnicos prophetiæ.

Resp. *conc. ant & nego conseqm.* Prophetia enim est manifestatio rei creaturis occultæ. Hæc autem pugna evidens erat Dæmoni, qui per augurem illam Patavii enunciavit, quamvis in Thessalia acciderit, quia Dæmones juxta S. Augustinum (2) *volatus avium incomparabiliter vincunt*, & juxta Tertullianum (3) *Omnis spiritus ales est. Velocitas divinitas creditur, quia in substantia ignoratur.*

377. II. Obiicitur. S. Augustinus refert prænunciata Ethnicis per Spiritus nequam (4) *defectum culturæ & Idolorum ruinam*: quæ possunt conferri cum prophetiis de sterilitate Aegypti sub Patriarcha Josepho, & de eversione templi Salomonis.

Resp. iniquos esse qui hanc collationem faciant. Nam prophetia Josephi clarissima fuit, & extensa ad multorum annorum seriem, & aliæ, quæ a veris Prophetis habentur in Scriptura, sunt etiam de iis, in quibus nullius creaturæ sagacitas habere poterat locum, utpote quæ post quatuor, quinque, & multo plura quandoque sæcula erant eventura: Prædictiones autem Dæmonum nùmquam sunt cum tanta temporis amplitudine, vel sunt de rebus, quæ ipsi cognoscere possunt ex longa rerum experientia observatione & scientia rerum naturalium, vel sunt ambiguæ, ut *interpretibus suis*, quemadmodum ibidem dixit Augustinus, *signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti.* Exemplo sint responsa data Regibus Croeso & Pyrrho quærentibus de belli quod intentabant eventu: Croeso dictum, *Magnum regnum dissipabis*, in quibus verbis nescias de quo regno sermo sit de suo ne an de il-

(1) Gel. Noc. Att. l. 15. c. 18.
(2) S. Au. de Divin. Dæm.
(3) Ter. Apolog. c. 22.
(4) S. Au. de Divin. Dæm. c. 6.

illo Cyri, contra quem infeliciter pugnavit: Pyrrho. autem responsum.

Aio te Aeacida Romanos vincere posse, ubi nescias *Romanos* ne, an *Te* regatur a *vincere*.

De ruina autem Idolorum, cum *hanc Prophetæ Dei summi*, ut idem Augustinus prosequitur, *tanto ante prædixerint*, nulla fuit in Dæmoniis hujus prophetia, sed ejus quam jam noverant mera declaratio.

378. Instant. Celeberrima sunt Oracula Jovis Dodonæi in Chaonia parte Epiri, Jovis Hammonis in Lybia, Apollinis in Delo & Delphis & alibi, Latonæ in Aegypto, quod Sebenniticum oraculum vocabatur, & alia permulta erudite collecta & declarata a Mussardo in sua *Historia Deorum Fatidicorum Vatum Sybillarum Phoebadum apud priscos illustrium*, Coloniæ Allobrogum edita anno 1675, a quibus Ethnici expetebant, & plerumque obtinebant prophetias, responsa scilicet de rebus ab humana cognitione prorsus remotis.

Resp. & imprimis dico existentiam hujusmodi oraculorum non esse sine controversia; Nam non defuerunt ipsis Ethnicorum temporibus, qui de illis riderent tamquam de vulgi erroribus, quos Sacerdotes utpote sibi quæstuosos per quascumque fraudes conservabant & augebant, & ad faciliorem populi moderationem Magistratus fovebant. Testis est Eusebius Peripateticos, Cynicos, & Epicureos (1) *quæ passim jactabantur oracula, quæque omnium concursu populorum vaticinia celebrabantur, ea non modo vanitatis coarguisse, sed etiam exitii potius quam utilitatis ullius caussas esse demonstrasse*. Hanc sententiam tenet inter alios Jaquelotius (2).

379. Sed demus saltem aliqua extitisse olim oracula, quoniam notæ sunt veterum aliquorum querelæ de Oraculorum silentio, adveniente luce Evangelii, quales sunt Lucani (3).

Non ulla sæcula dono
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod sileat:

& Juvenalis, (4) *Delphis oracula silent*: & Strabonis, (5) *Oraculum Hammonis pene desertum est, quod antea honorabatur*, & Plutarchi in libro, *De defectu Oraculorum*, ubi hujus caussam inquirens inter alias dubitanter propositas illam refert de morte Geniorum, qui oracula edebant. Atque jam dico facile potuisse ex ipsa hujusmodi oraculorum natura cognosci respondentis Diaboli ignorantia. Quoties enim rogaretur de rebus contingentibus, in quibus connexio aliqua immisce-

(1) Euf. Præp. l. 4. c. 1.
(2) Jaq. Exist. de Dieu. Dis. 4. c. 8.
(3) Luc. Phars. l. 5.
(4) Juv. Saty. 5.
(5) Stra. Geog. l. 11.

scerètur cum actibus ab alicujus libertate dependentibus, flexiloqua erant responsa. Abundat enim Diabolus non solum nequitia, sed etiam calliditate, qua evitaret nequis unquam ipsum mendacii aut deceptionis accusaret. Confidentia in affirmationibus de hujusmodi futuris propria est imprudentium & audacium, ejusque exemplum habemus in J. J. Rousseau, qui (1) æternam Moscorum barbariem, & nescio quæ præclara Corsorum facinora(2)*quibus Europa obstupesceret*, affirmate prædixit in suo *ContractuSociali*; quem circa annum 1760 consuebat ex principiis absurdis & contradictoriis consequentiis, ut ostendit Bergierius (3), & quem horreat etiam Mahometanus propter apertas in Jesum Christum contumelias, quem ceteroqui alibi (4) plusquam hominem conclusit cognosci ex sola historia ejus vitæ & doctrinæ qualis legitur in Evangeliis libris ipsomet fatente Divinam inspirationem præseferentibus.

380. Itaque decantata oracula pro veris ineptiis habenda sunt cum Tullio, cujus hæc sunt, (5) *Authoritatem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adiungere: eodemque modo nec ego Publicio nescio cui, nec Martis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo: quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri cuiquam non modo prudenti probata sunt*. De Chrysippi collectione oraculorum inferius dixit, (6) *Oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor: partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime: partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes: partim ambiguis, & quæ ad Dialecticem referenda sint*. Legi autem potest S. Augustinus De divinatione Daemonum, ubi percurrit diversas fraudes, quibus hi incautis imponere solent a se futura praevideri.

ARTICULUS V.

Obiectiones pro martyribus miraculis fortitudinis in quavis religione.

381. OBiicitur. Si pro miraculis habenda sint martyria, quae pro Catholicae religionis professione fortiter tolerata dicuntur, similia habentur pro quavis religione non catholica. Religionem enim a Catholica dissentientem professi sunt Montanistae, quorum tamen aliqui in flammas se conjecerunt pro sua haeresi, & quotquot saeculo decimo septimo & decimo octavo maluerunt exillum carcerem & alia mala tolerare pro tuendis erroribus ab Ecclesia ca-

(1) Rou. Cont. l. 2. c. 5.
(2) Ibid. c. 10.
(3) Ber. Deism. refu. Lett. 9.
(4) Rou. Emile. to. 3.
(5) Tul. de Divin. l. 2. n. 113.
(6) Ibid. n. 115.

catholica damnatis in Calvino & Jansenio Iprensi, quorum multitudinem exhibent quatuor tomi operis Gallici, quod inscribitur *Necrologium clariorum defensorum & confessorum veritatis* editum anno 1760 & sequentibus, quod ipsius auctor anonymus in nota ad praefationem tomi secundi dicit, Martyrologium inscribi potuisse. Quin immo ipse Mahumetismus suos profert martyres in iis, qui parati dicuntur ad se ipsos pro illo occidendos, & suos etiam jactat Atheismus; Elapso enim saeculo Apuliensis quidam Vaninus baptizatus sub Lucilii nomine, ut refert Leibnitius (1), sed qui sibi deinde illud Julii Caesaris ex vanitate assumpsit cognitus ex suo *Amphitheatro Divinæ Providentiæ* Lugduni edito ann. 1615, & ex quibusdam dialogis, sustinuit carcerem Londini, exilium Lugduni, & Parisiis, & supplicium tandem Tolosae ex illius Senatus sententia annos natus 30 tanta fortitudine & tranquillitate, ut Bayles ipsum appellaverit (2) *inclitum Atheismi martyrem*.

382. Resp. *nego assumptum*. Imprimis enim sola Christiana Religio habet martyres pro meris factis cujusmodi sunt miracula Christi, & in his ipsius resurrectio, & ejus doctrina ab eo audita, & mandatum ab eo acceptum de ejus promulgatione, quod plane evincit haec omnia fuisse vera & non imaginaria neque commentitia. Atque hi martyres fuerunt Apostoli, & alii Christi discipuli bene multi, qui facto ipso professi sunt, quod Petrus & Joannes jam dixerant Judaeorum concilio, quando ipsis prohibuit loqui de Christo, (3) *Non possumus quæ vidimus & audivimus non loqui*. Aliae religiones ad summum habent aliquos qui pro suo quodam dogmate tuendo, non vero pro ullo facto constanter pugnaverint citra tamen tormenta & periculum vitæ, quod plerumque noverunt tempestive effugere. Vis responsionis major etiam evadit si universalius dicatur, quod verum est nullum unquam extitisse, qui pro tuenda veritate alicujus historiæ præter Evangelicam, quam scripserit vel narraverit, cruciari se permiserit & etiam occidi.

383. Deinde martyria Christianorum præseferunt constantiam in tormentis conjunctam cum pietate in Deum, & Jesum Christum, cui cognoscebant se hoc modo obsequium præstare, ex qua nascebantur patientia, quam non vincebant quævis exquisita supplicia, hilaritas in cruciatibus palam se manifestans in frontis serenitate, in placidis verbis, in eloquenti prædicatione Christi & ejus laudibus plenis sapientia & religione, & certa expectatio felicitatis brevi futuræ in sempiternum. Multa etiam ex his martyriis decorata erant miraculis præclarissimis, in quibus fundatur frequens apud Paganos calu-

(1) Lei. Theodic. not. ad King. n. 24.
(2) Ba. Pense. diver. n. 182.
(3) Act. c. 4. v. 20.

lumnia de Magia Christianorum. In hominibus autem, siqui sunt qui pro aliis religionibus certo falsis tuendis cruciatus & mortem subierint, dicant quidnam observatum fuerit, quod eorum sanctitatem argueret, & ad honorem Dei excitaret?

384. Quod de Vanino Bayles olim vel delusus vel alio modo errans scripserat, deinde retractavit (1). Constat enim ipsum instar bovis ad lanienam pertracti obiisse plenum furore & desperatione, ut distinctius docebunt vel Trevoltiani (2) loquentes de ejus vita scripta a Mauritio Schramm, vel Jo Clericus loquens (3) de posteriori ejusdem vitae scriptore Durand, vel Antoninus Valsecchi (4). qui citat Bartholomaeum Gramondum, virum gravissimum, auctorem historiae cujusdam gallicae, qui de visu testatur impium hunc diram mortem obiisse, in eaque Atheum se non theoreticum sed practicum comprobasse.

385. Praeterea Christiani tormenta & mortem sustinuerunt sequuti rationes dignas homine sanae mentis & veritatis amante, cujusmodi sunt omnia pervulgata credibilitatis argumenta. At quis non videt quotquot producantur pro falsa Religione aliquid passi, fuisse huc perductos non ex amore & persuasione veritatis, quae locum non habent, ubi deficiunt omnino rationes, quae sanam mentem moveant, sed ex vera in hoc ipsorum amentia, quae consistit vel in praepostero studio comparandi sibi celebritatem nominis vel in vana sui ingenii & doctrinae existimatione supra illam aliorum, vel in odio concepto contra sibi contradicentes, vel in alia damnabili cupiditate. Tales fuerunt, qui ex Montanistis dicuntur maluisse se in ignem conjicere, quam suam haeresim abjurare, & qui ex Mahumetanis parati describuntur ad se suis manibus necandos in testimonium suae religionis, & qui a citato laudantur necrologio, quod furor contra Sedem Apostolicam concepit, & fabulis mendaciis & calumniis confertum in lucem emisit nescias ubi fine ullo Authoris nomine, & sine ulla neque civili neque ecclesiastica approbatione.

386. Tandem Christianorum martyria quis numeret? praesertim quando pagani Imperatores, ut rapidam Christianae Fidei propagationem saltem cohiberent, quae urbes vicos campos senatum castra regiam, omnia demum loca occupabat praeter Idolorum templa, ut ajebat Tertullianus (5) immane consilium susceperunt necandi quotquot invenirentur Christiani, quod perficere diu tentarunt

(1) Id. Entr. de Max. & de Them.
(2) Tre. an. 1711. ar. 42. pag. 380.
(3) Cle. Bib. antiq. & med. to. 8. p. 1. ar. 6.
(4) Val. Fond. dela Relig. I. 2. c. 15. n. 8. Et l. 3. p. 1. c. 9. n. 4.
(5) Ter. Apolog.

runt innumeris ubique caesis ex omni ordine gradu aetate & sexu. Quid his simile opponi potest ex falsis religionibus?

387. Boulangerus nugatur, dum apud Bergierium (1) dicit auctum fuisse persequutionibus numerum Christianorum & Martyrum, quia commoveri solet animus hominum aspectu supplicii, cui quis jure vel injuria subiaceat, & quia furor quidam qui aliquos tunc invasit in favorem Christianorum, quos videbant pro sua secta cruciari & necari, contagione quadam novos Christianismi defensores procreavit. At quod fatetur volens nolens evenisse in propugnatione sanctae in Christum fidei, debuit cognoscere esse prorsus singulare & divinum. Religio enim pagana fere ad nihilum redacta fuit in toto Romano imperio licet radices haberet robustissimas in praeiudiciis suae antiquitatis, educationis, splendoris sacrificiorum, templorum & spectaculorum, quae inter sacra numerabantur, & amplissimae indulgentiae in pravas hominum inclinationes, simul ac primus inter imperatores Constantinus Magnus ab illa se abhorrere ostendit, & deinde Constans & Constantius ejus filii sub poena mortis sacrilega Idolis sacrificia offerri vetuerunt: Et quamvis postea Julianus Apostata assequutus imperium eam ad pristinam quasi dignitatem revocare studuerit exemplo suo & concionibus per se habitis ad populum & senatum, nihilominus jacentem semper vidit, ut constat ex suis epistolis, in quibus queritur de desertis Deorum templis, neglectisque eorum festis & omissis sacrificiis. Multo autem magis nugatur, dum fingit non videre se quid (2) differant a martyribus, qui tormenta & mortem etiam passi sunt pro professione Religionis Judaicae apud Christianos vel alias gentes, quae hanc non tolerant. Nam differunt tantum, quantum sacrilegi a sanctis. Supplicia enim pro Judaismo non infliguntur nisi vel propter simulationem Christianae Religionis coram populo & privatam ejusdem irrisionem, vel propter execrandam apostasiam. Scilicet hoc deerat ad impietatem omni ex parte cumulatam, ut cum Sanctis Martyribus compararentur & confunderentur, qui propter conflatum sibi vitulum aureum in Deum Divino jussu (3) gladio percussi interierunt.

388. Instant increduli. Numerus martyrum Christianorum non est tantus, quantus vulgo creditur. Nam alii sunt prorsus fabulosi, alii incerti, alii cruciati quidem aut occisi cum essent Christiani, non tamen tam crudeliter quantum in vulgus sparsum est ab ignorantibus, sed propter ipsorum crimina sive vera sive falsa contra Reip. quietem, vel propter imprudentem audaciam, qua palam Idola con-

(1) Ber. Apolog. c. 3. n. 16.
(2) Ibid. c. 6. n. 18.
(3) Exod. c. 32. v. 27.

contemnebant, & ipsos aliquando Magistratus de suis contra Christianos legibus coram reprehendebant. Hanc instantiam primus protulit Henricus Dodvvellus in undecima ex suis *Dissertationibus Cyprianicis* Oxonii editis ann. 1684, quam etiamsi Theodoricus Ruinart profligaverit in sua *præfatione in Acta Martyrum*, attamen Increduli quotidie iterum obtrudunt.

Resp. *nego assumptum*, quod cum contendunt modo jam obiecto suadere, nihil aliud obtinent apud eos qui recurrunt ad Auctores coævos, non solum illos a quibus acta Martyrum habemus, sed etiam paganos, quam indicare amplissimam viam, qua quivis cognoscat incredibilem ipsorum contra Christianam religionem furorem, quo ad calumnias mendacia contradictiones & omnem impietatem rapiuntur, ut videre est apud Nonnotem (1), qui ex his aliqua patefecit. Equidem omittam dicere quid de crudelitate contra Christianos, & de multitudine eorum, qui unice propter Christianam religionem occisi fuerunt sub primis Ecclesiæ sæculis scriptum nobis reliquerint ejusdem temporis Sancti, Ignatius Clemens Polycarpus, & plures Christiani Apologistæ & Historici, quos dabunt Catalogi Cronologici Auctorum Ecclesiasticorum, & solum afferam aliquorum paganorum testimonia.

389. Itaque pro primo sæculo occurrit Tacitus (2), qui refert Neronis jussu *multitudinem ingentem* Christianorum, in quibus nullum crimen inventum fuit, sed solum vulgi & magistratuum in ipsos odium, *quæsitissimis poenis* trucidatam ut extirparetur hæc ipsorum Religio, quam omni prætermisso examine modis omnibus exstirpandam credebant, quia Idololatriam quamvis aperte absurdam & detestabilem ipsa reiiciebat, & quia etiamsi alias fuerit repressa, adhuc tamen vigebat & augebatur. Cui consentiunt Suetonius (3), Seneca (4), & Juvenalis (5). Pro martyribus secundi sæculi extat epistola junioris Plinii (6) Bithyniæ Proconsulis ad Trajanum Imperatorem hujusque ad ipsum responsio. ex quibus novimus damnatos fuisse ad mortem, quotquot accusati de adoratione Jesu Christi tamquam Dei eidem non renunciarent, & Romæ deferendos qui ex illis essent cives Romani, etiamsi nullum aliud ipsis crimen imputaretur, & nullius confessio ne per supplicia quidem adhibita ab ipsis extorqueretur, quin immo pietas caritas & justitia in eisdem resplenderent. Lex igitur tunc vigebat prohibens sub poena mortis Christanismi professionem, quæ si tot cædes attulit in Bithynia, quam Plinius sub Trajano moderabatur, quis dubitet multo plures attulisse in

(1) Non. Dict. art. Martyres.
(2) Tac. Annal. l. 13.
(3) Suc. in Neron.
(4) Sen. Epist. 14.
(5) Juv. Satyr. 1.
(6) Pli. l. 10. epist. 97. & 98.

in aliis Imperii regionibus, quibus præerant magistratus indolis severioris præsertim sub Imperatoribus minus ad humanitatem compositis. Pliniana hæc monumenta demonstrant fatuitatem impii Dictionarii philosophici, quod apud Bergierum (1) impugnationem multitudinis martyrum aggreditur a damnatione ad bestias, S. Ignatii Episcopi Antiocheni sub Trajano duobus annis post commemoratas epistolas, quam negat inflictam fuisse propter Christianam Religionem, quia sub clementissimo Trajano nullus Christianus Romæ suæ religionis caussa occidebatur.

390. De numero martyrum tertii sæculi extant apud Origenem (2) quæ Celsus scribens contra Christianos dicit de tormentis, quibus juxta leges Romanas ubique Christiani afficiebantur, antequam extremo plecterentur supplicio. Atque huc etiam spectant, quæ sæculo proximo Libanius apud Fabricium (3) scribebat in laudem Juliani Apostatæ, quod contra expectationem Christianorum abstinuerit ab usitatis antea in ipsos suppliciis. Sola Diocletiani ætas, quam Celsus antecessit, tanta abundavit Christianorum strage, ut ætas Martyrum communiter appelletur, propterea quod in ipsos per decennium conspiraverunt Diocletianus & Maximianus Herculeus, ejus in imperio collega, & Galerius, quem Cæsarem creaverat. Hinc iterum cognosci potest pessima indoles hesterni Auctoris Dictionarii modo citati, qui audet ignorantes vocare quotquot Diocletianum numerant inter Christianorum persequutores, ejusque imperium ætatem Martyrum appellant.

391. Instat iterum Freretus. Saltem gratis & etiam falso martyres dicuntur omnes Apostoli; Nam martyrium constat solum de S. Jacobo Zebedæi ex Actis Apostolorum (4), & de SS. Petro & Paulo ex S. Clemente, & ex Eusebio de S. Jacobo Alphæi, quem S. Lucas (5) vocat minorem, quia junior erat altero ejusdem nominis Apostolo, non vero de reliquis ex consensu sapientiorum Criticorum: Et habemus Heracleonem, qui affirmat aliquos naturali extinctos morte.

Resp. cum Bergierio (6) *Nego assumptum*. Pro martyrio enim omnium Apostolorum habemus receptam communiter traditionem, & authoritatem aliquorum ex antiquis Patribus, ut Polycarpi in sua ad Philippenses epistola, & Clementis Alexandrini (7), qui Apostolos universim pro Christo passos affirmat. Critici, qui increduli adeoque impudentes & insipientes non sint, his non contradicent exclu-

(1) Ber. Apol. p. 4. art. Christianisme
(2) Ori. c. Cels. l. 1. n. 3 & 41. Et l. 2. n. 18. Et l. 6. n. 4. Et l. 8.
(3) Fab. Biblioth. Græc. to. 7.
(4) Act. c. 12. v. 2.
(5) Luc. c. 15. v. 40.
(6) Ber. Confut. p. 1. c. 3. n. 7.
(7) S. Cle. Strom. l. 4. c. 5.

excludendo a singulis martyrium, sed solum certitudinem æqualem de qualitate ipsius. Hoc credo comperiet, qui tales Criticos consulat, quales sunt Agiographi Bollandistæ. Heracleonis autem obiectum testimonium utpote auctoris secundi sæculi & hæretici Valentiniani est prorsus importunum & ineptum.

Articulus VI.

Obiectiones pro aliis miraculis apud Ethnicos similibus illis utriusque Testamenti.

392. I. OBiicitur ab impio Dictionario philosophico, & a Frereto apud Bergierium (1). Etiam Ethnici ex testimonio Plutarchi Luciani & Damascii eiiciebant Dæmonia. Hinc nullum eorum novimus ad Christianismum accessisse, propterea quod viderit Dæmonia a Christianis expelli. Cujus ratio fortasse est, vel quia ipsi noverant ex propria experientia intercedere in his eventibus pactum quoddam inter homines fraudolentos & mendaces, quorum unus exorcistæ alter exorcizati munus susciperet, vel quod verius dicitur, quia certo sciebant effectus qui Dæmonum obsessionibus seu possessionibus tribuebantur non esse nisi a particularibus morbis, vel a delirante imaginatione, quemadmodum veteres medici Hippocrates & Possidonius docuerunt, cum quibus sentiunt alii recentiores.

Resp. *dist. assumptum*. Ethnici eiiciebant aliqua Dæmonia in aliquibus circumstantiis, *omitto*: eiiciebant quæcumque & in quibuslibet circumstantiis, *nego*. Illa ad summum videbantur expellere, quæ ipsimet suis incantationibus advocaverant, quin ulla interesset circumstantia, per quam induceretur in adstantibus persuasio de licito cultu Dæmoniorum, vel alio circa aut contra veram religionem errore. Authores citati ubi ea dicant, quoniam non significatur, alii viderint an non ita loquantur, ut dubitationem saltem suam ostendant de fraudibus in his eventibus ex parte sacrificulorum ad retinendos populos in Idolorum sacrilega veneratione ipsis proficua, quam videbant in dies deficere propter hanc etiam caussam, expulsionem Dæmoniorum, quam Christiani passim perficiebant, ut plures Patres de visu testes referunt, inter quos est S. Irenæus (2), qui expresse dicit nomen suum Christo datum ab iis, qui in nomine Christi a Dæmoniis liberabantur, cujus testimonium cum ipse Freretus attulerit, jam non solum nulla est confirmatio, quam pro suo

(1) Ber. Apol. p. 4. ar. Christianism. pag. 209. Et Confut. dell'esam. c. 5.

(2) S. Ir. l. 2. c. 57. n. 4.

ſuo aſſumpto propoſuit, ſed jure ſubiicitur reprehenſioni, quam ipſi intentat Bergierius, de contradictione, vel ſi mavis de oblivione nimis probroſa in ſcriptore præſertim dum hæc accidit in eodem ſermone.

393. Quod additur de fraude ex conventione, non poteſt habere locum in Dæmoniacis, de quibus Sacræ Literæ, & auctores doctrina ingenio ſagacitate & etiam ſanctitate præclari meminerunt. Quod tandem pertinet ad veterum medicorum authoritatem, quis de illa ſollicitus ſit contra evidentiam & authoritatem aliorum medicorum etiam recentiorum, qui etſi moneant non eſſe facile credendum energumenos eſſe quos tales vulgus aliquando exiſtimat, attamen fatentur imprimis de Fide Divina eſſe illos primis Eccleſiæ temporibus frequentes fuiſſe, quia eorum liberatio fuerat a Chriſto Dno conſtituta inter argumenta ſenſibilia veritatis evangelii, quam volebat ubique propagatam: Deinde tales etiam eſſe his temporibus ſtatuunt, qui per aera rapiantur nulla viſibili arte, aut lingua loquantur quam numquam didicerint vel fortaſſe numquam audierunt, apte reſpondentes iis, de quibus interrogentur, aut alia in ipſis deprehendantur hujus Dæmoniacæ invaſionis ſigna, quæ Patres & Eccleſiæ Doctores jam adverterunt, & determinarunt.

394 II. Obiicitur. Hiſtoriæ Ethnicorum referunt teſte S. Auguſtino, (1) *in quadam Campaniæ lata planicie auditi primum ingentes fragores, moxque viſas a multis per aliquot dies duas acies præliari*. Et (2) *Boves locutos, & infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clamaſſe*. Alia plura dabunt Ti. Livius, Valerius Maximus, Pauſanias, Marius Maximus, aliique Veteres. Sed hæc ſimilia ſunt præliis in aere viſis, quæ narrantur in libris Machabæorum, & Aſinæ Balaam, quæ ipſum eſt alloquuta, & Jo. Baptiſtæ, qui exultavit in utero ad adventum Deiparæ: ergo.

Reſp. *conc. mai. & diſt. min.* Similia ſunt confuſe cognita, & primo ut ita dicam aſpectu *conc. min.* ſecus *nego*. Redit enim argumentatio paulo ante facta, quod in hujuſmodi factis nemo prudens agnoſcat characteres neque intrinſecos neque extrinſecos veri miraculi. S. Auguſtinus referens viſa prælia, quæ obiiciuntur, ea tribuit malignis Spiritibus, qui ea fecerint ad erigendos animos Romanorum adhuc refugientes bellum civile tamquam maximum ſcelus hominibus & Diis deteſtabile per exemplum belli quod inter ſe ipſimet Dii habebant; Nam *ſi*, inquit, *inter ſe numina pugnarunt, jam bella civilia excuſantur humana*. Idem dicitur de verbis prolatis a bovibus & foetibus, quod fuerint ex fraude ſpirituum nequam, ſiquis contendat non eſſe neque fabulas, neque ſomnia; Nullus enim ap-

(1) S. Aug. de Civi. L. 2. c. 25. (2) Id. ibid. L. 3. c. 3.

apparet in illis finis nisi perturbandi homines, iisque per hæc terricula nocendi. Quid plura? ipsimet Ethnici scriptores observant destitui hæc facta opportuno credibilitatis fundamento. Titus Livius dum ea & alia multa in diversis locis a veteribus credita & nunciata prodigia refert, vel aperte dicit esse poeticas fabulas (1), vel esse commenta (2) hominum simplicium, aut (3) superstitiosorum. Cicero Quinto fratri suo qui aliqua ex his commemoraverat respondit, *nihil est in Philosophia commentitiis fabulis loci*. Valerius Maximus plura ex narratis a Livio repetens concludit, (4) *horum fidem auctores vindicent*: Et quæ de Hadriano enarrat miracula Marius Maximus, apud eumdem dicuntur *facta per simulationem*, quam exacte exponit Huetius (5).

395. III. Obiicitur. In libris Machabæorum Antiochus dicitur misere periisse ob expilatum templum Hebræorum (6), & Heliodorus simile quid aggrediens (7) *detrusus in terram, ac multa caligine circumfusus*: quibus simile est quod Lactantius (8) de Pyrrho Epirotarum Rege memorat naufragium fecisse post spoliatum Proserpinæ Locrensis templum in proximo litore: & quod Justinus (9) & Pausanias (10) dicunt de clade exercitus Gallorum, quam tribuunt vindictæ Delphici numinis, quod ipsius templum tentaverint deprædari.

At quænam fingitur similitudo, ubi evidens est dissimilitudo? Naufragia contingebant etiam navibus, quæ munera Idolis obtulerant, & clades illa a Strabone (11), & Athenæo (12) dicitur accidisse propter ipsorum dissensionem, postquam Delphis discesserunt.

396. Instant. Similitudo cum allato Heliodori exemplo habetur saltem in quibusdam Alexandri militibus, quos Valerius Maximus (13), & citatus Lactantius referunt fuisse excæcatos, quando nescio quod templum Mileti in Jonia volebant expilare.

Resp. quando in hoc velit quis veram historiam contineri, quæ ceteroqui non habet auctoritatem ineluctabilem, dabo cum Lessio (14) haberi verum miraculum, sed a Deo, & quidem punitionis, quod in eo consistit, quod Diabolo permiserit exercitium suæ naturalis potestatis nocendi hominibus in vindictam illorum Idololatriæ, cui serviebant contra conscientiam, cum lumen rationis ostendat in hoc haberi scelus omnium maxime execrabile. Quare hæc, & his simi-

(1) Liv. in proemio,
(2) Id. Hist. l. 24. c. 10.
(3) Id. Ibid. l. 29. c. 12.
(4) Val. l. 1.
(5) Hue. Dem. Evang. propos. 9. c. 39.
(6) Mach. l. 1. c. 7
(7) Ibid. l. 2. c. 3. v. 27.
(8) Lac. Divin. Insti. l. 2. c. 8.
(9) Jus. Histor. l. 24. c. 6.
(10) Paus. l. 6.
(11) Stra. Geograp. l. 9.
(12) Ath. l. 6. c. 5.
(13) Val. l. 1. c. 2.
(14) Less. de Providen. n. 164.

similia minus bene dicuntur miracula apud Ethnicos, cum proprie dicenda sint contra Ethnicos pro ipsorum sceleribus ab ipsa lege naturali damnatis, qualia multa sunt in Sacris Literis, eaque bene opponas illis, quæ juxta S. Thomam (1) iisdem Ethnicis potuerunt accidere in præmium aut commendationem alicujus virtutis.

PROPOSITIO IV.

Multa quovis tempore in Ecclesia Catholica existunt miracula.

297. Propositio est speciatim contra Sectarios, qui omnia miracula, quæ non sunt in Sacra Scriptura pernegant, nulla statuentes nunc fieri miracula, eaque quæ a Catholicis celebrantur, dicunt esse vel figmenta vel præstigiæ malorum sive hominum sive spirituum. Sic Calvinistæ, quos confutat Richeome (2) sequuti suum ducem, qui in ipsa Epistola dedicatoria suarum Institutionum Catholicos vocat mirabiliarios, nomen a S. Augustino excusum pro Donatistis. Sic Lutherani, inter quos est Fridericus Garmannus in quadam dissertatione de Miraculis præfixa suo *De Miraculis mortuorum* commentario, ex quibusvis historiis & fabulis contexto, ut vere jam observarunt Trevoltiani (3). Sic Centuriatores Magdeburgenses, in quibus Matthias Flaccus Illyricus primas tenuit, qui in sua Historia Ecclesiastica, quam anno 1559 ad impugnandam Ecclesiam Catholicam edere incoeperunt, narrantes in singulis undecim primis sæculis ad caput decimum sextum plura miracula pro diversis Fidei Catholicæ articulis, a quibus hæretice dissentiunt, eadem repudiant tamquam hallucinationes aut mendacia aut incantationes. Sic recentius Fleetvvoodus, & Vernetus apud Trevoltianos (4). Sic qui ab iisdem (5) ostenditur Logica & bona fide carens Phileleutherus Helvetius in suo de Miraculis libello Edimburgi iterum edito anno 1755. Sic alii Angli, contra quos apud eosdem (6) habetur doctus Commentarius. Sic tandem unanimiter Increduli nostræ ætatis. Qui in hac re legerit unius dicteria in impio Dictionario Philosophico ex professo refutata a Nonnote (7), omnium jam erit abunde conscius.

(1) 1. Th.qu. disp.de poten, q.6. ar.5,
(2) Rich. Discou. des. Miracl. operum tom. 1. pag. 1.
(3) Trev. an. 1712. ar. 12. pag. 55.
(4) Trev. an. 1702. ar. 189. pag. 1997.
(5) Ibid. an 1756. ar. 4. pag. 1039.
(6) Ibid. an. 1751. ar. 55. pag. 1048.
(7) Non.Dict.phil. ar. Miracl. Entret. 4.

Articulus I.

Argumenta a priori pro propositione.

398. I. Probatur. Idem Spiritus Sanctus, qui in Sacris Literis affirmavit miracula patrata a Cristo & Apostolis, affirmat Christum dixisse, (1) *Amen amen dico vobis, qui credit in me opera, quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*: eumdemque jam jam ascensurum ad Cælos testatum fuisse, (2) *signa eos, qui crediderint, sequentur*, quæ ibidem numerantur, & quæ consonant illi quod olim scriptum fuerat(3) *Non confundetur populus meus in æternum: Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & dabo prodigia in Cælo & in Terra*: ergo si certa sunt miracula in promulgatione Legis Mosaicæ, & Legis Christianæ facta quia in Sacris Literis sunt, certum est etiam alia deinceps fore in Ecclesia Jesu Christi miracula, quia in iisdem Sacris Literis ita fore dicitur.

399. Porro verba illa Christi Dni *majora horum faciet*, etiamsi S. Augustinus dicat nihil esse, quod cogat ea intelligere de omnibus a Christo in vita mortali patratis miraculis, quia *horum* forte dixit, quæ tunc faciebat, nihilominus communius Patres & Interpretes apud Cornelium a Lapide, & Benedictum Plazzam (4), quos sequitur Auctor epistolæ de miraculis ad Trevoltianos datæ, & ab ipsis insertæ in suis monumentis (5), intelligunt de omnibus universaliter sumptis, contenduntque ibi a Christo Domino prædici miracula per Apostolos facienda fore absolute majora iis, quæ ipse in terris fecerat; Neque enim hoc officit gloriæ Christi, quin immo eamdem promovet & illustrat, siquidem cum in ipsius nomine ea efficerent, prout ab ipso instructi fuerant (6), jam demonstrabant Divinam Jesu Christi dignitatem. Atque veritatem prædictionis dicunt manifestam esse tum ex majori fortasse miraculorum numero, quæ per Apostolos facta fuerunt, tum ex aliquorum qualitate magis insigni & prorsus inaudita, quorum utrumque concluditur ex tot tantisque Gentibus per Apostolos ad Christianam Religionem perductis; Nam (7) *plures*, inquit S. Augustinus, *Apostolis, quam ipso per os proprium prædicante Domino crediderunt* omnis gradus ætatis & sexus homines, qui fidem etiam semel susceptam palam professi sunt in-

(1) Joa: c. 14. v. 12.
(2) Mar. c. 16. v. 17.
(3) Joe. c. 2. v. 27.
(4) Pla. Christia. Devot. pa. 1. c. 12.
(5) Trev. an. 1751. ar. 54. pag. 1054.
(6) Mar. c. 16. v. 17.
(7) S. Aug. tr. 72. in Ioan.

invitis Magistratibus usque ad sanguinis effusionem, & barbaram mortem iisdem propterea illatam, cum interea ad Christi prædicationem multi quidem de populo in ipsum aperte crediderunt, sed de nobilibus & doctis non ita multi. Saltem Scriptura in his non commemorat nisi Centurionem cujus (1) servum, & Regulum cujus (2) filium sanavit, & Jairum principem synagogæ, cujus filiam (3) a mortuis excitavit. De cæteris autem sic scriptum est, (4) *ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur ... dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: Et nominatim de Nicodemo (5) principe Judæorum, & de Josepho ab Arimathæa, nobili (6) decurione, & (7) divite palam est ex Evangelio (8) occultos dumtaxat fuisse discipulos propter metum Judæorum.

400. Sed qualitas miraculorum prorsus insignis enituit in Apostolis, quando tot linguarum peritiam ostenderunt prædicantes propria singularum gentium lingua: Et quando delatis (9) *super languidos a corpore Pauli sudariis & semicinctiis recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur*: ubi videas reliquiarum usum ab ipso Christianismi ortu Divina miraculorum approbatione venerabilem propter rationem supra jam (n. 284.) allatam ad condemnationem eorum, qui cum Calvino apud Maldonatum (10) ipsum habent pro superstitione: Et quando ipsa terra, in qua recondita post mortem fuerunt ipsorum corpora sicut etiam illa aliorum Sanctorum efficax inventa fuit ad moribundos ipsos sanandos. Quare dixit S Jo. Chrisostomus, (11) *quod pulverem immortalem in sepulcris reliquerint*. & S Gregorius Nissenus (12) *pro munere pulvis accipitur, & tamquam res magni pretii terra thesauro reponitur*.

401. II. Probatur. Christus Dn. in eodem contextu apud S. Marcum (13) mandavit Apostolis prædicare, & promisit miracula pro iis, qui credidissent: sed mandatum Christi de prædicatione ita factum fuit Apostolis, ut eorum nomine mandaverit idem illorum successoribus, quod ipsi Sectarii fatentur, & apertissime etiam significavit Christus addens immediate illi mandato, (14) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi*, quod non potest intelligi dictum pro solis Apostolis, sed pro illorum etiam successoribus in munere prædicandi: ergo etiam promissio miraculorum pro iis, qui

(1) Matt. c. 8.
(2) Joa. c. 4. v. 46.
(3) Luc. c. 8, v. 41.
(4) Joa. c. 12. v. 42.
(5) Ibid. c. 3. v. 1.
(6) Mar. c. 15. v. 43.
(7) Matt. c. 27. v. 57.
(8) Joa. c. 7. v. 50. Et c. 19. v. 38.
(9) Act. c. 19. v. 12.
(10) Mal. in Matth. c 11. v. 22.
(11) Chr. ser. de. laud. Apostol.
(12) Nys. Orat. pro. S. Theodoro
(13) Mar. c. 16. v. 1.
(14) Matt. 28.

qui crediderint, ita facta fuit Apostolis, ut eorum nomine idem promiserit illorum successoribus: ergo sicuti numquam desunt successores Apostolorum in prædicatione, ita non desunt etiam pro illis qui credant, miracula.

Qui dicat se & multos secum in eadem urbe commorantes licet in Fide Catholica natos & educatos, eique firmiter adhærentes nullum post multos vitæ annos nec fecisse nec vidisse miraculum, noverit, quod supra (n. 307.) adverti, dictum Christi non intelligendum esse de actu, sed de potentia faciendi miraculi, & quidem concessa non singulis hominibus, sed quibus convenit ad propagandam & stabiliendam fidem: adeoque ne primo quidem Ecclesiæ temporem verosimile est singulos homines & ipsas etiam mulierculas fideles fecisse miracula, & multo minus quotiescumque cuique libitum esset.

402. III. Per omnes Auctores, & ipsos etiam Adversarios primis Ecclesiæ temporibus Apostoli tot & tanta fecerunt miracula, ut Fidem Christianam in suis mysteriis altissimam, & in suis præceptis difficilem, utpote pravis inclinationibus usu jam antiquo confirmatis repugnantem, extirpata Idololatria, aut emendata morum corruptela plantaverint: ergo si miracula facta essent etiam ab illis, qui ultimis hisce sæculis in ignotis olim Orientalibus & Occidentalibus terræ plagis veræ religionis ignorantia, & simili morum barbarie aut pravitate laborantibus eamdem fidem plantarunt, ea vera esse ex eadem ratione facile intelligi posset. Atqui facta revera esse prædicant passim illorum temporum Auctores, & Historici ex optimis monumentis quæ citant: ergo ultimis etiam hisce sæculis facta sunt miracula.

403. IV. Caussæ finales miraculorum supra indicatæ sin minus semper, saltem frequenter adsunt, illa præsertim de commendatione sanctorum qui vivant vel mortui jam sint, de quibus scriptum jam fuit, (1) *Dabo vos in nomen & in laudem omnibus populis terræ*: Et alibi, (2) *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*: ergo erunt etiam sin minus semper, saltem frequenter harum caussarum effectus miracula.

V. Deus fecit miracula tum in Lege Naturæ, tum in Lege veteri quamdiu durarunt, ut demonstratum est superioribus propositionibus: ergo faciet & in Lege nova seu Christiana quamdiu durabit. Hoc argumentum exornat Richeome (3), cujus consequentia probatur, quia operatio miraculorum est inter privilegia concessa veræ Religioni, & inter proprios ipsius characteres. Quare non solum sine

(1) Soph. c. 3. v. 20.
(2) 1. Reg. c. 2. v. 30.
(3) Rich. Discon. des Miracl. c. 29.

ſine ulla ratione negatur Eccleſiæ Chriſti, ſed etiam contra omnia argumenta, quæ probant Deum voluiſſe, ut hæc Eccleſia ceteras ſibi antecedentes tanto in omnibus præſtaret, quanto corpus umbræ & exemplar imagini.

404. VI. Ideo præſcindendo a Revelatione extante in Bibliis miracula Chriſti negari non poſſunt, quia innituntur permultis teſtibus de viſu, ex quibus incipit traditio, quæ uſque ad nos devenit: Sed idem dici poteſt de miraculis poſteriorum temporum uſque ad hæc noſtra: ergo hæc pariter negari non poſſunt. Major declaratur, quia traditio de miraculis Chriſti, quæ ad nos uſque devenit & illa quæ eſt de miraculis poſteriorum temporum non differunt inter ſe, niſi in eo, quod prima univerſalior eſt quam ſecunda, quemadmodum oportuit; Nam Chriſtus eſt Auctor Eccleſiæ, & homo ſimul & Deus: ceteri autem etiam Sancti membra Eccleſiæ, & homines dumtaxat, ideoque ſicuti nemo poteſt eſſe in Eccleſia, qui Chriſtum non agnoſcat, & adoret, ita neceſſe erat, ut notitia miraculorum, quæ ſunt argumenta dignitatis Chriſti omnem omnino terram pervaderent: contra vero quoniam perfecta ignorantia de eo, quod hic vel ille homo ſit vel non ſit in hac Eccleſia, ejuſque leges religioſe cuſtodiat vel impie contemnat, neminem ab ipſa Eccleſia excludit, ideo longe minus univerſaliter diffunditur cognitio miraculorum, quæ ad fines iſtos particulares reducuntur.

ARTICULUS II.

Argumentum a poſteriori pro propoſitione.

405. HOc argumentum deſumitur ex miraculis communiter admiſſis tamquam veris apud doctos Catholicos, qui habent tam quam fabuloſa vel incerta omnia, quæ Auctores Critices ignari pervulgarunt. Itaque ſic arguitur. Si miracula hiſtoriæ eccleſiaſticæ uſque ad noſtra hæc tempora, quæ a doctis Catholicis ut vera admittuntur ſunt falſa, hoc erit vel quia habent aliquid quod involvit contradictionem vel quia nihil habent, quod ſuperet vires creatas ſaltem Dæmonum, vel quia innituntur teſtimoniis hominum aut ſtolidorum aut mendacium aut nimis credulorum circa ea, quæ conferrent ad Religionem quam profitebimur: Sed contradictio non oſtenditur, notæ omnes veri miraculi in illis reperiuntur, eorumque teſtes ſunt, qui ea vel experti ſunt, vel ſuiſmet oculis viderunt; & quidem multi & aliquando integræ urbes: atque in his numerantur frequentes authores Pagani oſores Chriſtianæ Fidei, qui ea non negant, ſed tribuunt arti magicæ, quaſi vero Diabolus vel-

vellet destructionem regni quod supra hanc terram sibi usurpaverat ipsemet urgere & conficere : Sunt etiam Viri omni exceptione maiores, tum quia ad regimen Ecclesiæ destinati & incumbentes habent pro huiusmodi circumstantiis (1) *sermonem sapientiæ scientiæ & discretionem spirituum* : tum quia etiam per Adversarios sunt insignes perspicacia & probitate, ut S. Athanasius, qui describit miracula S. Antonii in ejus vita, quam ipsi iure tribui propugnat Belarminus (2) : Et S. Jo. Chrysostomus qui (3) alia commemorat habita per reliquias S. Babilæ, & iterum iterumque illud quod accidit in S Romano Martyre, (4) qui excisa a Tyranno lingua expeditius loquebatur quam antea, ut narrat etiam Eusebius Cæsariensis (5) : Et S. Hilarius Pictaviensis (6), ac Cyrillus Hierosolymitanus (7), qui de aliis testantur, quæ per reliquias & sanguinem martyrum obtinebantur : Et S Gregorius Nazianzenus, qui de miraculis (8) per reliquias S. Cypriani Antiocheni patratis meminit, & alibi de pluribus Sanctis nominatim laudatis dicit (9) *ab his Dæmones propelluntur & morbi curantur, horum sunt apparitiones & prædicationes, horum sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur sive honorentur, horum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora*. Et S. Ambrosius, qui (10) multa refert prodigia ad contactum reliquiarum SS. Naboris & Felicis, Gervasii & Protasii Martyrum. Et S. Augustinus (11) de illis loquens, quæ in translatione reliquiarum S. Stephani facta fuerunt. Et Victor Uticensis Episcopus, qui libro tertio *de Persecutione Vandalica* suorum temporum narrat se novisse, qui recisa tunc lingua adhuc prompte loquebantur. Et S. Gregorius Turonensis, qui librum unum de miraculis S. Juliani, & quatuor de illis S. Martini nobis reliquit.

406. Et S. Gregorius Magnus (12) qui de illis meminit, quæ ad sepulcrum SS. Processi & Martiniani contingebant, aliisque impetratis (13) a SS. Joanne & Agapeto Romanis Pontificibus, & Augustino Angliæ Episcopo cum suis sociis (14), Nec sit qui minoris hæc habeat, quia sunt in libris Dialogorum, de quibus dubitatum est an sint S. Gregorii ; Nam dubitatio sublata iam fuit a Card. Baronio (15), a Natali Alexandro (16) & a Bellarmino de Scriptoribus Ec-

(1) Corinth. c. 12. v. 8.
(2) Bell. de Script. Ecclesiar. S. Athanasius
(3) Chry. l. de S. Babyla
(4) Orat. 43. & 48.
(5) Eus. de Resurrectione, ex edition. Sirmundi
(6) S. Hil. advers. Constantium
(7) S. Cyr. Catech. 10.
(8) S. Greg. orat. 18.
(9) Id. Orat. 1. in Julianum.
(10) S. Ambr. serm. 9.
(11) S. Aug. de Civi. l. 22. c. 8.
(12) S. Greg. hom. 33.
(13) Id. Dialog. l. 3 c. 2. & 3.
(14) Id. l. 1. epist. 58.
(15) Bar. notæ ad Martyrol. ad 23. Dec.
(16) Alex. Hist. Eccles. sæc 6. c. 4. ar. 16.

Ecclesiasticis juxta auctam ejusdem editionem. Et Asterius de illis, quæ (1) accedentes tumulo S. Phocæ Martyris reportabant. Et S. Cummianus natus sæculo sexto, qui in epistola ad Segienum Abbatem Hyensem apud Usserium (2) dicit, *Vidimus oculis nostris puellam cæcam ad has reliquias oculos aperientem, & paralyticum ambulantem*, quæ sunt aliqua testimonia pro miraculis primorum sæculorum, quibus addo illud Eusebii Cæsariensis authoris sæculi quarti, qui dicebat (3) *Ecclesia in nomine Jesu Christi in dies singulos multa miracula ad Gentium utilitatem efficit, & neque quemquam dolo & fallaciis deludit*.

407. Miracula autem posteriorum temporum testantur sinceri Historici, etiam Protestantes, ut Baldæus, qui in sua Historia Indica meminit de illis S. Fancisci Xaverii, quemadmodum pariter faciunt Richardus Halkuit in Volumine II. partis secundæ de præcipuis Anglorum navigationibus, & Tavernier in collectione variarum relationum singularium. Testantur quod longe pluris est Episcopi, quorum jam approbatio ex decreto Concilii Tridentini, de quo inferius redibit sermo, requiritur ad promulgationem novorum miraculorum, quæ scilicet per eos fiant, quibus sedes Apostolica cultum jam concessit, quam non dant nisi juris ordine servato, & auditis Theologis & Doctoribus earum facultatum, quarum objectum forte sit propositum miraculum, & omnibus perpensis juxta severiores Critices regulas, quibus ipsi omnium optime uti possunt, utpote qui instructi jam aliunde sunt de fraudibus hypocritarum, nec malitiam incredulorum ignorant.

408. Omnium hujusmodi circumstantiarum aggregatum legi potest in miraculo sincere descripto etiam in Monumentis Trevoltianis quod Fani contigit anno 1726 in nobili Virgine e Comitibus de Montevecchio per B. Aloysium Gonzagam natum 9. Martii an. 1568, & 21. Junii extinctum ann. 1591. in obsequio contagiosorum, & titulo Beati a Paulo V. insignitum anno 1605, cujus tunc Caussa Canonizationis prope suum terminum erat, cum promulgatum jam esset decretum, quod constaret de miraculis ad hunc effectum, quem consequuta est a Benedicto XIII. ultima die ejusdem anni 1726. Mentio facta decreti de miraculis, quod præcedit solemnitatem Canonizationis, aliud pro nostra propositione argumentum in mentem revocat, approbationem miraculorum, quæ fit a Summis Pontificibus per occasionem Beatificationum & Canonizationum, sed ut melius ipsius robur appareat in sequenti propositione distinctius ipsum proponam.

409. Mi-

(1) Ast. hom. in S. Phocam.
(2) Uss. Epist. Hibern. epist. 11.
(3) Eus. Demons. Evang. l. 5. c. 7.
(4) Trev. ann. 1725. ar. 65.

409. Miraculum anniversarium quod habetur in Ecclesia Catholica tamquam specimen multorum, de quibus meminit Sylvester Petrasancta in sua Thaumasia sub titulo *De Miraculis perpetuis* non omittam, de S. Januario Beneventano Episcopo, & sub Diocletiano Martyre apud Puteolos in Campania, cujus sanguis ut verbis utar Breviarii Romani, *in ampulla vitrea concretus, cum in conspectu capitis ejusdem ponitur, colliquefieri & ebullire perinde atque recens effusus ad hæc usque tempora cernitur*. Quæ contra hoc commentus est Petrus Molinæus (1) dissiparunt jam multi, qui præter citatum Petrasanctam de eo scripserunt, ut Fortunius Licetus (2), Card. Gotti (3), Lambertinus (4) & Bollandistæ ad diem 19. Septemb. post Jo. Dominicum Putignanum, qui copiosum opus edidit *De redivivo Sanguine Divi Januarii*.

410. Alia miracula ubertim colligentur ex Bullis Romanorum Pontificum decernentibus sacros honores alicui jam defuncto post adhibitas omnes exactiores humanæ prudentiæ regulas, & imploratum Divinum impulsum ad earum promulgationem. Una ex his est Bulla pro Canonizatione S. Francisci Xaverii data ab Urbano VIII. anno 1623. 8. Idus Augusti, in qua meminit de prophetiis de admirabilibus conversionibus de perquammultis diversi generis miraculis. Quare videas ignorantiam Increduli, qui apud Bergierium (5) & Nonnotem (6) tantam miraculorum multitudinem, quæ S. Xaverio tribuuntur, nullo opportuno fundamento inniti significat, & insipientiam Scriptoris Dictionarii Auctorum Ecclesiasticorum, qui agens de editis hujus S. Epistolis dicit (7) *in iis non agi de tot incredibilibus miraculis, quæ Auctores eius vitæ ipsi tribuerunt*. Eadem Bulla expresse meminit de dono linguarum, quod huic Apostolo alius Incredulus negat apud eumdem Nonnotem (8) quasi præter alia argumenta illud desit maxime evincens, quod aliter non potuisset intra spatium annorum decem Evangelium apud Gentes tot diversarum linguarum prædicare, quot Indias componunt, quarum Apostolus nuncupatur: Et etiam meminit de tribus mortuis ad vitam revocatis, dum adhuc viveret, qui proinde optimo jure commemorabantur in Martyrologio Romano quod in usu erat ante illud, quod ex decreto Benedicti XIV. jam legitur, in quo deficit hæc commemoratio. Alias similes Bullas ordinatim nominat Brancatus (9), incipiens ab illa Joannis XV. pro S. Vldarico, & in illam defi-

(1) Mol. Vates Calvinia. l. 5. c. 14.
(2) Lic. De secundo quæsit. per epist. c. 45.
(3) Gott de Vera Eccles. t. 1. c. 4. n. 38.
(4) Lam. ubi alias c. 31. n. 10.
(5) Ber. Apolog. p. 4. pag. 243.
(6) Non. Dict. tit. Christianisme. ar. 6. n. 23.
(7) Dict. ar. Francesco Saverio.
(8) Non. Dict: ar. Miracles. entr. 4.

desinens Clementis X. quam dedit in Canonizatione SS. Cajetani, Philippi Benitii, Francisci Borgiae, Ludovici Bertrandi, & Rosæ Limanæ.

411. Ex Actis Sanctorum a Bollandistis collectis (1) *per singulos anni dies, & superiora usque ad Christum sæcula, infinita deprehendimus miracula*, dixit jam olim Garmannus (n. 397.) qui etiamsi ex aliorum relatione tantummodo acta illa noverit, judicavit tamen pro sua sapientia & æquitate non esse illis credendum: cui prælusit Stillingfleetus, quem ipsius impugnator E. VV. admiratur (2), quonam consilio Hagiographos istos contemnat, & simul fateatur eos rem totam juxta omnes Critices regulas pertractasse. Si dixisset pleraque miracula, quæ in his Actis, aliisque similibus reperiuntur, non esse hujusmodi, ut supra illa possit fundari Decretum Canonizationis eorum, quibus ea adscribuntur, nihil esset reprehensione dignum; Nam ut inferius ostendam miracula, quæ inserviant Canonizationibus, opus habent pluribus testibus de visu & juratis, cujusmodi non sunt communiter, quæ in Sanctorum vitis afferuntur. Quoniam tamen his veritatis characteribus a jure requisitis in hujusmodi caussis agendis ea carent, non proinde inter fabulas sunt numeranda aut somnia, sicuti fabulæ non habentur ceteræ de aliis rebus historiæ. Porro laudati de Actis Sanctorum Auctores, Bollandistæ vulgo appellantur a Jo. Bollando mortuo anno 1665 ætatis sexagesimo nono, qui ex hujusmodi actis, quæ jam colligere coeperat Heribertus Rosvveidus, primus in publicam lucem emisit, quæ pertinent ad Ianuarium & Februarium: de reliquis bene meriti sunt ejusdem successores Enschenius, Papebrochius, alique, quorum opera habemus acta Sanctorum usque ad totam diem 7. Octobris, quod ego sciam, comprehensa tomis quadraginta novem majoris moduli.

412. Qui hæc Acta consulat, confirmabit & augebit in immensum, quod Richeome (3), Bellarminus (4), & Brancatus (5) ordinatim quidem, sed breviter ostenderunt singula Catholicæ Ecclesiæ sæcula frequentibus miraculis illustrari, cum hoc duplici discrimine, quod pauciora sint post stabilitam Religionem & minus nota: pauciora quidem, quia inquit S. Augustinus (6) *necessaria fuerunt priusquam crederet Mundus. Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, quod mundo credente non credat*: minus autem nota, quia ut idem ibidem ait *Canon Sacrarum literarum*, quem

(1) Gar. de mirac. mortuo. sec. 2. § 14
(2) E. VV. A discour. of. miracl. c. 8. n. 6.
(3) Rich. Discou. des miracl. c. 26.
(4) Bell. de Conci. & Eccl. l. 4. c. 14.
(5) Bra. de Mirac. a n. 204.
(6) S. Aug. de Civi. l. 22. c. 8.

quem diffamatum esse oportebat, illa primitivæ Ecclesiæ *facit ubique recitari: hæc autem ubicumque fiunt, ibi sciuntur vix a tota civitate ipsa vel quocumque commanensium loco; Nam plerumque ipsa paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit Civitas.*

413. Addit S. Isidorus, quod (1) antequam *Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia magna cessabunt, ut per hoc Sanctorum clareat patientia, & reproborum qui scandalizabuntur levitas ostendatur.* Idem ante ipsum docuit S. Gregorius Magnus, (2) *Quia Antichristus priusquam manifestus & conspicuus veniat, ex magna parte in Ecclesia signa virtutum cessant, recte nunc dicitur,* (3) Ante faciem ejus præcedet egestas, *ante enim a fidelibus miraculorum divitiæ subtrahentur, & tunc antiquus ille hostis per aperta prodigia ostendetur, ut quo ipse per signa extollitur, eo a fidelibus sine signis robustius laudabiliusque vincatur. Quamvis etiam fidelibus in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius, ut nostrorum aut pauca aut nulla videantur.* Horum doctrina videtur eruta ex prophetia de seductione hominum tam violenta sub finem Mundi per falsa miracula Antichristi, (4) *ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi, & nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*, quia scilicet non erunt tunc, quæ illis opponantur paria ex veris miraculis, nisi quæ electi firmiter credent juxta Sacræ Scripturæ testimonia.

ARTICULUS III.

Obiectiones ex Authoritate:

414. I. Obiicitur S. Jo. Chrysostomus sæpe negat post tempora Apostolorum fieri miracula. Ita expresse quærens, (5) *quare signa nunc cessarunt?* respondet, quia *nunc utiliter non fiunt*, præmonens primis Ecclesiæ temporibus ea utiliter facta fuisse, *ne ex eo, quod nunc signa non fiant, argumentum ducas, tunc etiam non fuisse.* Alibi interrogantibus, (6) *Cur non sunt* nunc etiam *qui mortuos suscitent, & curationes peragant?* non respondet decipi aut mentiri sic loquentes, vel cæcos aut indociles esse, sed tamquam justissime rogantibus respondet, *quando oportebat plantari fidem, erant multi hujusmodi: nunc autem non vult nos pendere ab his signis.* Tandem de suis temporibus ait (7) *Hodierni homines omnes simul ce-*

(1) S. Isi. de summo bono c. 25.
(2) S. Gre. Moral. l. 34. c. 3. n. 7.
(3) Iob. c. 41. v. 12.
(4) Matth. c. 24. v. 22. & 24.
(5) Chry. hom. 6. in 1. Corinth. n. 2.
(6) Id. hom. 8. in c. 3. ad Coloss. n. 5.
(7) Id. de Sacerd. l. 4. c. 4. n. 6.

coacti infinitis tum precibus tum lacrymis numquam tantum possunt, quantum olim Pauli semicinctia potuere.

Resp. *nego assumptum*, quod nuper affirmavit Dictionarium Philosophicum Increduli apud Nonnotem (1). Quæ obiiciuntur habent alium sensum ab illo, in quo mala fide ea urget Stillingfleetus apud E. VV. (2); Nam in primo ex objectis locis solum negat S. Chrysostomus esse nunc coetum ullum hominum, qui habeat habitualem, & quasi ordinariam potestatem faciendi miracula, qualis fuit in duodecim Apostolis, quorum singulis Christus Dn (3) *dedit potestatem Spirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*: quod optime componitur cum eo, quod multi in Ecclesia Catholica faciant identidem miracula pro opportunitate temporum Deo nota, & per potestatem temporariam ac ut ita dicam transeuntem. In secundo autem testimonio uniformiter ad modo dicta excluditur dumtaxat esse adhuc, qui miracula faciant per potestatem sibi immanentem adeoque frequentissima. Ibi enim eos reprehendit, qui in morbis vel filiorum vel propinquorum vellent patere recursum ad aliquem qui sicuti Christus & Apostoli statim illos sanaret. In tertio tandem loco insectatur Sacerdotes sui temporis, qui negligebant studia, & illud etiam eloquentiæ tam necessarium ad instruendum & dirigendum in Christianis moribus vulgus, exemplo Pauli abutentes, qui se (4) *imperitum sermone* profitetur, ostendens illum fuisse virum Sanctissimum Divina inspiratione loquutum, & ordinaria potestate faciendi miracula præditum, quorum nihil illi habebant.

415. Explicationes hujusmodi, quas esse genuinas, scopus S. Doctoris suadebit illum legenti, confirmant ea ejusdem testimonia, quæ multa congeri possent, in quibus non solum affirmat, sed prætera demonstrat fieri etiam nunc miracula. Memini supra (n. 405.) de iis, quæ sermonem habens de S. Babyla Anthiochenæ Ecclesiæ Episcopo & Martyre commemorat ipsius illustria miracula, quorum ipse & populus universus quem alloquebatur, testes erant: Ubi notanda est hæc generalis ejusdem professio (5) *Miracula a Sanctis Martyribus quotidie edi*. Hic addam, quod explicans illud Psalmi *Memoriam fecit mirabilium suorum* sic habet, (6) *Numquam miracula facere intermisit. Hoc enim est memoriam fecit, non cessavit non destitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles*

 exci-

(1) Non. Dic. Philos. art. Miracl. 4. entret.
(2) E. VV. A discou. of miracl. c. 9.
(3) Matt. c. 10. v. 1.
(4) 2 Corinth. c. 11. v. 6.
(5) Chry. de S. Babyla n. 12.
(6) Id. in Psal. 90. n. 4.

excitare crassiores: quod declarat innuens plura nota miracula non solum primorum temporum, sed suæ etiam ætatis.

416. II. Obiicitur. Auctor Operis imperfecti in Matthæum, quod inter opera S. Chrysostomi habetur, sic ait, (1) *Volens quis cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Item antea & per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani, & qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est, magis autem & apud eos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta*.

Resp. hunc auctorem non posse attendi, utpote qui pluribus scatet hæresibus, & etiam contradictionibus, ut docebunt, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt. Quare nihil curandum de ejus in hac re sententia.

417. III. Obiicitur. S. Augustinus (2) asserit Deum noluisse ut miracula perseverarent usque ad sua tempora: ergo neque nostris temporibus fiunt miracula.

Resp *dist. ans*, & illud asserit de quibusdam determinatis miraculis *conc.* de omnibus *nego ans & consequ.* Augustinus ipse in libris retractationum hanc ad locum objectum explicationem dedit, (3) *Verum*, inquit, *est quidem non nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium: sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi ad Mediolanensium corpora martyrum cæcum illuminatum jam noveram, & alia, qualia multa etiam istis temporibus fiunt*, idemque alibi ut supra (n. 405.) vidimus repetit. Quod autem primis solum Ecclesiæ temporibus concederetur tam illustre miraculum, allapsus Spiritus Sancti evidens ex effectibus, ratio est quia sub initium Ecclesia Christi carebat universitate & antiquitate, quæ sunt duæ notæ, quibus jam veritas catholicæ religionis dignoscitur: (4) *Accepimus* inquit S. Augustinus *majores nostros eo gradu quo a temporalibus ad æterna conscendimus, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse, per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt*.

418. Eadem responsio convenit eidem obiectioni, quæ ex S. Gregorio renovatur, propterea quod ille hortatur (5) Auditores suos, ut firmi sint in Fide Christiana, etiamsi non faciant ipsi ea signa, quæ a primis fidelibus operabantur. Qui hunc obiiciant, vel non le-

(1) Auc. hom. 49. in Matt. Oper. Chrysosto. 6. juxta Maurinos
(2) S. Aug. de Vera Relig. c. 29.
(3) Id. Retr. l. 1. c. 13.
(4) Id. de Vera Relig. c. 25.
(5) S. Greg. hom. 29. in Evang.

legerunt, quæ Idem in Dialogis & homiliis recenset sui temporis miracula supra (n. 405.) commemorata, & quod non semel in epistolis significat se misisse ad diversos (1) *clavem a S. Petri Apostoli corpore, quæ super agros multis solet miraculis coruscare; Nam etiam de ejus catenis interius habetur*: vel pro sua in sola impietate constantia, quem antea ut sui erroris patronum celebrabant, nunc credulitatis accusant.

Nec diverso modo responderi debet iis quæ similiter ex Tostato fraudulenter proposito obiiciuntur. Ille enim, quia cessasse dicit (2) in Episcopis & Fidelibus ordinariam potestatem faciendi miracula, nec amplius videri in receptione Baptismi, quæ olim videbantur miracula, citatur tamquam negans ulla fieri post tempora Apostolorum miracula, etsi aperte ibidem multa ultimis etiam temporibus facta miracula fateatur:

419. IV. Obiicitur iterum S. Augustinus, qui (3) postquam multa enumeravit miracula, quæ videbant homines tempore Christi, pro certo habens ea amplius non fieri, quærit *cur ista modo non fiunt?* Cujus quæsiti solutionem hoc quidem loco hanc affert, *quia non moverent nisi mira essent, at si solita essent, mira non essent*: alio vero in loco hanc aliam affert, (4) *quia illa fecit ut invitaret ad fidem*. Alibi tandem fatetur non fieri miracula in Africa, quæ alibi dicebantur fieri, (5) *Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est: Et tamen numquam hic scimus talia fieri*.

Resp. ipsum S. Doctorem in Retractationibus advertere se in primo ex obiectis locis ita loquutum esse, (6) *quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo miracula*. Quod etiamsi non animadvertisset, planum fecerat paulo post in eodem Libro *de Utilitate credendi* confitens miracula quamplurima facta semper fuisse (7) *pro temporum opportunitate*. Eadem interpretatio sponte sese offert, quando alibi audimus excludere miracula, quibus Christus invitavit ad fidem, hoc est excludere dumtaxat primævam & quasi quotidianam eorum multitudinem. Quod spectat ad locum ultimo oppositum ille ibidem negat solum fieri in Africa ea miracula, quibus *non sana alicujus conscientia aperitur, & ad confessionem vel poena vel timore compellitur*: alterius autem generis miracula bene multa in eo ipso loco, quem nuper citatum Increduli Dictionarium affert pro hac obiectione non solum fatetur (8) in Africa suis temporibus accidisse, sed eadem narrat, prædicat, multorum testem se fuisse oculis

(1) Id Epist. 29. & 30.
(2) Tost. in c. 3. 9. & 10. Matth. q. 12. Et in 9. Levit.
(3) S. Aug. de Utilit. crede. c. 16.
(4) Id de Verb. Dni. ser. 8 8. alias 18.
(5) Id Epis. ad Clerum Hippon. 137 ante medium.
(6) Id. Retr. l. 1. c. 16 n. 5.
(7) Id. de Uti. cred. c. 17.
(8) Id. de Civi. l. 22. c. 8.

lis dicit fuisse, in eosque ibidem irascitur, qui ea quæ in se ipsis acciderunt, paucis nota esse passi fuerunt. Atque ex his aliqua ad Critices regulas examinans Auctor Artis cogitandi, concludit (1) illa prout a S. Doctore narrantur contigisse, non posse a quoquam sine nota stultitiæ in dubium revocari. Huc accedit, quod de aliquibus illorum non semel tantum meminit Augustinus, sed diversis in locis citatis a Coquæo in notis ad libros de Civitate Dei (2). Quare plusquam inconsiderate de iisdem dixit Jaquelotius (3) *ut libere dicam opus est esse nimis credulum ut ea credantur*.

420. V. Adhuc S. Augustinus obiicitur. Ejus doctrina est Prophetas extitisse a Samuele usque ad reditum Israelitarum de Babilonia, (4) *Tempus*, inquit, *ex quo S. Samuel prophetare coepit, & deinceps donec populus Israel captivus in Babilonia duceretur, atque inde post 70 annos reversis Israelitis domus Dei instauraretur, totum tempus prophetarum fuit*: ergo hoc saltem miraculum Prophetia non est omnis temporis nec hujus temporis.

Resp. *nego ans*, pro quo ea verba S. Doctoris contra ipsius mentem accipiuntur, quæ ut ipsemet inferius exponit, est, Prophetæ nomen per excellentiam quamdam tribui illis, qui intra prædictum tempus extiterunt. Nam ibidem hæc habet, *Quamvis Noe & alios supra & infra usque ad hoc tempus non immerito appellare possumus prophetas, quia præsertim nonnullos eorum sic expressim legimus nuncupatos, sicut Abraham, sicut Moysem, tamen dies prophetarum præcipue maximeque hic dicti sunt, ex quo coepit prophetare Samuel*. Negato antecedenti cessat consequentia, quam ceteroqui falsam esse omnibus compertum est, inquit Lambertinus (5), qui de pluribus ultimorum temporum prophetiis meminit per rigidas judiciorum vias comprobatis.

Articulus IV.

Objectiones ex vi Imaginationis.

421. Obiicitur. Homines saltem aliqui per solam imaginationis suæ vim possunt in se & in aliis producere graves ægritudines & repentinam etiam sanitatem: ergo nulla vel vix ulla ægritudo ac sanatio potest affirmate statui esse miraculum. Antecedens quantum ad morbos, qui in ipso imaginante fiant, probatur. S. Thomas (6) admittit per imaginationem fieri posse ut mo-

(1) Art. de penser. p. 4. c. 13.
(2) Coq. not. in l. 22. c. 8.
(3) Jaq. Exist. de Dieu. Dis. 4. c. 7.
(4) S. Aug. de Civi. l. 17. c. 1.
(5) Lam. de Beatif. l. 3. c. 47.
(6) S. Th. q. 6. de mirac. ar. 3. ad 7.

motus cordis & spirituum varietur, atque ita morbus aliquis excitetur. Idem docent Gaspar a Reies (1), Thomas Fienus (2), & alii: qui exemplum etiam producunt celebre de hominibus, qui usque ad hæc nostra tempora maxime per Pannoniam lenta tabe miserabiliter interibant, quia sibi sanguinem exsuctum a Vampiro aliquo imaginabantur, quem visi sunt videre sibi per concubiam noctem hoc malum inferre. In particulari extat Francisci Petrarchæ sententia circa stigmata S. Francisci quod ea fuerint effectus imaginationis, quatenus (3) *cum Christi mortem jugi & valida meditatione in se jamdudum animo transtulisset, & cruci affixus ipse sibi cum Domino videretur, tandem ab animo in corpus veram rei effigiem pia transtulit opinio*: Eodemque modo de hac re censuit cogitandum Petrus Pomponatius celebris Professor in Academia Bononiensi natus Mantuæ anno 1462, quem Xaverius Bettinelli in suis Italicis sermonibus, *De literis & artibus Mantuanis* a nota incredulitatis ipsi communiter etiam dum viveret inusta egregie juxta Ephemerides Literarias Romanas (4) nuper vindicavit.

422. Quantum vero ad morbos in aliis per imaginationem productos probatur ex frequentibus historiis de fascinationibus, & de monstrosis partubus ex vitio in illis producto a matrum phantasia. Horum specimen sit juvenis, qui referente Malebranchio (5) vivebat suo tempore in Nosocomio Parisiensi habens ab ortu brachia & crura ibi fracta, ubi reis frangi solent utique ex imaginatione matris, quæ cum illum in utero gestaret, voluit huic supplicio interesse. Alia dabunt Theophilus Raynaudus (6), Marcellus Donatus (7), Schenkius (8), Jo. Melchior Verdries (9) præter citatos paulo ante Rejem, & Fienum & alios.

423. Quantum vero ad sanitatem ab imaginatione productam probatur, tum quia si phantasia potest morbos inducere saltem in imaginante, non videtur negari posse, quod possit etiam curare, quando nondum organa destructa sint: tum quia multæ occurrunt historiæ de similibus sanationibus apud nuper citatos Donatum & Verdriem. Satis sit illud comemorare, quod Michael Medina sic refert (10) *Vidi ego Salmanticæ pueri cujusdam attactu, qui gratiam sanitatum habere credebatur, e vulgo plures gravissimis morbis levatos*, vi scilicet hujusmodi illorum fidei ac imaginationis: tum quia ita passim docent præstantissimi Philosophi. Ludovici Muratorii sunt quæ se-

(1) Rei. Jucund. qu. q. 11.
(2) Fie. de virib. imagin. q. 10.
(3) Pet. Senil. epist. l. 8. epis. 3. ad Thomam del Garbo.
(4) Efe. ann. 1775. n. 43.
(5) Mal. de Inquis. verit. l. 2. c. 7.
(6) Ray. Oper. to. 17. Centur. hist. §. 33.
(7) Don. de Medica histor. l. 2. c. 1.
(8) Sch. Obser. Medic. l. 4. de Gravidi.
(9) Ver. de æquilibr. ment. & corp.
(10) Med. Christ. paren. l. 2. c. 7. §. Sed. In quantum

ſequuntur ex Italicis Latine reddita, (1) *In ſanationibus etſi momento temporis contingentibus non eſt ſtatim exclamandum, Miraculum. Sola phantaſia commota vehementi deſiderio vel ſpe recuperandi valetudinem concipiens adeſſe auxilium ſupernaturale Dei Omnipotentis,& interceſſionem alicujus ex ſuis ſervis, naturaliter apta eſt ad impellendos ſpiritus animales per ductus glandulas & poros corporis antea aliquo modo obſtructos & impeditos, ita ut reddita fluidis debita circulatione organa corporis ſuum ſingula munus expedite exequantur.*

Similia dicunt Jo. Gaſpar VVeſtfalius (2), Honoratus Faber (3) Regnault (4), Tozzius (5) & ante hos Franciſcus Picus nepos Ioannis Pici Comitis Mirandulæ, qui duos libros de imaginationis effectibus ſcripſit, & alii nominati a Martino del Rio (6). Quibus omnibus præeſt Avicenna, qui docuit referente Lambertino (7) *poſſe animam humanam per fortem imaginationem vel intenſum affectum, alienum corpus & extra ipſum poſitum realiter tranſmutare, & quo voluerit languore conficere.* Habita hac præ oculis philoſophia dubitat Freretus (8) an quæcumque referuntur miracula expulſionis Dæmonum frequentiſſima ſub ortum Chriſtianæ Religionis, fuerint effectus imaginarii, quando quis ea nolit in fraudes & impoſturas reiicere, quemadmodum de iis, quæ noſtris temporibus fiant, generaliter credit Auctor Dictionarii philoſophici portatilis.

424. Reſp. cum citato Lambertino *tranſeat ant, & diſt. conſeqs.* Nulla ægritudo aut ſanitas ex iis, quæ dependent a ſolo ſpirituum motu, in quibus ſunt macies & tabes ex credita mortuorum apparentium malevolentia, & contractæ a foetibus imperfectiones aut deformitates ex imaginatione matrum poteſt ſtatui eſſe miraculum *conc. conſeqm*: nulla ægritudo aut ſanitas, quæ dependet ab organis vitiatis, vel ab humoribus denſatis, & alicubi importune defixis, ſtatui poteſt eſſe miraculum, *ſubdiſt.* quando fit ad breve tempus, iterum *conc.*, quando ſit diuturna, *nego conſeqm.* S. Thomas partem huius reſponſionis ſic exprimit, (9) *Imaginationi ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad alterationem, quæ eſt ſecundum calorem & frigus, & alia conſequentia, eo quod ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paſſiones, ſecundum quas movetur cor. & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem non traſmutantur ab imaginatione quantumcumque ſit for-*

(1) Mur. Filoſ. Moral. c. 6.
(2) VVeſt. Patholog. Dæmon. ar. de Imagina. virib.
(3) Fab. l. 5. de homi. appeti. prop. 49.
(4) Reg. Eutret. de Phyſi. to. 2.
(5) Toz. Oper. to. 5. ar. de viri. imagi.
(6) Rio. Diſq. Lag. l. 1. q. 3 a princi.
(7) Lam. de Beatif. l. 4. p. 1. c. ulti. n. 12.
(8) Fre. Exam des Apolog. c. 5.
(9) S. Tho. 3. p. q. 13. ar. 3. ad 3.

fortis. De reliqua responsionis parte, quæ appellat ad temporariam quamdam quasi valetudinem, cujus caussâ sit imaginatio, exemplum habemus in iis, qui per intensam mentis applicationem ad aliquid, quod sibi placeat, ut sonitum vel cantum vel lectionem, experiuntur vehementiam morbi aut dolorum aliquandiu penitus cessare.

425. Ex iis quæ in contrarium docuerint Avicenna & Pomponatius, quem Jovius (1) vocat veteratorium disputantem, non veritatis amantem, nemo jam commovetur nisi ad risum; Horum enim opinio, quam ex professò impugnat citatus Medina nititur in eo, quod puri Spiritus etiam creati ex ratione suæ perfectionis longe majoris quam sit in natura rerum materialium, habeant vim efficiendi ex materia & in materia quocumque modo & loco se habeat, quicquid velint, & etiam novas entitates, & quod propter eamdem rationem animas etiam hominum, quæ magis accedunt ad perfectionem hujusmodi spirituum participent similem virtutem, eamque efficaciorem etiam fieri, si exoriantur sub felici aliqua Astrorum combinatione & adspectu. Jam vero quot absurda in tota hac doctrina coacervantur, totidem sunt argumenta, quæ eamdem pessumdant. Ea enim supponit fieri posse, ut habeatur actio in distans, ut agens spirituale creatum efficiat entitates materiales, ut corpora cælestia influant in Spiritus, illisque communicent qualitates corporeas temere in ipsis excogitatas, ut dato etiam quod hæ qualitates in illis existerent, possint ipsæ participari ab anima spirituali, cum ea permisceri, & quasi in unum coalescere. Quæ omnia esse absolute impossibilia, planum feci in libro *de Causa efficiente*.

426. Quæ de Fascino narrantur, habent longe aliam explicationem, & caussam, quam imaginationem fascinantis, ut alibi (2) exposui. Exemplum matrum, quæ imprimunt in foetu quasi vestigia suarum imaginationum, continetur intra sphæram eorum, quæ novimus utique dependere a vi imaginationis animæ, quæ corpus sibi conjunctum potest singulariter immutare, cujusmodi sunt aliquem nulla existente caussâ præterquam in apprehensione ita tristari ut palleat contremiscat & sudet, aut ita lætari ut exultet & rideat. Exemplum autem pueri Salmanticensis ipse Medina elevat; Nam immediate post recitata verba hæc alia habet, *quamvis posteaquam imaginatio quievisset, morbi redibant*, quæ additio evertit totam vim argumenti, utpote quæ reducit rem ad illud vulgo cognitum, quod non raro accidit, ut aliqui quid possint, quia posse videntur. Ad illud Muratorii de vi Phantasiæ reddentis motum spiritibus animalibus ita ut naturaliter in instanti morbus omnis depellatur, negatur

(1) Jov. in Elogiis c. 71. (2) De Cauf. efficiente

prorſus naturaliter poſſibile eſſe, quando ſermo eſt de morbis, qui ſuum per gradus & tempus augmentum habuerunt. Sicuti enim deſtructio valetudinis ſenſim facta fuit, ita etiam & quidem a fortiori ſenſim fit ejuſdem reparatio. Sunt igitur in veris ſanationum miraculis ſui characteres, de quibus infra diſtinctius meminero, per quos dignoſcantur ab effectibus naturalibus, & ab illuſionibus imaginationis.

427. At ex Petrarcha obiiciebantur nata ex imaginatione ſtigmata S. Franciſci, quæ erant quid longe diverſum a motu humorum, ejuſque conſequentiis, ad quæ reſtringimus effectus imaginationis.

Reſp. Petrarcham alibi (1) agnoviſſe divinum quid & ſupernaturale in hujuſmodi ſignis, quandoquidem ea vocavit ſtupenda & ſacra. Alios qui idem cum ipſo abſurdum dixerunt, confutavit jam Bartholomæus de Piſis (2) obſervans ſupra vim omnis naturæ & imaginationis eſſe clavos ſive ex nervis ſive ex carne factos extare ex utraque parte manuum & pedum hominis, & vulnus in latere apertum per integros annos ſine ullo pure perdurare. Alia plura contra iſtos pro veritate miraculi in his ſtigmatibus dixerunt deinde ex profeſſo Fortunius Licetus (3), & Theophilus Raynaudus (4).

Reſtat dubitatio Frereti de Dæmoniacis eorumque ſanatione etiam pro Chriſti & Apoſtolorum temporibus. At qui negat hiſtorias quas a Sanctis Scripturis habemus, impius eſt, & qui ea negat, quæ teſtes de viſu docti & Sancti homines teſtantur, ſponte inſanit. Similes cenſuræ cum illa etiam Pyrrhoniſmi cadunt in omnes incredulos, qui nolint agnoſcere in Eccleſia perſeverantem poteſtatem in Dæmones, quemadmodum perſuadet, qui utroſque copioſe & erudite impugnavit Bergierius (5).

Articulus V.

Obiectiones contra multa miracula ex illorum levitate.

428. I. OBiiciunt Jo. Clericus (6) & VVarburton (7). In miraculis, quæ narrantur a Catholicis poſt ſtabilitam Religionem Chriſtianam non habetur ratio ſufficiens credendi illa facta eſſe; Nam Deus non derogat legibus naturæ, nec invertit ordinem Univerſi pro rebus tam parvi momenti, cujuſmodi inveniuntur eſſe multæ ex illis, pro quibus dicuntur facta miracula: ergo.

Reſp.

(1) Pet. de Vita ſolitar. l. 2. c. 11.
(2) Piſ. Conformitas Vitæ B. Franciſci ad vitam J. Chriſti
(3) Lic. de quarto quæſitis per epiſt. c. 29
(4) Ray Op. to. 13. De Stigmatiſmo.
(5) Ber. Confut. dell' eſa. c. 5.
(6) Cler Log. p. 2. c. 8. n. 14.
(7) VVar. Julian. B, 2. c. 2.

Resp. cum Buffierio (1) Clericum impugnante, *nego ant*. Ratio non solum sufficiens habetur credendi miracula, sed etiam urgens, evitare scilicet notam animi vel perversi vel imbecilli vel stolidi, qualis incurritur, quoties quis negat, quod plures testes de visu, nullo fingendi neque mentiendi motivo, sed sola evidentia & admiratione rei adacti fateantur. Ita qua fronte negare quis possit, quod Neapoli anno 1633 contigit miraculum P. Marcelli Mastrilli, qui jam proximus morti ob acceptum in capite atrox vulnus, ex improviso intercedente S. Francisco Xaverio convaluit coram tam multis, qui ipsi tunc aderant, & quem sanum vidit tota ejusdem frequens cognatio, aliique turmatim accurrentes ad illum suismet oculis inspiciendum, quem a pluribus jam diebus noverant conclamatum.

429. Ad probationem dico circumstantias, quarum occasione miracula fiant, non esse illorum caussam, sed infinitam Dei erga nos benignitatem, cujus objectum est etiam conversio unius ex infima plebe homunculi juxta illud, (2) *Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore poenitentiam agente*. Non est igitur ex parte circumstantiarum, quæ levissimæ sint, dubitandum de ullius miraculi veritate, quoties videamus per illud obtineri finem miraculi, aut augmentum Divini cultus, aut confirmationem veritatis alicujus articuli Catholicæ Religionis, cujusmodi sunt impetrari a Deo posse juxta ipsius promissionem (3) etiam miracula ab iis, qui *habeant Fidem Dei*, & pie sancteque nos venerari Beatos; quoniam per eos ad nostras preces fiunt miracula. Quod urgebant incredibile esse, quod Deus invertat ordinem universi & perturbet leges naturæ pro uno vel altero homunculo, peccat falsa suppositione, quod ordo universi & leges naturæ stent quoties medica manu plaga aut morbus curetur, ruant vero & perturbentur si Divina virtute hæc fiant.

430. II. Obiicitur. Multa, quæ Catholici narrant miracula per solam sui narrationem suadentur falsa utpote ridicula, & absurditatem præseferentia. Cujusmodi sunt magnam avium multitudinem circa S. Franciscum Assisiatem convolasse, & eo exhortante laudes Deo suo modo concinuisse: pisces circa litus Ariminense se disposuisse ad audiendam concionem, quam illis habebat S. Antonius Patavinus: Martyres aliquos capite obtruncatos illud præ manibus gestasse, quod de SS. Dionysio Areopagita, Lamberto Martyre Cæsaraugustano, Claro, Ositha, & aliis dicunt: & similia non pauca: ergo quandoquidem hæc Catholici effutiunt incredibilia, nulla illorum miracula credi possunt.

Resp. *nego ans*, quia Veritas seu certitudo facti, posito quod

(1) Buf. Remarq. sur la Logiq. du Clerc.

(2) Luc. c. 15. v. 7.

(3) Mar. c. 11. v. 23.

hoc non involvat contradictionem in suis attributis non concluditur ab his ipsis attributis sed a solitis argumentis ipsi extrinsecis, ut observat Nonnote contra incredulum (1), qui hoc modo plura miracula a SS. Patribus celebrata rejecit inter fabulas. Quæ autem exempli causa prolata sunt, male ab Adversariis traducuntur; Nam Ethnici similiter & Athei traducent aliqua, quorum Sacra Scriptura meminit, ut quod tres pueri in fornace Babylonis invitaverint singula fere genera bestiarum ad benedicendum Deo: quod Asina Baalam sit cum eo colloquuta, & de ipsius sævitia conquesta, quod pauci milites Gedeonis lagenarum fractione, & buccinarum clangore de immensa hostium vi triumphaverint: quod Samson mille viros (2) mandibula asini occiderit, & aqua egrediente ex ejusdem mandibulæ dente spiritum resocillaverit: quod (3) aquæ Jordanis se diviserint pallio ab Eliseo percussæ. Siquis diceret hæc credenda esse, quia sunt Scripturæ Sacræ, illa vero nequaquam, quia sunt authoritatis humanæ, sensum omnem auferret ab objectione, quæ ea miracula non contemnit propter authoritatem, sed propter illorum qualitatem quæ plus justo admirabilis apparet. Quare cum similis admirationis caussa inveniatur etiam in quibusdam prodigiis a Scriptura narratis, optime hoc exemplum retundit totam objectionem.

431. Cæterum non propugnabo hoc loco singulorum veritatem, quæ dependet ab examine eorum, quæ in quæstionibus facti attenduntur. Illud de Sanctis quibusdam caput sibi obtruncatum præ manibus gestantibus, fortasse non est verum, sed error quidam, quemadmodum aliqui contendunt, natus a pictoribus, qui putarunt se ingerere cognitionem de martyrii determinato modo per amputationem capitis, hoc ipsius Sancti manibus imponendo.

Articulus VI.

Objectiones ex aliis rationibus.

432. I. Obiicit Hume (4). Fides sive assensus firmus testimoniis nascitur ab experientia, & ubi testimoniis opponuntur alia testimonia, neutra pars meretur fidem, quando in illis sit quædam æqualitas, quia invicem eliduntur: & altera solum pars meretur fidem magis vel minus debilem juxta majorem vel minorem testimoniorum excessum supra alteram: Atqui miracula non subiacent nisi paucis testimoniis, & habent contra se innumerabilia testimonia: ergo miracula non merentur fidem. Prima majo-

(1) Non. dict. Phil. ar. Mirac. 4. entret.
(2) Judic. c. 15. v. 16. & 19.
(3) 4. Reg. c. 2. v. 14.
(4) Hum. Essay of miracl.

joris pars, quæ unice controverti poteſt probatur, quia quatenus frequenter deprehendimus plura ſe habere in re, ſicuti hi vel illi nobis dixerunt, aſſueſcimus aſſenſum præbere aliorum de re nobis ignota aſſertionibus. Minor probatur, quia teſtimonia pro exiſtentia miraculorum puta mortui ad vitam revocati, ſunt plerumque pauci determinati loci homines: teſtimonia autem contraria ſunt obſervationes quotidianæ omnium hominum pro quovis loco & tempore, quæ certiores nos reddunt mortuos non reviviſcere.

433. Reſp. I. cum Campbell (1) *nego mai.* & ejus probationem: Fides enim naſcitur a præſumptione veracitatis & ſcientiæ in atteſtante, non ab experientia propoſita. Hæc potius parit hæſitantiam, quippe proceſſu temporis novimus dari plus nimio multos, qui veraces non ſunt aut minus cauti in ſuis aſſertionibus. Clarum id eſt unicuique, qui advertat omnia ſtatim a ſe credita cum puer eſset, & ſolum adulto ſibi & de pluribus edocto accidiſse, ut difficultatem inveniret in credendo.

Reſp. II. *Omitto mai. & nego min.* Ad cuius probationem nego ſuppoſitum, quod evidentia de mortuis qui non reviviſcunt opponatur vel evidentiæ de aliquo ſingulari mortuo qui revixit, vel teſtimonio eorum qui ſe hoc miraculum vidiſse affirmant. Oppoſita poſtulant juxta Dialecticam idem ſubiectum in iiſdem circumſtantiis. Hoc non reperitur in his propoſitionibus, quarum altera dicit, hic homo jam mortuus revixit, altera vero dicit, homines communiter non reviviſcunt. Neque in his, Aliqui qui viderunt hominem jam mortuum ad vitam rediiſse, hoc ipſum teſtantur, & homines communiter vident mortuos ad vitam non redire.

434. Eſt præterea in ratiocinio Humes inſignis abuſus hujus nominis teſtimonium, dum modo in eodem contextu illud ſumit in ſenſu vulgari, qui proprius eſt pro affirmatione ejus, quod quis vidit aut expertus eſt, facta aliis, modo in ſenſu metaphorico pro evidentia vel pro argumento ejus, quod quis pro certo habet. Teſtimonio ſumpto in ſenſu proprio reſpondet Fides, at teſtimonio ſumpto in ſenſu metaphorico reſpondet ſcientia. Scientiæ autem non opponitur Fides ne divina quidem, nec Fidei circa unum objectum unquam opponitur ſcientia de eodem objecto, niſi ſit idem non ſolum in genere, ſed etiam in individuo. Hume cauſam actus fidei, & cauſam actus ſcientiæ per idem vocabulum teſtimonii exprimens ſe ipſum decipit, vel alios tentat decipere, dum dicit non credendum eſse mortuum revixiſse iis, qui hoc quantavis affirmatione teſtantur, nec ſibimet, qui hæc aliquando viderit, quia contra hoc teſtimonium particulare militant innumera alia teſtimonia de mor-

tuis

(1) Cam. A differt. on Miracl. p.1. ſec.1.

tuis non resurgentibus. Qui hanc philosophiam sequatur, profecto personam sponte insanientis apud cæteros sustineat necesse est. Quis enim nisi mente captus vel negabit vel dubitabit de ruina alicujus ædificii, quam nunc primo videt, quia alias millies hoc ædificium stare contemplatus est, dicens se non posse aliter sentire, quia pro hac ruina non habet nisi unum aut alterum testimonium, aut satis pauca, quæ millenis oppositis obruuntur? Videri potest contra huiusmodi ratiocinia Philosopho indigna non solum citatus Campbell, sed etiam Diarium Literatorum Pisanum (1).

335. II. Obiicitur a J. J. Rousseau apud Bergierium (2). De miraculis Sanctorum, quæ ad nostram notitiam non perveniunt nisi per attestantes, non habemus nisi demonstrationes morales: Sed *Demonstrationes morales juxta omnes qui sapiunt satis sunt ad credenda facta quæ sunt possibilia moraliter* hoc est naturaliter, *non vero facta quæ sunt possibilia supernaturaliter*, cujusmodi sunt miracula: ergo hæc non sunt credenda. Minorem quæ concessa majori negatur sic probat: Catholicus iis, qui sibi narrarent vidisse se hominem, qui certo hæreticus objerat, iterum vivere in eadem hæresi, responderet, *novi equidem duos vel tres probos homines & sapientes posse esse testes sufficientes pro vita & morte alicujus, sed nondum novi quot opus sit testibus pro admittenda resurrectione hæretici*. ergo.

Resp. *nego ans*, quod nemo qui sapiat, proferet; Nam resurrectio hominis tam certa est, quam certa sunt ejus mors præterita ejusque vita præsens. Quare qui concedit duos vel tres testes satis esse pro vita & morte alicujus, concedet etiam satis esse pro resurrectione, utpote quæ est consequentia necessaria præteritæ mortis & præsentis vitæ, quæ ambo juxta ipsum in fide testium idoneorum duorum vel trium credi debent. Videri potest in hanc rem Auctor dissertationis *de Certitudine facti* in Encyclopædia, ubi ex professo ostendit demonstrationem moralem quæ satis est pro effectibus naturalibus, satis esse etiam pro supernaturalibus.

436. III. Obiicit Stillingfleetus apud E. VV. (3). Miracula, quæ de aliquibus Sanctis Ecclesiæ Romanæ narrantur, numerosiora sunt illis, quæ de Christo ipso & Apostolis narrantur: ergo falsa sunt.

Resp. I. *Omitto ans, & nego conseqm*, quæ ex illo non sequitur. A Deo enim sunt miracula, qui prout sibi rerum omnium Domino libeat, ea potest efficere. Hæc quoties nobis certa fiant, necesse est ea fateamur, & admiremur, quocumque in numero sint, sive plura, sive pauciora uno tempore, quam alio.

Resp. II. *nego ans*. Nam habemus in Scripturis formulas genera-

(1) Giorna. to. 5. art. 3.
(2) Ber. Deism. refut. Lett. 3. pag. 144.
(3) E. VV. A discou. of mirac. c. 14.

rales, quæ perquammulta miracula a Christo & Apostolis patrata significant. Multas supra (n. 284. 297. retuli, alias hic subiicio. De Christo habemus illum quovis tempore curasse infirmos a quacumque detinerentur infirmitate, ita ut Pharisæi hypocritæ increparent turbas, quia etiam die Sabbati illum adibant, ab eoque impetrabant miracula. Habeatur tandem præ oculis effatum Joannis supra (n. 274.) jam observatum, (1) *Multa fecit Jesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri*. De Apostolis autem scriptum est, quod (2) *prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*: Et de aliis etiam septuaginta duobus discipulis, quos Dominus (3) *misit in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*, novimus iis præscriptum (4) *in quamcumque civitatem intraveritis, curate infirmos, qui in illa sunt*. Quod & multo amplius factum esse ipsi iidem (4) reversi cum gaudio narrabant. Acta tandem Apostolorum exhibent nobis illos prædicantes ubique, & facientes (6) *signa & virtutes maximas*, ita ut Paulus olim & Barnabas vix obtinuerint (7) *ne turbæ sibi immolarent*. Quin etiam per impositionem manuum conferebant aliis visibiles gratias gratis datas, quod (8) *cum vidisset Simon, obtulit eis pecuniam dicens, date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*.

PROPOSITIO V.

Miracula quæ promulgantur a Sede Apostolica in Beatificationibus & Canonizationibus Sanctorum certiora sunt alia quavis historia.

437. HÆc propositio est nova demonstratio superioris de existentia miraculorum in Ecclesia Catholica pro quovis tempore, & sic probatur. Summi Pontifices nulla promulgant miracula in Beatificationibus & Canonizationibus Sanctorum, nisi post habitum de illis examen juxta regulas juris tam rigidi ad eruendam illorum veritatem, ut nulla alia historia par habeat pro se fundamentum: ergo ea certiora sunt alia quavis historia. Consequentia est aperte legitima, & antecedens ostenditur referendo hujusmodi jura, quæ pro diversis temporibus diversa inveniuntur.

At-

(1) Ioa. c. 21. v. 25.
(2) Matt. c 16. v. 20.
(3) Luc. c. 10. v. 1.
(4) Ibid. c. 10. v. 8.
(5) Ibid. v. 47.
(6) Act. c. 8. v. 14.
(7) Ibid. c. 14. v. 17.
(8) Ibid. c. 8. v. 18.

Articulus I.

De jure olim servato a Sede Apostolica in promulgatione miraculorum.

438. PRimis Ecclesiæ temporibus, quæ a Sanctis hominibus videbant aliqui patrata miracula, aliis narrabant, & hoc modo brevi totam urbem regionem & remotissimas etiam gentes illorum fama percurrebat, & quod consequens erat, cultus etiam late præstabatur iis, qui eorum authores dicebantur. Postea tamen hæresibus præsertim erumpentibus, non amplius his vulgaribus vocibus creditum est; Nam vulgus temere credulum solet esse, & Sectarii fingere etiam coeperant miracula pro suis erroribus facta, eaque in vulgus spargere ad eos confirmandos. Testis enim est Tertullianus de hæreticis sui temporis fuisse qui dicerent se (1) *maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito Apostoli crederentur*. Quare Episcopis, quibus datum est regere Ecclesiam Dei, intercesserunt, & nequis crederet ullum miraculum, nisi ipsimet post diligens illorum examen edicerent verum esse, sanxerunt. Hoc modo per plura sæcula res se habuit. Ex quo factum est, ut in singulis regionibus plures alibi ignoti venerentur Sancti, ii scilicet de quibus miracula ab Episcopis approbata referebantur.

439. Sed cum deinde ipsimet Episcopi observaverint falli se posse in hujusmodi approbationibus, atque decretis, quippe soli Petro, & iis qui ei in plenitudine potestatis succedunt Romani Pontifices, concessum est non errare in rebus, quæ ad Fidem & mores pro conservatione & augmento Ecclesiæ spectant, removerunt a se hujusmodi decreta, quibus fieri poterat, ut ex falso fundamento de miraculis creditis per errorem veris, cultus alicui indebitus tribueretur, ut fusius exponit Fagnanus (2). Quare extat Alexandri III. Papæ Canon, quemquam (3) *non licere pro Sancto absque authoritate Romana Ecclesia venerari etiamsi per eum miracula fierent*: ex quo arguitur cum Brancato (4) consequi soli Sedi Apostolicæ reservatum esse proponere populis ut certa, miracula Servorum Dei non Canonizatorum, quandoquidem cum consequentia necessaria sit eos a populo haberi pro Sanctis, qui faciant certa miracula, si Episcopi palam approbarent miracula, quæ a non Canonizatis proveniunt, jam virtualiter excitarent populos ad publicam eorum venerationem. Clarius autem deinde Urbanus VIII. hoc ipsum expressit lata

(1) Ter. de Præscrip. c. ulti.
(2) Fag. in Decret. c. 1. de Reliquii.
(3) Cap. Audivi. de Reli. & Venera. SS.
(4) Bra. de Mirac. u. 2249.

ta lege (1), qua Episcopis relictum est munus constituendi examen de miraculis, quæ dicantur fieri a non Canonizatis, quod utile & necessarium erit ad effectum legitimæ Canonizationis, non vero ulla hujusmodi miracula approbandi aut promulgandi.

440. Nec obstat huic Urbani legi decretum Concilii Tridentini, in quo cum dicatur (2) *nulla admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo*, aliqui a Brancato (3) impugnati propugnarunt posse adhuc Episcopos approbare & promulgare nova miracula: Non obstat inquam, tum quia Decretum Tridentini intelligitur de miraculis, quæ per illos, quibus jam cultus ab Ecclesia Romana concessus est contingant, non vero de iis, qui hunc cultum nondum habent. De his enim dici potest facere miracula, non vero facere nova miracula, quod supponit alia quæ sint sine controversia, prius fecisse, quod non potest dici nisi de Canonizatis: tum quia idem Tridentinum expresse dicit (4) *omnia & singula, quæ de morum reformatione atque Ecclesiastica disciplina in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur*. Firma igitur est etiam per Tridentinum Urbani VIII. reservatio soli Sedi Apostolicæ juris approbandi miracula non Canonizatorum.

441. Quare Episcopi in hac re possunt jam solum inquirere sicut de Vita aut Martyrio eorum, qui cum hac fama obierint, ita etiam de Miraculis, quæ de ipsis narrentur, ne eorum testes de visu, aliæque probationes depereant, & quæ invenerint in Acta referre caute in Archiviis custodienda, ut expeditior sit via ad Canonizationem obtinendam a Sede Apostolica, quæ tunc hujusmodi acta solet ut ajunt compulsare, hoc est eorum ex archiviis judicialem extractionem duobus aut tribus ab ipsa delegatis judicibus committere, ut ipsis inserviant ad novum processum Apostolica authoritate conficiendum. Atque si accidat ut hujusmodi miracula sint tam conspicua, vel aliunde quam per Episcopi judicium & promulgationem apud populum tam certa, ut hic ad eorum authores venerandos quodammodo trahatur, partes Episcopi sunt impedire ne cultus hic publicus sit per erectionem altarium in eorum honorem, aut per tabulas aliave signa accepti beneficii palam eorum sepulcris imposita, aut per impressam typis eorumdem narrationem sine præscriptis cautelis quod hæc scripta sint credenda ut soli authoritati humanæ innixa, utpote de rebus nondum a S. Sede discussis aut approbatis. Nam axioma jam est illud S. Thomæ (5) Quod *fit præter Dei & Ec-*

(1) Urb. Const. Cælestis
(2) Tri. sess. 25. de Invocat. SS.
(3) Bra. de Mirac. n. 2243.
(4) Tri. sess. 25. de Refor. c. 21.
(5) S. Tho. 2. 2. q. 93. ar. 2. o.

clesiæ institutionem, reputandum est superfluum & superstitosum.

442. Ex consensu interea totius Ecclesiæ Catholicæ revocatis Canonizationibus Sanctorum ad solius Ecclesiæ Romanæ authoritatem, ad eas novimus ex monumentis, quæ affert Lambertinus (1), Romanos Pontifices numquam devenisse nisi vel in Conciliis sive generalibus, sive particularibus, & adhibita ipsorum Patrum opera in diligenti vitæ & miraculorum examine, eorumque audito consilio, vel extra Concilium coram Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quorum pariter opera usi sunt atque consilio, ut constat ex pluribus Canonizationum Bullis Alexandri III. Cælestini III. aliorumque: ergo miracula quæ sunt unum ex fundamentis hujusmodi Canonizationum atque Bullarum, antequam per ipsas promulgarentur, perpensa fuerunt juxta regulas rigidi cujusdam juris, quod nulla pro se jactat historia.

443. Processu temporis diligentiores inquisitiones in Canonizationum caussis institutæ sunt ad normam novi juris, quod Pontifices deinceps novis legibus rigidius reddiderunt. Postquam enim omnia perquisita & a doctis & expertis disposita fuerant quæ ad has caussas pertinerent, ea viris probatæ doctrinæ & sapientiæ, aut tribus Rotæ Romanæ Auditoribus examinanda committebantur, ut constat ex Card. Ostiensi (2), quorum suffragium si abesset, in Consistorio Pontificis non proponebantur. Postea examini Auditorum Rotæ additum fuit illud unius Cardinalis a Pontifice electi, ut videre est in caussa S. Stanislai Episc. apud Bollandistas (3), & successive auctum fuit hoc examen delegatis non jam amplius uno sed tribus Cardinalibus, quorum unus esset Episcopus, alter Presbyter, & tertius Diaconus, ut constat ex Bonifacio VIII. in concione ante Canonizationem S. Ludovici Galliarum Regis, illudque Sixtus V. in caussa S. Didaci cumulavit octo constitutis Cardinalibus ad ejus cognitionem. Atque quando omnia huc usque favorabiliter processissent, tunc tandem coram Pontifice ultimum examen habebatur Cardinalibus & Episcopis præsentibus, & aliquando aliis Theologis & Canonistis convocatis, uti eruitur ex quibusdam Canonizationum Bullis: ergo iterum concluditur de veritate miraculorum institutum a Romanis Pontificibus semper fuisse examen juxta Juris & quidem rigidioris regulas antequam ipsi eadem approbarent & promulgarent.

AR-

(1) Lam. de Beatif. l. 1. c. 20. & Vener. S.
(2) Ost. in c. Audivimus. De Reliq.
(3) Bol. ad 7. Maii

Articulus II.

De jure quod nunc servat Sedes Apostolica in promulgatione miraculorum

444. Nostro tempore ad erectam a Sixto V. Congregationem Sacrorum Rituum tota de his caussis disquisitio pertinet, cui opus est satisfacere antequam ad Papam deferantur. Eidem autem satisfacere hoc opus hic labor est; Nam præter Cardinales ad eamdem pertinent permulti ex coetu Præsulum Curiæ, & ex Clero tam sæculari quam regulari, qui Consultores appellantur, & Medici præterea aut Mathematici, aut aliarum facultatum Doctores, quos Sacra Congregatio in consilium adhibet quoties agit de miraculis, ad quæ rectius æstimanda ipsorum cognitiones utiles aut necessariæ esse possint. Quare tranquilli videntur debere esse increduli, qui vellent pro veritate miraculorum adesset sententia alicujus Academiæ, quod credo voluerit significare ille qui apud Bergierium (1) dixit optare se ad habendam certitudinem alicujus miraculi, ut ipsum fieret in conspectu Academiæ scientiarum Parisiensis & Medicæ Facultatis. Horum omnium suffragium in quæstione an constet de Miraculis exquiritur, & nisi pro parte affirmativa habeantur duæ tertiæ partes pro more usitato in rebus maximi momenti, jam caussa cadit. Evidens igitur est summam jam adhiberi diligentiam in æstimanda veritate miraculorum; quæ a Romanis Pontificibus debeant promulgari.

445. Sed ut distinctius hoc ipsum cognoscatur sic dico. Imprimis Congregatio Sacrorum Rituum numquam de miraculis ad effectum Beatificationis aut Canonizationis inquirit, nisi postquam Papa decreverit constare de Virtutibus aut Martyrio ejus de quo agitur. Habito hoc decreto, quod tantopere suffragatur veritati miraculorum, certe quidem removet omnem circa illorum possibilitatem dubitationem, jam ad eorumdem accuratam cognitionem accedit, ac primo examinat duo extrema miraculi, puta præcedentem sanitatis defectum; & hujus deinde existentiam: tum quærit de relevantia miraculi, sive an effectus (n. 81.) sit reapse miraculum, & tandem de medio miraculi, seu invocatione ejus cui tribuitur. Meum est hic solum dicere de duobus primis, quandoquidem Invocatio non pertinet ad essentiam miraculi, quam supponit existere, sed ad caussam, cui debet tribui.

446. Quod pertinet ad primum, dico Sedem Apostolicam ad cognoscendam veritatem de extremis miraculi adhibere testes legiti-

(1) Ber. Apolog. c. 6. §. 11.

timos, cujusmodi statuit eos esse, quos utrumque Jus Civile & Canonicum volunt admitti in Caussis Criminalibus, quæ summum jus sequuntur, & sunt qui habent qualitates per hos versus indicatas,

Conditio Sexus Aetas Discretio Fama
Et Fortuna Fides in testibus ista requires,

quæ sic declarantur. *Conditio* postulat ut nemo in testem adhibeatur conductus pretio (1), nec infamis, hoc est (2) Homicida Maleficus Fur Sacrilegus Raptor Adulter Incestus Veneficus Perjurus, & qui ad Sortilegos Divinosque concurrerit. *Sexus* significat feminas excludi a testimonio dicendo in aliquibus caussis criminalibus, non tamen in omnibus, quas Leges determinant. Quare ne in causa quidem miraculi excluduntur. *Aetas* requirit ut testis non sit impubes (3). *Discretio* postulat ut testis sit compos sui, adeoque non admittitur amens, & qui imaginationibus suis indulgeat aut rapiatur. *Fama* excludit a testificando omnes infames. *Fortuna* appellat ad statum testis, qui non debet esse vilis & mendicus. *Fides* tandem significat testes non posse esse, qui cogniti sunt mendaces. Hac via utrumque jus cavit quantum humanitus potuit a falso plurium etiam hominum testimonio, quod novimus non raro intercessisse, ut in causa Naboth (4), Susannæ (5), Christi Dni (6), S. Stephani (7). Admissi testes juxta id quod statutum est (8) debent de veritate eorum, quæ dicunt, juramentum suum interponere, aliter iis non creditur etiamsi Religiosi sint. Juramentum enim in quibusvis caussis pertractandis exigunt Jura & quidem solemne, cujusmodi appellatur, quod coram Judice fit vel Notario vel utroque, quia consuetudo est omnium temporum & gentium, ut res alicujus momenti, quas volumus credi a præsentibus & posteris juramento saltem simplici seu non solemni confirmentur, quemadmodum luculenter demonstrat Brancatus (9).

447. Circa numerum testium, qui debent esse de visu, duo vel tres sufficerent juxta legem Dei, quam iterum iterumque tam Vetus quam Novum Testamentum (10) præscripsit in judiciis servandam, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, & in qua fundantur frequentes Ecclesiæ Canones, cujusmodi est ille Concilii Lateranensis IV, & refertur in Capite Licet. 2. De testibus, *Secundum ordinem judiciorum non sufficit unius testis assertio, etiamsi præsidali refulgeat digni-*

(1) Cap. Placuit. de Testibus
(2) Can. Constituimus. 3. q. 5.
(3) Can. Testes. 4. q. 2.
(4) 3. Reg. c. 21. v. 13.
(5) Daniel. c. 13. v. 34.
(6) Matt. c. 26. v. 60.
(7) Act. c. 6. v. 11.
(8) Cap. Fraternitatis. Et cap. Nuper. De Testib.
(9) Bra. de Mirac. n. 1199.
(10) Deut. c. 17. Et c. 19. Et Matt. c. 18. Et 2. Corinth. c. 13. Et alibi.

gnitate. Nihilominus solent in caussis de Miraculis plures quam duos requiri, quod Brancatus (1) dicit sibi compertum esse per annos decem & octo, quibus consultoris munus gerebat in Sacra Rituum Congregatione.

418. Opportunum fuit hunc morem adnotasse, quoniam Felix Contelorus, qui de Canonizatione Sanctorum scripsit anno 1634, aliique quasdam opiniones ipsi oppositas conati sunt defendere. Talis est quæ contendit per Scripturas antiquas vel historias privatim factas probari posse sufficienter miracula antiqua, quæ quia privatæ dicuntur, destitutæ sunt pluribus de visu juratis testibus. Sed Brancatus (2) copiose demonstrat temere & falso id doceri. Talis etiam est opinio, quæ dicit (3) *quod si testis sit persona digna & gravis, solus sufficit ad probandum totum miraculum, si concurrant adminicula*, cujusmodi essent plures testes de auditu, aut fama de existentia miraculi, quam doctrinam idem Brancatus referens reiicit tamquam numquam usitatam in hac re ab Ecclesia, & contrariam Sacræ Scripturæ jam citatæ, quam S. Augustinus vocavit (4) *Legem Divinam in judiciis*: & infra distinctius pertractans quæstionem de sufficientia unius testis de visu cum aliis de auditu pro existentia miraculorum, in quibus fundetur decretum Canonizationis testatur (5) *ex quo tempore per Consultores Theologos & Canonistas caussæ & processus canonizandorum discutiuntur numquam tales probationes tamquam concludentes fuisse admissas: & plures caussæ hoc defectu laborantes ex hoc capite infelicem exitum sortitæ sunt*. Quod iterum affirmat, ubi deinde statuit neque famam solam, neque famam cum uno teste de visu probare apud Ecclesiam ullius miraculi existentiam, & iterum referens canones, in quibus decernitur ita admittendum esse (6) *testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum, ut nullus alius audiatur*, & alios præterea canones, quibus privilegium Episcopis conceditur, ut sine juramento deponant, dicit (7) *se nihilominus existimare solum Episcopi dictum non probare concludenter miraculum* propter allatam Dei legem, & alias Ecclesiæ Sanctiones oppositas, & quando ipsi Episcopi non sint jurati, (8) *in gravissimo hoc negotio non facere probationem, sed præsumptionem*.

449. Cur autem plures quam duo vel tres testes in caussis de miraculis, sicuti & in quibusdam aliis adhibeantur, ratio est, quia Sedes Apostolica mavult abundare in humanis assequendæ veritatis conatibus, quos novit Deum velle præmitti Decretis suis, quæ cum quid

(1) Bra. de Mirac. n. 1083.
(2) Bra. de Mirac. an. 1185.
(3) Id. ibid. n. 1186.
(4) S. Aug. tr. 36. in Joa.
(5) Bra. de Mirac. n. 1125.
(6) Can. Omnes itaque 11. qu. 1.
(7) Bra. de Mirac. n. 1182.
(8) Id. ibid. n. 1184.

proponunt universis fidelibus ut verum tenendum, venerari ipsi debent tamquam Divinum Oraculum propter promissam Sancti Spiritus assistentiam, quæ omnem ab iis errorem avertat. Quare Romani Pontifices quibus solis ea assistentia promissa est, numquam cogitant de declarando aliquo tamquam digno, qui ut amicus Dei ad ejus gloriam colatur, de quo non solum non viderint probatas evidenter insignes virtutes, sed probata evidenter etiam miracula, utpote sensibile testimonium Dei de vera usque ad finem vitæ sanctitate eorum, quibus ea tribuuntur.

450. Quoniam plures exiguntur testes, manifestum est debere esse ut ajunt contestes, hoc est uniformes in iis circumstantiis referendis, sine quibus non haberetur plurium testimonium de uno eodemque miraculi extremo. Fac itaque testes conveniant in tempore loco & persona, quæ repente sanata est, quam prius noverant gravi afflictam morbo, jam habent uniformitatem in essentialibus facti, quæ unice requiritur, quia humanitus difficillimum est habere ulteriorem uniformitatem etiam in accidentalibus, ut motus quem infirmus fecerit, modi quo Sancti invocatio aut ejus reliquiæ applicatio facta fuerunt, & similium, quemadmodum jam docuit S. Thomas advertens, quod (1) *si sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti talis discordia non præjudicat testimonio, quia homines non consueverunt circa talia multum sollicitari: quin immo aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, ut Chrysostomus dicit supra Matth. quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre*: ergo nihil certius, quam nullum jam promulgari miraculum in Ecclesia Catholica, nisi post habitum de illo examen juxta rigidioris juris regulas.

451. Probatis extremis miraculi ipsius relevantiam supra jam (n. 81.) definitam demonstrare necesse est. Hoc autem postulat I. considerationem ipsiusmet effectus, an artis viribus, an creaturæ alicujus virtute fieri possit. Quamobrem Brancatus (2) diligenter post Martinum del Rio (3) quem citat, persequitur, quæ Dæmones non possunt reipsa præstare, sed solum apparenter per præstigias brevi evanescentes. II. postulat considerationem modi quo fit, an media naturalia sint adhibita, quæ potuerint illud saltem accelerare vel perficere.

452. III. considerationem finis, propter quem fit sive an ad bonos mores & cultum Dei conducat. Quando Antichristus cum suis adjutoribus operabitur signa magna & prodigia, ut se ipse suadeat esse

(1) S. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 2. ad 2.
(2) Bra. de Mirac. an. 710.
(3) Rio. Disq. Mag. l. 2.

esse Christum promissum a Prophetis, & adorationem a seductis gentibus recipiat tamquam Filius Dei, electi ipsum execrabuntur, & omnia ejus prodigia inter diabolicos conatus numerabunt ex hac infallibili regula, quod eorum finis sit vesanam Idololatriam stabilire, quandoquidem Christum jam advenisse certi erunt Fide Divina, fundata in apertis tam Veteris, quam Novi Testamenti testimoniis, prout etiam ab Ecclesia Catholica semper fuerunt intellecta. Quare in eo, qui tunc Christum se finget, agnoscent (1) *hominem peccati, & filium perditionis*, & in suis administris totidem Pseudoprophetas & de utrisque commemorabunt horribiles prædictiones, & gravem Christi Dni præmonitionem (2) *Vos ergo videte, ecce prædixi vobis*.

453. IV. tandem postulat considerationem adiunctorum, quæ illud comitentur. Miracula dicebat jam Origenes (3) *examinamus ex eorum vita moribusque, tum ex ipsorum effectibus, dispiciendo afferantne damnum hominibus aut correctionem moribus, ut sciamus quænam ab incantatore fiant ministerio Dæmonum, vel ab anima pura sanctaque & afflata Divino Spiritu*. Observandum igitur an qui fecit miraculum sit homo probus, & spectatæ virtutis, an quod fecit sit quid utile & in suo genere perfectum & stabile, an palam factum fuerit, an tandem absint omnes superstitiosæ & ineptæ cærimoniæ, ex quibus duodecim Brancatus (4) exponit tamquam indubia argumenta effectus Dæmoniaci, non miraculi.

In hujusmodi regulas conspirat doctrina S. Thomæ (5), qui docet miracula vera a falsis differre efficacia duratione utilitate modo ac fine. Atque hæ sunt regulæ pro miraculis in genere, in quibus iterum diligentius exponendis versantur Auctores agentes de singulis miraculorum speciebus. Juvat aliquid dicere de regulis, quas tradunt pro sanationibus propheiiis & apparitionibus, utpote miraculis frequentius occurrentibus.

454. In sanationibus I. requiritur certa notitia quod morbus sit curatu vel difficilis vel impossibilis. Atque quia ad hoc iudicium postulatur cognitio de natura morbi, quæ colligitur præsertim ex caussa aut occasione & symptomatis ipsius, si hæc ignorantur, jam de eo amplius non quæritur, adeoque numquam statuitur esse miraculum. Contra vero si constet morbum ex iis esse, qui curatu impossibiles sunt, jam hoc satis est, ut miraculum omissis aliis considerationibus (n. 36.) haberi definiatur.

II. Requiritur ut medicamenta vel non sint adhibita, vel certum sit nihil profuisse. Ac si frustra dicantur adhibita, opus est indi-

(1) 2. ad Thessal. c. 2.
(2) Mar. c. 13. v. 23.
(3) Orig. l. 2. c. Cels. n. 94.
(4) Bra. de Mirac. a n. 836.
(5) S. Th. in 2. sen. dis. 7. q. 3. ar. 3.

dicare qualia fuerint, ut cognosci possit an revera nihil profuerint; Nam aliquando accidit morbos non abire tempore curationis, quia ipsa medicamenta debiles reddunt vires naturæ, quæ deinde paulatim invalescunt, & sanationem perficiunt. Quare qui nesciat his quæsitis satisfacere, jam non suadebit sanationem miraculo esse adscribendam.

455. III. Requiritur ut sanatio sit perfecta, nulla scilicet remanente virium debilitate, qualis contingeret, si naturaliter morbus recederet. Hoc volunt jam qui sequuntur Lambertinum (1): & quidem merito, quia quotquot dicunt negandum non esse miraculum, quoties in instanti cessaverit malitia morbi, & remaneat virium imbecillitas, probari nequit; Nam malitiam morbi sublatam penitus esse per miraculum non aliter fortasse intelligimus, quam per vires subito recuperatas. Aliquando tamen contingit, ut quis pluribus simul morbis affligatur, & ab uno tantum sanetur. Hoc non impedit, quod possit sanatio esse per miraculum, si debilitas virium, vel alia imperfectio propria morbi qui recedit, sublata cum eo appareat, altera remanente quæ propria est alterius morbi; Nam verum est quod habeatur perfecta sanatio a tali morbo. Nil clarius ac certius hac doctrina: siquidem quis neget cæcum posse per miraculum a febri maligna convalescere, etiamsi perseveret in sua cæcitate.

456. IV. Requiritur ut sanatio comprobetur facta in instanti, nisi sit in subjecto quod esset incapax sanationis. Hæc regula inculcatur quodammodo a Scriptura? Evangelia enim dum referunt hujusmodi miracula facta a Christo aut Apostolis apponunt particulas statim aut confestim aut protinus aut aliam æquivalentem. (2) *Confestim sanata est lepra ejus* dicitur de leproso, quem *Jesus tetigit*: Et de muliere curva ab annis 18 (3) *imposuit illi manus, & confestim erecta est*: Et de cæco prope Hierico (4), *Jesus dixit illi respice, & confestim vidit*: Et de surdo & muto, (5) *statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus* ad vocem Jesus, *Epheta*: Et de languido probe probaticam piscinam, (6) *dicit ei Jesus, surge tolle grabatum tuum & ambula, & statim sanus factus est*: Et de claudo, quem Paulus (7) *Apprehensa manu ejus dextera allevavit, & protinus consolidatæ sunt bases ejus*: Et de Aenea paralityco, cui Petrus dixit (8) *surge & continuo surrexit*.

457. V. Requiritur, ut sanationem non præcesserit status morbi proximus declinationi, neque crisis. Primum quidem quantum sal-

(1) Lam. de Beat. l. 4. p. 1. c. 8. n. 22.
(2) Matt. c. 8. v. 3.
(3) Luc. c. 13. v. 35.
(4) Ibid. c. 18. v. 42.
(5) Mar. c. 7. v. 35.
(6) Joa. c. 5. v. 8.
(7) Act. c. 3. v. 7.
(8) Ibid. c. 9. v. 1[illegible].

ſaltem ad forum tollit rationem miraculi a ſanatione, quia juxta Zacchiam(1) *cum appropinquat declinatio, aliquando fit repentina ac momentanea mutatio etiam præter ſpem & cum ſumma admiratione adſtantium ad ſalutem, quæ a natura quidem eſt*. Criſis autem officit miraculo, quia Medici communiter cum Galeno obſervant naturales eſſe ſubitas etiam ſanationes, quibus (2) *evacuatio effatu digna contingit vel per vomitum, vel per ventris exonerationem, vel ſudores, vel urinas, vel ſanguinis e naribus effluvium, aut ex ſede per hæmorrides, aut in mulieribus per purgationem menſtruorum*. Cum his limitationibus hæc propoſitio, Poteſt quis naturaliter repente mori & repente convaleſcere, utpote particularis vera eſt, quæ ſi fiat generalis falſa eſt & contra evidentiam in ſanatione a morbis quæ corporis organa jam vaſtaverint. Generalem fecit J. J. Rouſseau, merito proinde reprehenſus a Nonnote (3) ut concluderet nullam ſanationem probari quod ſit miraculum.

458. VI. Requiritur diuturnitas quædam in impetrata divinitus valetudine, quæ quanta debeat eſse determinabunt periti & prudentes, conſiderata indole morbi, & omnibus miraculi circumſtantiis, quæ aliquando tales eſse poſsunt, ut miraculum ſit etiam in ſanatione ad tempus ſatis breve. Exemplum habemus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica in filio Valentis Imperatoris, qui preſente S. Baſilio Magno per miraculum convaluit, idemque non multo poſt ad adventum hæreticorum, quos pater advocaverat ad inviſendum puerum, iterum ita ægrotavit, ut brevi objerit. Quare Bordonus cum aliis bene multis a Lambertino (4) citatis, cenſent poſse ſtare miraculum ſanationis, etiamſi quis (5) *reincidat in eumdem vel alium morbum poſt unum aut alterum diem*. Alii vero diſtinctius dicunt tempus quantumvis breve inter ſanationem & novum morbum, ſive idem ſit cum primo ſive diverſus, ſtare poſse cum miraculo, ſi conſtet de nova cauſsa morbi culpabili. At Romana Curia in miraculis ad effectum Canonizationis, niſi forte æger petierit expreſse ſanitatem pro certo brevis temporis intervallo, longam omnino permanentiam in ſanatione quæ ſit miraculum requirit eodem Lambertino teſte (6) & pluſquam longam plurium annorum, cum agitur (7) de ſanatione ab Epilepſia, & a Mania (8).

459. Ad horum examen cum planum ſit opus eſse opera eorum, qui etiam in Medica facultate docti & exercitati ſint, hi utique adhi-

(1) Zac. Quæſt. medico leg. l. 4. ti. 1. qu. 8. n. 6. Et l. 9. Conſul. 9. n 7.
(2) Gal. de Criſib. l. 3. c. 7.
(3) Non Dic. Phil. ar. Mirac. 2. Entr.
(4) Lam. de Beatif. l. 4. p. 1. c. 8. n. 29.
(5) Bord. de Mirac. Medit. 7. q. 11. n. 31.
(6) Lam. ubi ſupra c. 8. n. 34.
(7) Id. ibid. c. 13. n. 10.
(8) Id. ibid. c. 14. n. 10.

hibentur in Caussis Canonizationum. Atque sicuti, qui has student impetrare vulgo dicti Postulatores, eligunt aliquos, qui scriptis patrocinium miraculorum, quæ proponunt suscipiant, ita Sacra jam Rituum Congregatio alios assumit, qui interposito juramento quid omnibus perpensis pro veritate sentiant, scripto pariter exponant.

460. In Prophetiis alia miraculi specie præscribitur, nihil habendum esse tamquam prophetiam, nisi prius constet I. de re ipsa, quæ debet esse contingens, & Deo aut homini libera. II. de verbis, quæ aperta postulantur, non flexiloqua, neque significantia conjecturam potius quam affirmationem. III. de modo, qui vatem ostendat constantem & non fluctuantem. IV. quod Dei gloria hinc promoveatur, non temporale aliquod emolumentum intendatur. V. tandem eventus expectandus. Hæc ad prophetiæ dignitatem atque constitutionem spectant, cujus magna est apud omnes qui sapiunt authoritas, quicquid dicat J. J. Rousseau, qui nullam in nullo casu esse vult, quia ad illam (1) *tria* inquit apud Bergierium, *requiruntur, quæ numquam possunt simul adesse, scilicet ut sim testis prophetiæ, testis eventus, & certus quod hic non potuerit esse fortuitus*: Qua ratione nullis veteris & Novi testamenti prophetiis credet; quin immo nulli historiæ anteacti temporis & etiam præsentis de iis, quorum ipse testis non fuit.

461. Pro apparitionibus & revelationibus has regulas tradit Brancatus (2) I. Falsa apparitio & revelatio est, ad quam obtinendam adhibitæ sint aliquæ superstitiones, aut ineptæ cærimoniæ. II. Quæ quid doceat contra Fidem Catholicam & bonos mores. Iterum enim iterumque scriptum est, (3) *Siquis vos evangelizaverit præter id quod accepistis anathema sit*. III. Quæ non excitet ad spiritualem profectum, sed ad temporalia, profana, & inania. Nam (4) *Fructus Spiritus sunt charitas gaudium pax patientia benignitas bonitas longanimitas mansuetudo fides modestia continentia castitas*.

462. Pro aliis miraculis suæ etiam sunt particulares regulæ, quas dabit Lambertinus in libro quarto de Beatificatione, ubi non solum agit de jam dictis, sed etiam de reviviscentibus, de lapsu ex alto sine læsione, de ambulatione supra aquas tamquam supra solum, de partu felici cum esset difficilis, de familiari consuetudine cum feris, de transitu innoxio per flammas cum quadam longiori in ipsis commoratione, de incorruptione cadaveris nulla adhibita medicamentorum ope, nec alia interveniente caussa naturali, de suavi odore aut liquore ab ipso cadavere emanante, de eruptione fontium mirabili, de

(1) Ber. Deism. refut. Lett. 3. pag. 161.
(2) Bra. in 3. sen. to. 4. De Gratia gratis data a n. 374. Et de Mirac. n. 350.
(3) ad Galat. c. 1. v. 4.
(4) Ibid. c. 5. v. 22.

de multiplicatione annonæ, de conversione unius rei in aliam, de splendore vultus aut corporis, de expulsione Dæmonum aliter quam per exorcismos ab Ecclesia institutos.

463. Quando tam multis ad Relevantiam miraculorum requisitis satisfactum fuerit sacræ Congregationi sperari poterit ipsorum approbatio & promulgatio per Pontificem. Quod dum faciat, manifestum est ea certiora esse quacumque historia. Ac quoniam hac via licet tam difficili, identidem aliqua miracula promulgantur, concludam cum S. Augustino, (1) *Fiunt ergo etiamnum miracula eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult*, eosque qui adhuc contra horum existentiam hiscere audeant, compellabo cum citato supra (n. 159.) Langueto, (2) *Quando mir-cu'is scrupulose examinatis obiicitis vestras dubitationes, est ne hoc sapere an ignorantiam profiteri? Est ne esse prudentes, an pervicaces?*



Ii 2 PARS

(1) S. Au. de Civi. l. 22. c. 9. (2) Lan. Vita della V. Alacoq. pref.

PARS V.

De Caussa finali miraculorum

PROPOSITIO.

Causa finalis miraculorum est multiplex.

464. Onsiderationem finis in miraculis ad illorum veritatem agnoscendam non solùm utilem sed prorsus necessariam esse supra jam statui (n. 96.), dum ad bonam miraculi definitione requiri ostendi ad Divina conducentiam, quæ diversis modis potest se manifestare, quos in argumento pro propositione jam subicio.

Articulus I.

Argumentum pro propositione.

465. CAussa finalis miraculorum ex doctrina Theologorum cum S. Thoma (1) fundata in Sacris Literis est I. Gloria Dei per manifestationem suæ vel Potentiæ vel Misericordiæ vel Justitiæ vel alterius attributi. Hic cum sit finis primarius omnium Divinarum operationum, expressè enunciatus fuit a Christo Dn. in excitatione Lazari; Nunciantibus enim sibi ejus infirmitatem dixit, (2) *Infirmitas hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei*: quod iterum professus est (3) audiens a quatuor jam diebus sepultum. Quæ autem sit gloria Dei in miraculis indicat communis notio gloriæ, quod sit clara de aliquo cognitio cum laude. Omnia igitur miracula fiunt ad excitandam vel illustrandam in nobis cognitionem Dei, ejusque venerationem & laudem promovendam. Quare sicuti juxta supra (n. 96.) dicta, ubi gloria Dei non appareat in eo, quod primo adspectu diceres miraculum concluditur non esse, ita ubi eadem haberi non possit, frustra expectatur aut desideratur miraculum. Haberi autem non potest apud hæreticos & incredulos; Utrique enim habent jam sufficientem cognitionem eorum, quæ Deus jam olim

(1) S. Th. 2. 2. q. 178. a. 1. Et 3. p. q. 43. a. 1. Et l. 1. c. Gent. c. 6.

(2) Jo. c. 11. v. 4.

(3) Ibid. v. 40.

olim voluit esse hominibus nota per miracula, & quamvis hæc cognitio per nova miracula in ipsis augeretur, ita tamen animo comparati sunt ut non darent assensum & exequutionem iis, quæ ab ipsis expetuntur.

466. II. Comprobatio veritatis divinitus revelatæ. Sic per miracula comprobata fuit missio Moysis ad liberationem Hebræorum ab Aegyptiorum servitute (1). Idem finis apparuit in miraculis Christi, quæ (2) *ad hoc ordinabantur*, inquit S. Thomas, *quod virtus Divinitatis cognosceretur in ipso ad hominum salutem*. Idem in illis, quæ ab Apostolis habita sunt ad promulgationem Legis Christianæ. Non est dicebat S. Paulus (3) *prædicatio mea in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei*.

III. Commendatio probitatis alicujus hominis adhuc viventis. Hujusmodi est miraculum factum pro Elia (4) in duobus ducibus Ochoziæ Regis Samariæ, qui cum quinquaginta militibus igne de Cælo delapso perierunt, eo quod cum ad eum capiendum jussu Regis venissent, debita cum reverentia non essent colloquuti. Et illud factum pro Moyse contra detractiones sororis Mariæ & fratris Aaron, qui audierunt Dominum dicentem, (5) *Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo?* Et viderunt Mariam lepra repente correptam, nec sanatam nisi post septem dies Moyse ipso intercedente.

467. IV. Contestatio Sanctitatis alicujus hominis jam mortui. Tale fuit miraculum reditus ad vitam hominis, cujus (6) *cadaver projectum in sepulcro Elisei, cum tetigisset ossa ejus, revixit, & stetit super pedes suos*.

V. Tandem Utilitas aliquorum spiritualis, aut etiam corporalis. Hujusmodi finis eluxit in liberatione Noe a diluvio, & Lot a Sodomis, in Visione reddita Tobiæ seniori oculis felle piscis linitis, in liberatione Saræ a Dæmone, & Petri (7) *de manu Herodis* per Angelum, qui eum e carcere extraxit, in revocatione ad vitam Tabithæ, quam ipse S. Petrus exoravit a Deo motus precibus & lacrymis viduarum, quæ ipsum circumsteterunt (8) *ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis*, & in omnibus apparitionibus sive Beatorum sive Damnatorum sive Purgantium; Siquidem Beati apparent vel ad incitandos homines ad virtutem meritum gloriæ, vel eos deterrendos a vitiis, via certissima perditionis, vel alio modo juvandos:

(1) Exod. c. 4.
(2) S. Tho. 3. p. q. 44. art. 4. O.
(3) 1. Corin. c. 2. v. 4.
(4) 4. Reg. c. 1.
(5) Num. c. 12. v. 7.
(6) 4. Reg. c. 13. v. 21.
(7) Act. 12. v. 11.
(8) Act. c. 9. v. 39.

dos: Damnati vero sive in perpetuum sive ad tempus, (1) *ad eruditionem*, ut dicitur in supplemento S. Thomæ, *& terrorem aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illas, quæ in Purgatorio detineantur*. Ergo multiplex est miraculorum caussa finalis,

Articulus II.

Obiectiones contra miracula ex fine omnibus communi.

468. I. OBiicitur. Cognitio Dei, ejusque attributorum obtineri potest sola contemplatione hujus mundi. (2) *Sola ratio*, inquit J. J. Rousseau, *assequitur omnium præclarissimas de Dei natura cognitiones. Intuemini spectaculum naturæ, auscultate vocem internam. Nonne Deus omnia dixit nostris oculis conscientiæ & menti nostræ?* Et Auctor impii Dictionarii Philosophici ad articulos *Idololatria* & *Religio* pro sua eruditione testatur *omnes philosophos Græcos & Romanos admisisse unum Deum supremum remuneratorem & vindicem*: ergo si cognitio Dei est finis qui in omnibus miraculis debet juxta etiam definitionem (n. 1.) intervenire, nulla sunt miracula utpote superflua.

Resp. *dist. ans*. Finis prædictus obtineri potest & obtinetur, *subdist.* ab aliquibus & relate ad aliqua objecta, *concedo*, a plerisque & relate ad omnia objecta, *nego ans*, *& conseqm*. Imprimis igitur dico posse quidem a consideratione Divinorum operum, quæ Apostolus vocat (3) *Dei sapientiam*, & prostant in existentia & conservatione hujus Mundi rapi mentem hominis in Dei cognitionem laudem & admirationem. Interea tamen communis ante adventum Christi evaserat hominum ignorantia de Deo & solum (4) *notus in Judæa Deus, & in Israel magnum nomen ejus*, & ne hic quidem satis constanter, cum tam sæpe utriusque populi Reges in insaniam Gentium abierint, & in ipso circuitu Ierusalem adoleverint (5) *incensum Baal & Soli & Lunæ & duodecim signis & omni militiæ Cæli*. Scilicet abhorrent homines reflexionem supra ea quæ apprehendunt, & qui ea utuntur partim præjudiciis abrepti, partim ad alias consequentias intenti vel de Deo ne cogitant quidem, vel ab ejus vera cognitione post longam hujus mundi contemplationem & admirationem magis remoti evadunt, quod significanter dixit Apostolus, *in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*. Testis est Plato *Philosophorum Deus* juxta Tullium, qui (6) *in Timæo & in Legibus mundum*

(1) S. Tho in suppl. q. 69. ar. 3.
(2) Rou. Emil. tom. 3.
(3) 1, Corint. c. 1. v. 21.
(4) Psal. 75. v. 1.
(5) 4. Reg. c. 23. v. 5.
(6) Tul. de Nat. Deor. l. 1. n. 30.

dum Deum esse ait & Cælum & Astra & Terram & Animos. Testes sunt ipsi etiam citati increduli, a quibus veritates per se manifestæ non raro assensum ab ipsis extorquent, quem alias recusant, quando indulgent libidini contradicendi iis qui Divinæ revelationis necessitatem, aut alia catholica dogmata propugnant. Ipse enim Rousseau to. 2. ejusdem Emilii dixerat, *Deus mundi auctor effugit omnes nostros sensus. Opus visibile est sed artifex absconditus. Difficile est pervenire ad cognitionem existentiæ Dei quo cum perveneris si quæras qui sit & ubi, jam mens confunditur & vagatur incerta*, & post paucas paginas concludit spectaculum naturæ impulisse homines in Polytheismum quem contra Genesim dicit fuisse primam mundi religionem. In impio autem Dictio. philoso. ad artic. *Athei* hæc habentur: Compertum est *Scepticos de omnibus dubitasse, Academicos nihil definite affirmasse aut negasse, & Epicureos persuasos fuisse Deum nihil esse, & siquis forte esset, non se immiscere rebus humanis*: Quare juxta ipsius observationem ab aliis jam antea factam præclarissimi philosophi Græci & Romani post studiosam hujus mundi considerationem non solum in Dei cognitione non profecerunt, sed ne sententiam quidem circa ejus existentiam firmam & immotam sibi reddiderunt.

469. Itaque opportuna sunt miracula, ut etiam inconsiderati & perversi ad cultum Dei revocentur (1) *Quis est* dixerat jam olim Augustinus, *qui considerat opera Dei, quibus regitur & administratur totus Mundus, & non obstupescit? Sed quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie Creatori, tamquam servavit sibi Deus inusitata quædam, quæ faceret, ut tamquam dormientes homines ad se colendum mirabilibus excitaret*. Deinde dico contemplationem naturæ posse inducere homines in cognitionem Dei ut entis a se & perfectissimi, eamdem tamen imparem esse ad efficiendam in nobis cognitionem mysteriorum, quod Deus sit unus in natura, & simul trinus in personis, quod Jesus Christus sit filius Dei unigenitus, qui propter nostram salutem incarnatus est. Propter hæc & quæ ex ipsis dependent manifestanda ac suadenda adhibita fuerunt, & adhuc adhibentur miracula a Deo, non quidem tamquam aliquid jam omnino necessarium, sed tamquam quid convenientissimum, ut ait S. Thomas (2).

470. II. Obiicitur post Spinosam, ut supra (n. 136.) vidimus a Montesquieu (3), & Rousseau apud Bergierium (4), Csapodium (5), & Nonnotem (6). Nemo novit quo pertingant vires creatæ:

(1) S. Aug. in Joa. tr. 8.
(2) S. Th. 3 p. q. 43. ar. 1. o.
(3) Mon. Lett. Persien. 155.
(4) Ber. Deism. refu. Lett. 12. p. 208. & 214
(5) Csa. Relig. rev. l. n. 70.
(6) Non. Dic. phil. ar. miracl. entre. 2.

tæ: ergo nihil est quod affirmari possit nos in cognitionem Dei deducere.

Resp. I. *dist. ans*: Nemo novit quo pertingant vires creatæ, hoc est quid efficere possint res creatæ in certis circumstantiis positæ, si agant juxta modum, quo post hominum memoriam constanter solent agere; *nego ans*: secus *omitto ans*. Et tunc distinguatur oportet consequens prout paulo infra dicam. Allata explicatio videtur ea quæ obiecto antecedenti convenire potest, quando metaphorica verba *vires naturæ*, quæ ipsius claræ intelligentiæ officiunt, removeantur: Ea autem posita manifestum est non solum negandum antecedens, sed ipsius contradictorium confidenter affirmandum, ex quo quis non videt plane sequi miraculum toties evidenter haberi, quoties res creatæ non agant, prout solebant agere. Quis enim est tam plumbeus, qui postquam noverit ignem comburere, & quæ specifice graviora sunt aquis in his immergi, non inferat miraculum haberi in homine, quem videat in mediis flammis illæsum, aut supra aquas tamquam supra viam lapideam ambulantem.

471. Quoniam antecedens solet etiam sub his aliis terminis enunciari. Nemo novit omnes naturæ leges, illud eadem omnino distinctione excipiendum; Nam nihil aliud sunt leges naturæ, quam modi agendi rerum creatarum pro certis circumstantiis, in quibus versentur ex observatione constanter uniformi deprehensi, quos Deus qui illos pro sua libera voluntate ab ipsa rerum creatione constituit, potest quoties velit impedire aut immutare, quandoquidem non sunt de ipsarum rerum essentia. Siquis pro negato antecedenti vellet arguere ex admirandis sed certe non prodigiosis eventibus, quos in promptu haberet collectos ex iis maxime, qui in suis per orbem terrarum excursionibus eos se vidisse observasse aut audivisse a fide dignis referunt, is animadvertat nullum ex hujusmodi historicis mortuum esse & ne paratum quidem fuisse ad carcerem aut ullum vel levem cruciatum & multo minus mortem ipsam subeundam pro tuenda eorum veritate. Quare inutile jam concludet ea nobis proponere, qui cum pro veritate miraculorum Christi innumerabiles martyres veneremur, has narrationes iis relinquimus, quorum studium est tempus fallere.

472. Resp. II. cum Lesleo (1), & Auctore operis *De Veritate Religionis Christianæ* Londini editi ann. 1732, cujus epitomam dederunt Nova Acta Eruditorum Lipsiæ ad annum 1734 apud Lambertinum (2), *omitto ans*, *& dist. conseqs*. Nihil affirmari potest miraculum, si ignotum est quo pertingant, & quo non pertingant vires creatæ, *conc. conseqm*, si ignotum sit quo pertingant vires creatæ,

(1) Les. Breve metod. n. 19. (2) Lam. ubi alias p. 1. c. 4. fin.

tæ, licet ignotum non sit, quo non pertingant, *nego conseqm.* Dico igitur insipienter se gerere, qui aliquid esse miraculum affirmet, quod certo nesciat a viribus creatis non posse effici. Atque hoc est affirmare aliquid esse miraculum, dum ignotum est non solum quo pertingant, sed etiam quo non pertingant, vires creatæ. Hanc insipientiam ostenderunt eæ nationes, quæ cum primo senserunt vim tormentorum bellicorum, nihil in ea naturalis esse existimantes statuerunt superos e Cælo olim tonantes in suas terras descendisse. Similis imprudentiæ rei fuerunt apud nos Italos, qui ceteroquin in variis disciplinis probe exculti, sed nihil vel parum in historia naturali, dum primo contemplarunt Auroram Borealem rarum apud nos spectaculum, sed quod circa dimidium hujus sæculi fuit per aliquot annos satis frequens, crediderunt esse prodigium quoddam, quo Deus nos admoneret de magnis calamitatibus in poenam nostrorum scelerum impendentibus. Et qui cum primo observarunt nostra pariter ætate effectus machinæ electricæ, illos inter præstigias Dæmonum computarunt, ac veros & innocentes Philosophos tamquam certis incantationibus addictos exhorruerunt.

473. Qui autem ad affirmandum aliquid esse miraculum satis habet cognoscere, quo non pertingant vires creatæ, sapientissime segerit, & si secus faxit, jam insipiens habetur. Itaque qui videt per medium ardentis fornacis homines illuc projectos spatiari quasi per hortum, & ex eo egredi omni ex parte tum sui, tum vestium suarum illæsos, jure exclamat Miraculum, quia etiamsi ignoret, quonam se extendat aut vis ignis, aut vis humana circa ignem, hoc tamen certe novit corpora humana & vestes esse materiam subjectam actioni ignis, & proprium hujus esse hæc in ipsum projecta brevi in cineres redigere, & nullam esse vim humanam, quæ hos effectus possit impedire. Miraculum pariter iure exclamant, qui vident hominis imperio elementa obedire, ad ejus nutum manu extenta manifestatum converti pulverem in insecta, excitari fontes e mediis scopulis, & vias amplissimas in medio mari aut flumine aperiri. Quis dubitet de miraculo, qui testis sit de robore infirmis, visu cæcis, auditu surdis, vita mortuis ex improviso redditis? Non posse hæc & similia vi ulla caussarum naturalium præstari tanta certitudine noscimus, ut verbo tenus non ex animo, observante Buffierio (1), possit quis contradicere.

474. J. J. Rousseau, qui admisit posse a Deo fieri miracula, quorum essentiam constituit in sensibili mutatione ordinis naturalis, dedit ansam Bergerio ipsum reprehendendi de contradictione qua concedit simul & negat dari posse sensibiles mutationes in ordine na-

(1) Buf. Premier. Verit. n. 327.

turali; Concedit enim dum tenet posse a Deo fieri miracula, negat vero dum affirmat non posse a nobis cognosci an aliquid sit miraculum. Hoc argumentum est maxime opportunum contra omnes qui magni faciunt propositam objectionem, quandoquidem cum facile sit cognoscere stultum esse negare Deo potentiam miraculorum, jam necessarium est fateri existentiam illorum non esse quid supra mentis nostræ captum positum.

ARTICULUS III.

Objectiones contra miracula ex fine particulari constituendi Religionem revelatam.

475. I. OBiicitur. Miracula demonstrant potentiam Dei, non vero ejus veracitatem: ergo nulla sunt miracula, quæ dicuntur facta ad suadendam religionem revelatam, utpote nulla ad hunc finem opportuna.

Resp. *conc. primam partem antec; & nego secundam*, quæ aliquo modo supponit posse Deum mentiri. Habebatur olim ab Evangelio dictum de quibusdam incredulis, (1) *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Quod nequis sumat tamquam hyperbolam facit Auctor hujus objectionis Anglus Chubb, qui librum de Religione scripsit, cujus epitomen concludunt Trevoltiani (2) per admirationem tantæ hominis impietatis cum furore potius quam cum impudentia conjunctæ. Huic alii accesserunt, qui dicunt quæstionem de connexione inter miraculum, & veritatem ejus, quod Auctor miraculi dicat, esse insolubilem, ad quos Campbell (3), & Auctores tractatus de Religione, qui prostat in fine tomi sexti Dictionarii Disciplinarum Ecclesiasticarum, & separatim prodiit Italice e Gallico redditus Venetiis ann. 1771 (4) diffusam dirigunt hujus connexionis declarationem, quæ similis mihi videtur illi, quam quis contexeret ad suadendam connexionem diei cum sole supra horizontem jam elevato. Sed dato non esse in hac connexione evidentiam, certitudo tamen statim acquiritur per argumenta, quibus (n. 141.) demonstratum est miracula non posse fieri in confirmationem ullius erroris.

476. II. Obiicitur. Miracula non possunt nos deducere ad cognitionem veræ religionis, quæ scilicet habeat dogmata divinitus revelata: ergo miracula pro sanctione ac demonstratione alicujus religionis nulla sunt. Antecedens quod negatur, Increduli probant I. quia etiam Dæmon potest talia facere, qualia sunt, quæ dicuntur mi-

(1) Luc. c. 16. v. 31.
(2) Tre. an. 1734. ar. 92. pag. 1769.
(3) Cam. Dis. on mirac. p. 2. sess. 3.
(4) Tra. della Relig. §. 4. obiec. 4.

miracula. At quicquid admirabile Dæmon permittente Deo efficiat per suam vim, quæ longe superat humanam, certe non est miraculum proprie dictum, & confuse solum consideratum simile apparebit alicui vero miraculo ex dictis supra (n. 394.), adeoque per principia & regulas jam (n. 444.) propositas facile cognoscetur non esse verum miraculum. Hac responsione plane confutatur J. J. Rousseau, qui propterea concludit apud Bergierium (1) standum soli ratiocinio, dum examen instituitur de veritate alicujus doctrinæ, & omittendum omnino tamquam inutile argumentum ex miraculis. Alii vero hæretici qui eadem ratione utuntur ad excludenda miracula nostrorum temporum, habent contra se retorsionem ex eo, quod Dæmonum potestas Christi & Apostolorum temporibus expeditior erat in poenam hominum, qui in morum & principiorum depravatione longe majori versabantur, & nihilominus admittunt Christum & Apostolos censuisse conducere miracula ad manifestandam veram religionem, quæ ab ipsis fatentur patrata, nec negabunt eamdem saltem aliquando fuisse SS. Patrum sententiam, ut S. Augustini (2), & Richardi a S. Victore (3). Qua igitur cohærentia negant nunc fidendum miraculis, quia etiam Dæmon potest similia facere.

477. II. Probant, quia multa etiam ab Ethnicis novimus facta miracula, quæ Valerius Maximus (4) collegit, quibus addi possunt, quæ refert & examinat S. Augustinus (5) non solum ab antiquis relata, sed quæ suis etiam temporibus arte magica dicebantur accidere, & alia permulta, quæ ad imitationem eorum, quæ Vetus & Novum Testamentum referunt, jactabant Ethnici apud Huetium (6), & Jaquelotium (7). At hæc objectio cum supra jam (n. 362.) dissipata sit, illud hic solum dicam, eidem generaliter responderi Ethnicorum miracula non fuisse vera miracula, si ope naturalium caussarum, inter quas sunt homines ingeniosi, & Dæmones astuti, facta fuerunt. Particularis autem responsio, quæ horum aliquibus traditur etiam a S. Thoma (8) est, alia ex illis esse meras fabulas; cum idem Valerius objectus de iis dixerit (9) *in ancipiti versari*, & T. Livius iterum iterumque testetur multa visa creditaque prodigia, quæ non erant: alia esse ludificationes alicujus, qui sibi visus est videre, quæ non vidit, cui ea narranti homines e vulgo non putarunt indignum credere, quem sibi non existimarunt mentiri: alia esse operationes Dæmonum secundum naturæ ipsorum potentiam, quibus

(1) Ber. Deism. ref. Lett. 3. pag. 148.
(2) S Aug. de Util. crede. c. 17. Et cont. epis. fundam. c. 4. Et hom. 8. in c. 3. ad Coloss. n. 5.
(3) Rich. l. 1. de Trini. c. 2.
(4) Val. l. 1. c. 6. & 8.
(5) S. Aug. de Civi. l. 3. c. 31. Et l. 10. c. 16. Et l. 18. c. 18.
(6) Hue. Concord. ration. c. 12. & 18.
(7) Iaq. Exist. de Dieu diss. 4. c. 8.
(8) S. Tho. de Poten. q. 6. ar. 5.
(9) Val. l. 1. c. 8. nu. 7.

hæc operari permisit Deus, cujus judicia occulta sunt: alia esse præstigias vel Dæmonum vel hominum, de quibus quotidianum argumentum circulatores exhibent, qui in conferta intuentium concione ea celeri motu manuum & agitatione præstant quorum rationem vulgus quavis meditatione non assequitur. Quare S. Augustinus generaliter omnia hujusmodi miracula loco eodem qui obiicitur, & alibi appellat *aut figmenta mendacium hominum aut portenta fallacium spirituum*: alia tandem potuerunt esse vera miracula facta a Deo per Ethnicos etiam & improbos in argumentum alicujus veritatis vel commendationem alicujus virtutis (n. 165.) vel alicujus sceleris punitionem.

478. III. Probant, quia S. Augustinus aperte docet non posse per miracula manifestari veram Ecclesiam, (1) *quaecumque*, inquit, *talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt*.
At sententia S. Doctoris non est eruenda ex objectis verbis sejunctim a toto contextu. Hunc habendo præ oculis duo concluduntur. Alterum est, miracula ibi usurpari in sensu ampliori pro quibusvis rebus admirabilibus. Nam imprimis hanc vidimus (n. 21.) esse frequentem acceptionem miraculi apud S. Doctorem. Deinde quod ab hac non recedat in objecto loco probatur, quia ibi sermo est contra Donatistas, qui pro sua hæresi perorabant ex eo etiam quod (2) *illa & illa mirabilia fecit Donatus & Pontius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orantes exaudiuntur*: quæ nullius veritatis argumentum esse probat Augustinus, quia poterant esse portenta fallacium spirituum, & notum aliunde est quandoque esse poenam impetrare quod petitur. Universim autem Donatistæ, qui admittebant scripturas, debuerant agnoscere figmenta esse quævis miracula, quæ pro doctrina illis contradicente proferrentur: non enim Deus secum ipse pugnat; quin immo ipse idem expresse nos monuit caveremus a pseudochristis, qui faciant signa & prodigia. Quæ verba sibi subiiciens idem Augustinus erumpit in hoc epiphonema, (3) *usque adeo nil credi voluit adversus confirmatam scripturarum authoritatem*. Alterum est miracula etiam vera fieri quandoque a Deo ad alium finem, quam ad manifestandam veram Religionem, sed in commendationem virtutis alicujus moralis, quemadmodum censuit S. Thomas dici posse de miraculis, quæ de Vestalibus supra (n. 156.) allatis historiæ referunt. Quare sicuti in hac hypothesi nemo dicit ea miracula fuisse argumentum adhærendi religioni Vestalium, quæ erat Idololatria, ita Augustinus jure reprehendit Donatistas, quod mi-

(1) S. Aug. de Unit. Eccl. c. 19.
(2) Id. Ibid.
(3) Id. l. 13. con. Faustum. c. 5.

miracula, quæ apud ipsos vere etiam contingerent, sumerent pro argumento bonitatis suæ Religionis, quæ tantopere abhorrebat a Catholica, ut ex ipsis scripturis, quas cum Catholicis recipiebant, poterant certo intelligere.

479. Instant. Catholicus dicens miracula nos conducere ad cognitionem veræ Religionis, quam constituit unice in iis quæ docet Ecclesia Catholica, incidit in circulum vitiosum; Nam juxta ipsum miracula declarant veritatem suæ Ecclesiæ, seu Religionis, quam sua docet Ecclesia, & hæc Ecclesia declarat veritatem vel falsitatem miraculorum: Eo ipso miracula non conducunt ad cognitionem veræ religionis: ergo.

Resp. *nego assumptum*. Ad probationem *dist. mai.* Miraculum declarat veritatem Ecclesiæ Catholicæ diverso modo, ac Ecclesia Catholica declaret veritatem vel falsitatem miraculorum, *conc. mai.* secus *nego mai. & min.* Dico itaque Catholicos docere, quod miracula declarant suam Ecclesiam esse veram, tamquam testimonium ipsius Dei de ejus veritate: Ecclesia autem declarat miracula esse vel non esse vera tamquam organum, per quod docet nos Deus veritates quas ad suam gloriam pertinet nos non ignorare. Est enim Ecclesia in ordine ad omnem Dei loquutionem ad quam ex dictis (n 143.) reducuntur miracula, tamquam nomophylax seu tabularius in ordine ad literas regias, qui illas declarat esse veras, ut sine ejusdem manifesta per sigillum vel alio modo approbatione pro nullis habeantur. En igitur quod diverso modo Ecclesia declarat veritatem miraculorum, ac miracula declarent veritatem Ecclesiæ. Quare manifestum est nullum adesse circulum vitiosum, cum concludatur solum mutua inter illa duo caussalitas in diverso genere caussæ. Sic omnes fatentur, quod Sol supra horizontem positus declarat esse diem, ut ipsius caussa efficiens, dies vero declarat esse Solem, ut hujus effectus: & quod anima movet corpus ut Domina, & corpus animam ut hujus subjectum.

480. Illud addo, quod declaratio veritatis Religionis, quam docet Ecclesia Catholica, facta fuit per miracula præcipue in ejus prima institutione seu promulgatione; Nam miracula tunc habita extorserunt sua evidentia assensum doctrinæ plenæ mysteriis, quæ fidem proinde exigebat de rebus non solum non conspicuis sed nec apparentibus quidem, seu supra rationem humanam positis. Quare horum veritas non dicitur tunc fuisse per ipsam Ecclesiam comprobata. Sed postquam hoc modo hæc veritas adeoque & illa hujus Ecclesiæ certa evasit, ipsaque late fuit promulgata & stabilita, iam eidem accessit authoritas, per quam suamet dogmata divinitus accepta tueatur, & de omnibus iudicet, quæ ad eorum conservationem per-

pertinent, cuiusmodi sunt miracula, quæ deinceps accidant. Quamobrem quod S. Augustinus de Christo Dno dixit, quod sibi (1) *miraculis conciliavit authoritatem*, *authoritate meruit fidem*, applicari jam potest ejus Ecclesiæ quæ Catholica est, cui idem Dominus miraculis conciliavit authoritatem, & authoritate meretur fidem. Hanc Ecclesiæ authoritatem habuit præ oculis ipse Augustinus, ubi professus est, (2) *Multa sunt quæ ejus gremio justissime me teneant*, *tenet authoritas miraculis inchoata*.

481. III. Obiicitur a J. J. Rousseau (3). Christus non est usus miraculis in institutione Christianismi, immo requisitus a Doctoribus legis Mosaicæ, qui ipsum audiebant novam prædicare, ut missionem suam aliquo miraculo ostenderet, negavit illis omne signum præter illud Jonæ, quod aliud non fuit nisi prædicatio quam habuit Ninivitis: ergo nulla saltem a Christo facta sunt miracula ex fine constituendi Religionem quam revelavit.

Resp. cum Bergierio (4) *nego ans*. Nam in eodem Evangelii capite, in quo legimus, (5) *coepit Jesus prædicare*, dicitur deinde, *circuibat Jesus totam Galilæam prædicans Evangelium*, *& sanans omnem infirmitatem in populo*. Quod obiicitur de negato miraculo quod Scribæ & Pharisæi petebant, est verissimum, sed ratio etiam manifesta est, & quidem duplex: altera est, quia illud malo animo petebant, quem proderant tribuentes virtuti principis Dæmoniorum liberationem a Dæmonio illius hominis, de quo in eodem capite Evangelium loquitur, referens ipsius Domini querelam de tanta Judæorum contumelia: altera est, quia arroganter petebant, (6) *Volumus*, sic illi, *a te signum videre*, & quidem non qualecumque, sed de Cælo, ut Marcus (7), & Lucas (8) declararunt. Ceterum si tunc abstinuit a miraculis, attamen in iis quæ antea & postea fecit, habuisse hunc finem demonstrandi suam missionem ipsemet Dominus aperte significavit, quando advenientibus qui nomine Jo. Baptistæ rogarunt, an ille esset, qui venturus erat, (9) *respondens dixit*, *renunciate quæ audistis & vidistis*. *In ipsa autem hora multos curavit a languoribus & plagis & spiritibus malis*, *cæcis multis donavit visum*: Et quando Judæis, qui (10) *dicebant ei*, *quo usque animam nostram tollis*, *si tu es Christus dic nobis palam*, *respondit*, *Loquor vobis & non creditis*, *opera quæ ego facio in nomine Patris mei*, *hæc testimonium perhibent de me*, quod in eodem cum ipsis colloquio iterum inculcavit: Et quando omis-

(1) S. Au. de Util. cred. c. 14.
(2) Id. cont. epis. Fundam. c. 4.
(3) Rou. Lett. 3. de la montagn.
(4) Ber. Deism. ref. Lett. 12.
(5) Matt. c. 4. v. 17.
(6) Ibi. v. 38.
(7) Mar. c. 8. v. 11.
(8) Luc. 11. v. 16
(9) Luc. c. 7. v. 21.
(10) Jo. c. 10. v. 24. & 37.

omissis aliis antequam Lazaro quatriduano vitam restitueret professus est (1) se palam gratias egisse, ut ii qui circumstabant crederent se a Patre missum. Pessima autem est interpretatio signi Jonæ pro prædicatione non pro miraculo suæ resurrectionis tertia a morte die, utpote quæ est aperte contraria verbis Domini in Evangelio relatis.

482. Instat. Non potuit Christus uti miraculis ad institutionem Christianismi: ergo non est usus. Ans probat quia ipse optime novit miracula apud homines sinceros perspicaces & doctos futura argumentum dubitandi non solum de ipsorum veritate, sed de ipsa etiam sua missione & Divinitate & de toto Evangelio.

Resp. *nego ans*, quod continet incredulitatem, Evangeliorum contemptu cumulatam. Nego etiam probationem, tum propter suam falsitatem, tum propter illas quæ continentur in suppositionibus, quas involvit. Per se falsum evidenter est miracula non esse medium omnium maxime opportunum ad aliquid suadendum, cum supra jam (n. 327.) demonstratum sit Mundum hac ratione factum esse Christianum. Ipse idem Adversarius paucis ante paginis dixerat miracula esse argumentum revelationis, quod statim incurrit in oculos, nec meditationis & examinis laborem requirit, & omnes persuadet qui huic labori impares sunt: Quonam igitur modo tam cito sibi contradicit? Sed venio ad falsas suppositiones. Prima est: a miraculis pertractos non fuisse ad fidem Christi populos, cum passim Evangelia & Acta Apostolorum & Ecclesiastica historia narrent oppositum de singulis fere miraculis, quæ narrant. Altera est, quod qui ipsa Scripturæ miracula calumniantur, sint docti perspicaces sinceri, cum non sint nisi Increduli, illorum progenies. qui juxta prædictionem Domini (2) ex videntibus sponte cæci fiunt, ut palam est ex contradictionibus, quas in uno eodemque sermone frequenter immiscent. Tertia est quod qui in Christum non crediderunt visis ipsius miraculis, ideo non crediderint, quia de illorum veritate dubitaverint. Hoc certe falsum est de Principibus Sacerdotum, qui certi erant de Lazaro a mortuis revocato, dum (3) *cogitaverunt ut & Lazarum interficerent*, qui jam ipsius Domini mortem propter hoc ipsum miraculum decreverant (4): Et de oculis apertis cæco nato, in quem animadverterunt summo apud illos odii argumento ejectione e synagoga post compertam veritatem miraculi: Caussa igitur non credendi in Christum erat invidia de ejus gloria propter hæc ipsa miracula. Quarta est, quam observat Bergierius (5) Divinæ Sapientiæ esse parcere miraculis, quæ ad Dei honorem.

(1) Joa. c. 11. v. 42.
(2) Joa. c. 9. v. 29.
(3) Joa. c. 12. v. 10.
(4) Ibid. c. 11. v. 53.
(5) Ber. Deism. ref. Lett. 12.

rem impellant multitudinem, ne hujusmodi increduli qui vix erunt in ratione unius ad mille, scandalum ab ipsis per suam malitiam accipiant.

483. IV. Obiicitur. Religio, quæ dicitur revelata, nullum continet dogma, & nullum morum principium, quod non fuerit a Philosophis cognitum & admissum: ergo miracula ad finem inducendi Religionem revelatam superflua cum sint, nulla etiam sunt. Ans probat Freretus (1) ex productis in medium testimoniis philosophorum circa dogmata de Deo, quem unum docuerunt esse & incorporeum æternum immensum immutabilem omnipotentem bonum justum providum, & de anima, quam propugnarunt esse liberam a necessitate in suis actionibus, & immortalem, & æterna felicitate aut miseria afficiendam a Deo pro meritis hujus vitæ: circa autem morum principia in iisdem philosophis testatur reperiri, quæ pertinent ad distinctionem virtutum & vitiorum, ad necessitatem cultus divini, ad amorem proximi ad castitatem ad oblivionem injuriarum, ad quævis demum officia, quæ circa Deum homines & nos ipsos distinguuntur.

Resp. cum Bergierio (2) *nego ans*, cujus falsitatem tot & tantæ rationes demonstrant, ut solus incredulus possit fingere nullas sibi occurrere. I. enim nemo Philosophorum ante religionem revelatam novit mysteria Trinitatis & Incarnationis, neque docuit aut docere potuit modum, quo Deus a nobis coli velit, ut sempiternam largiatur felicitatem. II. nemo pariter illorum novit omnia, quæ sunt de essentia solius etiam religionis naturalis, sed unum reperimus insinuatum ab aliquo unius regionis & temporis philosopho, aliud ab alio alterius, & multa a nemine, cujusmodi sunt octo Evangelicæ Beatitudines, in quibus Freretus (3) fatetur contineri perfectionem admirabilem, sed supra hominum conditionem positam, quam tamen ut sibi constet dicet, vel propositam fuisse etiam a Philosophis, quod esset temere dictum, vel ideo non propositam, quia in hominem cadere non potest, quod contra conscientiam diceret homo de factis Ecclesiæ non ignarus. III. omnes philosophi simul etiam sumpti sunt minima pars hominum, & quamvis ea ipsis demus perspecta fuisse, vulgus tamen ignoravit. IV. eorum cognitio de vero & bono non erat firma & per modum scientiæ, sed fluctuans & per modum opinionis. V. eadem privata etiam erat, & intra Lycei parietes aut umbra porticus unitatem Dei docebant, & dignitatem virtutis extollebant, palam autem thura Idolis incendebant, & vitia eodem modo ac vulgus ignarum & petulans sequebantur. VI.

(1) Fre. Esam. crit. c. 9.
(2) Ber. Conf. dell' esam. c. 9.
(3) Fre. Esam. crit. c. 10.

tur VI. tandem si ex Scriptis veterum colligi possunt praeclarae veritates circa dogmata, & egregia effata circa mores, facilius colligas contraria documenta & sententias, quae simul proposita ut ex parte fecit Lactantius (1) horrorem cum admiratione excitabunt de tanta hominum ante adventum Christi caecitate & malitia. Satis est meminisse de Academicis, qui nihil credebant posse affirmari, de Stoicis, qui Fatalismum & Materialismum sequebantur, & de Epicureis qui de Deo & bonis moribus inquirebant, ut utrumque excluderent & soli voluptati liberius indulgerent.

Articulus IV.

Obiectiones contra miracula ex fine conservandi religionem revelatam.

484. I. Obiicitur. Acquisito fine cessat ratio faciendi, quae propter illum fiebant: Sed miracula facta sunt, ut homines crederent in Christum juxta illa (2) *Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus*: Et (3) *Hec scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei*: ergo acquisito jam olim ut est evidens hoc fine cessat ratio faciendi miracula, ac proinde nulla jam sunt. Vigilantius primus apud S. Hieronymum sic est argumentatus.

Resp. *con. mai. & dist. min.* Miracula facta sunt ut homines crederent in Christum, tamquam immediato & unico plurimorum fine *conc. min.* tamquam immediato & unico omnium & singulorum fine *nego min. & conseqm.* Miracula enim quae in Veteri & Novo Testamento narrantur, & ab ipsis adversariis admittuntur, apparent facta generaliter quidem ad Gloriam Dei: speciatim vero alia ad conversionem infidelium, & confusionem haereticorum, alia ad bonum justorum aut poenam malorum, alia ad declarationem Sanctitatis alicujus hominis, ad confirmationem eorum qui minus robusti sunt in fide, ad augmentum ipsius fidei spei caeterarumque virtutum in fidelibus, ad conservationem tandem Ecclesiae contra tot Incredulos, qui tamquam zizania in medio verae Ecclesiae reperiuntur, & contra tot haereseon quasi turbines & tempestates circa plures Fidei articulos, quos Sectarii omni tempore convellere conati sunt, (4) *Non cessat Deus*, sic de sua aetate S. Thomas, *etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari*; Cum enim Sectarii post admissa cum Catholicis antiqua miracula Christi & Apostolorum, & maximam Novi Testamenti partem tamquam Divinam revelationem dissentiant in quibusdam fundamentali-

(1) Lac. Inst. l. 3.
(2) 1. Corinth. c. 14. v. 22.
(3) Jo. c. 20. v. 31.
(4) S. Tho. l. 1. con. Gent. c. 6.

libus Fidei doctrinis, ut in necessitate Sacramenti poenitentiæ, in præsentia Corporis Christi Dni sub speciebus panis & vini debita forma consecratorum, in existentia Purgatorii, in Invocatione Sanctorum, in cultu Sacrarum Imaginum, aliisque, opportunissimum est novum Divinum Testimonium in aliquo miraculo, quod hujusmodi dubia ab imperito vulgo tollat aut removeat. Quis enim ex eo, quod Christus Dn. Lazarum ad vitam revocaverit, aut cæcum a nativitate illuminaverit, inferat, ergo confitenda sunt sacramentaliter peccata, aut ergo existit Purgatorium & similia. Objectio interea tota recidit in Adversarios; Si enim miracula sunt propter fidem stabiliendam, ubi nam sunt miracula pro ipsorum fide in tot tantisque contrariis fidei majorum suorum & Ecclesiæ Catholicæ?

485. At reponit Stillingfleetus apud E. VV. (1), Faciant igitur Catholici apud nos, quos vocant hæreticos miracula pro iis, in quibus ab ipsis dissentimus. Huic instantiæ ab aliis jam usque ab antiquissimis temporibus factæ ut videre est apud Michaelem Medinam (2) respondetur perperam posci miracula non necessaria inutilia & contra ordinariam Dei Providentiam in extraordinariis efficiendis. Quæ tria sic per partes ostendo. Imprimis necessaria nunc non sunt miracula: Nam juxta S. Augustinum (3) *per majores nostros, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos actum est, ut necessaria non essent posteris, cum Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit*. Deficiente igitur necessitate a sola libertate & misericordia Divina dependet novis miraculis articulos Fidei ipsis Sectariis jam notos confirmare.

486. Deinde quid miracula postulant, quæ inutilia illis forent? postquam ipsimet impediunt ne locum habeat gloria Dei, finis omnium miraculorum, quemadmodum supra jam (n. 465) ex ipsorum improbitate & incredulitate conclusum fuit, & luculenter demonstrant non solum quæ hactenus dicta sunt, sed quod novimus aliis temporibus accidisse in aliis, quorum hi vestigia sequuntur. Habemus enim a S. Augustino (4) Petilianum Donatistam nihil solitum commoveri a miraculis Catholicorum, quia eos dicebat esse ex illis, quibus clamantibus, (5) *Domine in nomine tuo virtutes multas fecimus*, Dominus confitebitur, *Numquam novi vos*. Sed omittamus argumentum ex historiis humanis, ubi occurrunt Evangelicæ. Vitam Dominus restituit Lazaro a quatuor jam diebus sepulto miraculo ex se & ex adjunctis præclarissimo: Attamen aliqui ex multis, qui illud suismet oculis viderunt, nihil ex eo profecerunt; Nam cum Evan-

(1) E. VV. Discou. of mirac. c. 18.
(2) Med. Christ. paræn. l. 2. c. 8.
(3) S. Au. de vera relig. c. 25.
(4) S. Aug. Ibid.
(5) Matt. c. 7. v. 22.

Evangelista dixerit (1) *Multi qui viderunt, crediderunt in eum: quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos*, Patres apud Maldonatum notant ex oppositione inter *crediderunt* & *abierunt ad Pharisæos* concludi abeuntes non credidisse in Christum, sed eum habuisse vel tamquam sacrilegum, qui mortui corpus effodisset, vel tamquam præstigiatorem, certe quidem perturbatorem Reipublicæ, qui suis miraculis Pontificum & Pharisæorum gloriæ officeret. Hoc sine controversia est, quod ejus Reip. capita audito tam insigni miraculo (2) *collegerunt concilium*, hujusque conclusio fuit quod *ab illa die cogitaverunt ut interficerent eum*, nec unquam nisi eo crudeliter occiso conquieverunt. Atque cum Christus tertia die prout dixerat resurrexerit, & illustre miraculum in ejus confirmationem non multo post Petrus effecerit sanans repente claudum (3) *annorum amplius quadraginta* in nomine Jesu Christi, (4) *quem Deus suscitavit a mortuis*, illi non solum non recesserunt a suscepta deliberatione non credendi in Christum, sed novis (5) celebratis conciliis consuluerunt de modo, quo hæc in aliis fides impediretur. Hujusmodi evangelicæ historiæ respondet quod dictum est in parabola divitis in inferno sepulti dum rogavit (6) Abrahamum ut mitteret Lazarum ad quinque fratres suos, qui iis testaretur de supplicio malorum in alia vita, quia dicebant, *Siquis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent*, responsum scilicet fuit, *Habent Moysen & Prophetas: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis resurrexerit credent*. Constat igitur de inutilitate novorum miraculorum, quæ Increduli postulant.

487. Restat tertium, miracula non fieri iuxta ordinariam Dei providentiam coram Incredulis. Hoc luculenter probat, quod accidit in civitate Nazareth; ubi scriptum est non fecisse Christum (7) *virtutes multas propter incredulitatem eorum*: & quod accidit Herodi (8), & quibusdam Pharisæis (9), qui sine fide in Christum desiderantes & postulantes ab eo miraculum, nullum obtinuerunt. Atque (10) *hæc* inquit Maldonatus, *ratio est, cur etiam hodie qui maxime miracula videre volunt, minime videant, quia non credentes, sed de fide dubitantes videre volunt*.

488. II. Obiicitur, Miracula post traditas nobis Divinas Scripturas utriusque Testamenti sunt inutilia: ergo nulla iam sunt miracula. Ans probatur ex illo Christi Dni, (11) *Si Moysen & Prophetas non*

(1) Joa. c. 11. 45.
(2) Ibid. v. 47.
(3) Act. c. 4. v. 22.
(4) Ibid. c. 3. v. 15.
(5) Matt. c. 28. v. 12. Act. c. 4. v. 5.
(6) Luc. c. 16. v. 27.
(7) Matt. c. 13. v. 58.
(8) Luc. c. 23. v. 8.
(9) Matt. c. 12. v. 39.
(10) Mal. in Matt. c. 13. v. 58.
(11) Luc. c. 16. v. 31.

non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Resp. *nego ans.* Nec probatio est opportuna, quia ex adducto ibidem testimonio solum infertur miracula reddi posse inutilia, non vero esse. Inutilia autem reddunt, qui pro sua malitia vel de praestigiis accusant quaevis conspicua miracula, vel etiamsi haec non negent, immo videant & fateantur, illud tamen quod per ea Deus vellet crederent aut agerent, nolunt ipsi pro sua libertate credere aut agere, cujusmodi fuerunt Judaei, qui quamvis non negarent, quae prae oculis habebant signa Divinae Missionis Christi, caecos ab eo illuminatos, & mortuos etiam putrescentes jam redivivos, & alia praeclarissima prodigia, nihilominus ita noluerunt credere ipsum esse Messiam, ut tandem eumdem crucifiggerent.

489. III. Obiicitur a Sectariis. Nos praedicamus Evangelium, prout jacet in Scripturis: ergo opus jam non est miraculis ad suadendum, quod Deus jampridem stabilivit cum miraculis. Quod si iis opus jam non est; jam non sunt; Nam Deus nihil frustra facit.

Resp. *dist. ans.* Praedicant Sectarii Evangelium prout jacet in Scripturis detortis a sensu Catholicae Ecclesiae *conc. ans.* juxta hujus sensum, nobis praedicatum a Christo, traditum ab Apostolis, confirmatum a Sanctis, propugnatum a Martyribus, stabilitum a miraculis, *nego ans.* Omnes haeresiarchae Montanus, Marcion, Cerinthus, Manichaeus, Arius suas haereses eodem modo venditarunt tamquam purum verbum Dei, sed quia tale non erat, sed perversa ejusdem detorsio, sunt perditissimi perduelles. *Nego* autem *consequ.* I. quia quamvis Christus & Apostoli praedicantes Evangelium usi fuerint testimoniis Veteris Testamenti, nihilominus miraculis opus esse crediderunt ad illorum applicationem suadendam, utpote nondum satis intellectam. II. quia donec Sectarii proferant & evulgent novas & inauditas Scripturae interpretationes, quae fidem & mores pervertant, dici non ita facile poterit opus amplius non esse miraculis. III. quia ea consequentia continet falsam suppositionem, quod miracula fiant solum pro infidelibus & coram illis. Nonne fideles erant Hebraei sub Moyse, pro quibus tot ac tanta in deserto facta fuerunt prodigia: & turbae quae Christum sequebantur in eum credentes, pro quibus bis multiplicati fuerunt panes & pisces: & Apostoli pro quibus mare ex procelloso factum illico fuit tranquillum ad Christi imperium.

An-

ARTICULUS V.

Objectiones contra miracula ex fine manifestandi alicujus Sanctitatem.

490. I. OBiicitur. Nostra ætate de quodam Diacono Francisco de Paris Parisiensi, qui anno ætatis suæ 37 vitam clausit in aperto ab Ecclesia Romana schismate, conficta novimus permulta miracula tamquam qnotidie patrata ad ejus sepulcrum, donec edicto tandem Regis anno 1732 impeditus fuit ad illum accessus, & fons tantæ fraudis obstructus: ergo miracula non possunt esse argumentum sanctitatis.

Resp. *conc. ans & dist. conseqs*: miracula ficta & similia illis quæ de hoc Diacono a mendacissimis factiosis spargebantur, non possunt esse argumentum sanctitatis, *conc.*, secus *nego conseqm.* Etsi qualia fuerint miracula hujus Paridis supra jam (n. 159.) dixi, nihilominus juvat audire quæ de iis dixerit Bergierius (1). Observat ille communia omnibus fuisse hæc attributa. I. quod illa crediderint, ve a se credi finxerint pauci in eorum comparatione, qui eadem de impostura palam & constanter condemnarunt. II. quod improbi, qu neque publicam per compita verberationem neque aliud suppliciur contra fraudolentos timerent, ea promulgabant in argumentum ir nocentiæ quin immo sanctitatis in quibusdam actionibus, quas omnes Catholici jure pro illicitis habebant, contemtu scilicet quarumdam legum ad doctrinam & mor s spectantium, quas per ea tempora Sedes tulerat Apostolica. III. quod eadem testarentur homines copiosa pecunia ad hanc fraudem conducti. IV. quod multi ex ipsis factiosis contra eadem tandem conclamarunt, postquam certiores facti fuerunt de sceleribus, quæ in hisce confictis miraculis immiscebantur. V. quod nemo produceret pro illorum veritate authoritatem ullius Magistratus. VI. tandem quod instituto ad normam juris illorum examine omnium fraus comperta est.

491. II. Obiicitur. Donec extet Magia, ars quædam quæ prestat effectus admirabiles, nihil potest statui esse verum miraculum ullius sanctitatem demonstrans: ergo.

Resp. *nego ans*. Atque ut tricas dissolvam, quas Adversarii student contexere per hoc magiæ nomen cujus claram ac distinctam ideam vel dissimulant si habent, vel negligunt sibi comparare si non habent, dico Magiæ nomen, quod juxta S. Hieronymum (2) Chaldæum est seu Persicum ex sua institutione significare summam huma-

(1) Ber. conf.dell'esam.c.1. n.3. & c.6. n. 3.

(2) S. Hie. in Dani. c. 2.

manæ sapientiæ perfectionem. Quare præclari Pilosophi dicebantur Magi. Sed usus jam obtinuit ut significet facultatem præstandi effectus admirabiles, & etiam ut duæ ipsius species, altera naturalis, altera superstitiosa distinguantur,

492. Prima est, quæ effectus obtinet per applicationem caussarum naturalium, quas vulgus non cognoscit, sed pauci solum ex Philosophis, in quibus est Gaspar Schottus, ut planum est ex suo celebri opere quadripartito *De Magia universali Naturæ & Artis*. Atque hujus Magiæ multæ sunt subalternæ species, quot nimirum habent scientia physica, & physico mathematica. Effectus per hanc habiti naturales sunt, & longe a miraculis distare vulgus ipsum cognoscit ex eo, quod videat eos fieri quasi per lusum, & quin ad Divina ordinentur, quam ordinationem novit propriam esse veri miraculi, & propterea credit vel esse effectus naturales ex caussis sibi ignotis, quarum notitiam iis invidet, qui eam habent, vel esse operationes mali Dæmonis, quas detestatur, cujusmodi creditæ ab aliquibus fuerunt effectus machinæ electricæ, cum primum nostra ætate coeperunt exhiberi.

493. Venio ad magiam superstitiosam seu diabolicam, vel ut alii cum Medina (1) dicunt cærimonialem supra (n.21.) definitam, cujus pariter multæ apud eumdem, & apud Laurentium Beyerlink in suo *Theatro Vitæ humanæ* distinguuntur species per proprias singulis appellationes, & cujus originem Auctor Recognitionum sub nomine S. Clementis Romani repetit a Mizriam filio Cham, & nepote Noe. De hac dico, quod effectus ipsius propter hoc ipsum, quod dicuntur esse vi Dæmonis, jam non sunt miracula. Nam sunt ad summum supra vires naturæ creatæ corporeæ, non vero spiritualis, & persæpe sunt meræ præstigiæ. Hujusmodi fuerunt, quæ de Eudone Britone hæretico homine & damnato in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. Baronius ad ann. 1148 describit ex Guglielmo Neubrigensi (2): Et quæ Berninus (3), & Brancatus (4) referunt ex Dubravio de quodam Zytone, qui in aula Venceslai Regis Boemiæ modo hominum manus in formam pedis equini commutabat, modo illorum capita ramosis cervorum cornibus ad nutum voluntatis prægravabat, modo integros deglutiebat, deinde membratim eiiciebat, & tandem iterum in vivos homines componebat.

494. Itaque dum Adversarii obiiciunt Magiæ adscribi posse quæcumque proferantur miracula facta in contestationem sanctitatis alicujus, vel loquuntur de Magia naturali, & hæc utpote limitata ad paucos effectus, sin minus vulgo, aliquibus saltem doctis certe cogni-

(1) Med. Christ. paræn. l. 2. c. 7.
(2) Neu. Hist. l. 1. c. 9.
(3) Ber Histor. dell' Eres. sec. 15. c. 2.
(4) Bra. de Mirac. n. 684.

gnitos, non habet locum, in miraculis primi & secundi gradus, ut est evidens, neque in illis tertii gradus, ut evincitur per regulas jam (n. 451.) propositas: vel loquuntur de magia superstitiosa, ad quam revera appellat Calvinus, cujus est hæc propositio, Miracula *quæ pro se Catholici obtrudunt, meræ sunt Satanæ præstigiæ*: At quis unquam dixit aut novit ad effectionem aut impetrationem miraculorum, de quibus agitur, alias usurpari cærimonias, quam omnino sanctas, & ab Ecclesia receptas? Qui per superstitiones olim morbos pellere aut arcere, aut alia admiranda tentabant a Dæmoniis obtinere, adhibebant, ut notavit Origenes (1) *lustrationes & incantationes, aut effigies formasque Dæmonum varias, & præter hæc in vestibus numeris lapidibus plantis radicibus amuleta diversorum generum*, quare concludit non opus esse huic criminationi respondere, *cum ne levis quidem suspiciuncula de nobis sit, quasi talia tractantibus*.

495. Quod siquis hanc quamcumque suspicionem vellet penitus evulsam etsi imprudenter obortam, & a Christianorum persequutoribus acceptam, qui magicis artibus tribuebant ferreas catenas ad pedes martyrum confractas persæpe inveniri, & graves plagas heri inflictas hodie nullas esse, & aquas ignem feras gladios naturam suam mutare contra ipsos adhibita, id facile obtinebit ex iisdem generalibus regulis, & illis præterea argumentis, quibus similis Judæorum calumnia contra Christi miracula supra (n. 343) fuit oppressa. Hanc ob ectionem Origenes sic olim retorquebat, (2) *si semel admittimus manifeste existente arte magica, quæ genios malos eliciet ad patranda miracula, consequens est ut etiam Divinæ virtutis operationes inveniantur inter homines: aliter has negans perinde facere videretur, ac si fassus sophismata quædam esse rationesque probabiles, negaret extare apud homines alias veras longeque diversas a sophismatibus*. Eadem retorsio habetur etiam in his S. Augustini verbis (3) *Si hæc immundi Dæmones possunt, quanto potentiores sunt Sancti Angeli Dei, quanto potentior his omnibus Deus, qui tantorum miraculorum effectores etiam ipsos Angelos facit*.

496. Illud hic advertam, quod alias (n. 93. & 290.) feci, esse qui magiam superstitiosam existimant fabulosam, adducentes pro se Neronem & Julianum Apostatam, qui ejus vanitatem experti sunt, postquam nihil intentatum reliquerunt, ut effectum saltem unum obtinerent, quemadmodum de Nerone affirmat Plinius (4), & de Juliano Ammonius Marcellinus, Procopius, & alii. At nullum est hujusmodi argumentum; Nam dicitur cum Nicolao Serario (5) & Del

(1) Orig. l. 6. c. cels. n. 311.
(2) Orig. l. 2. c. cels. n. 95.
(3) S. Au. de civ. l. 21. c. 6.
(4) Pli. Hist. l. 22. c. 1.
(5) Ser. in Tobi. c. 6. q. 19.

Del rio (1) *non passam esse Dei providentiam Diabolum illorum potentiæ & malitiæ depravatissimæ accedere*.

497. InstatScipioMaffejus in Italica epist.*De arte magica dissipata*: Saltem post consumatam a Christo redemptionem nostram omnino impeditus est Diabolus ab efficiendis operibus inusitatis & admirabilibus per incantationes; Hoc enim significat illud Apocalypseos, (2) *Vidi Angelum descendentem de Cælo, & apprehendit draconem, qui est Diabolus & misit eum in abyssum & clausit*. Sed negato assumpto ad ejus probationem dico, Patres & probatos Interpretes abunde citatos ab Aquila (3) intelligere ea verba per coercitam Diaboli potestatem atque tyrannidem in hanc terram, ita ut nihil jam nocere possit nisi volentibus, quos Apostolus dixit esse (4) *filios diffidentiæ* hoc est inobedientiæ, & in eos etiam nunc operari.

498. Itaque pro existentia talis damnatæ artis sunt hæc argumenta. I. Præter laudatum Apostoli testimonium habemus de Diabolo scriptum (5) *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret*: Et S. Augustini sententia est, Idololatriam, quæ juxta S. Scripturam (6) originem habuit ab imaginibus defunctorum, incrementum accepisse a malis Dæmonibus, qui per eas incoeperunt mira aliqua efficere, (7) *Non enim* inquit, *se aliter colendos esse persuaserunt nisi mirabilibus operum effectibus*, quos alibi docet sæpe ab ipsis effici per suos etiam cultores, quandoquidem Dæmoniis (8) *Divina lege sæpe conceditur, ut eis quos secundum merita subiugaverint, privato illo jure miraculorum aliquid præstent*, idque scimus futurum in Antichristo ab illa prophetia, (9) *Dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam*.

499. II. Certum est tempore Moysis fuisse, qui Magiam profitebantur a Deo detestatam; Nam illam iterum iterumque prohibuit Hebræis, (10) *Non declinetis ad magos*: & infra iram Domini coram se habere dicitur *anima, quæ declinaverit ad magos*.

III. Constat primis Ecclesiæ temporibus Simonem & Elymam per Magiam Diabolicam magnum sibi nomen comparasse; De Simone enim dicitur, quod illi (11) *auscultabant omnes a minimo usque ad maximum dicentes, hic est Virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos*. De Elyma vero dicitur a Paulo repleto Spiritu Sancto, (12) *Fili*

(·) Ri. Dis. Ma. 9. l. 1. q. 7. in fine
(6) Apo. c. 2. v. 1.
(7) Aqu. Dizio. d. Bibbia. ar. Pitone
(8) ad Ephes. c. 2. v. 2.
(7) Job. c. 41. v. 24.
(8) Sap. c. 14.
(8) S. Au. de civi. l. 10. c. 18. Et l. 8. c. 24
(8) Id. l. 83. qq. q. 79.
(7) Apoc. c. 13. v. 2.
(8) Lev. c. 19. v. 31.
(8) Act. c. 8. v. 10.
(7) Ibid. c. 13. v. 10.

li Diaboli non desinis subvertere vias Domini. IV. memoriæ proditum est referente etiam S. Augustino (1) Numam Pompilium Regem Romanorum commercium cum Diabolo habuiſse, & per ipſum multa noviſse & feciſse, ita ut etiam libros de Magia reliquerit, quos tamen Senatus incendit: Eademque fit accuſatio contra Aeſculapium & Pythagoram. V. multa ſunt in Utroque jure loca, in quibus effectus Magiae Diabolicae narrantur, & graviſſimæ poenae decernuntur contra ejus cultores, ut docebit Petrus Danieli (2). Quis autem dicat iura omnia in hac re peccaſse falſis ſuppoſitionibus?



(1) S. Au. de Civ. l. 7. c. 35.
(2) Dan. Inst. Grimin. l. 3. tit. 16.

PARS VI.

De potestate creaturis concessa patrandi miracula.

PROPOSITIO I.

Sancti tum in terris viventes tum beati in Cœlis, quin immo ipsa Christi Dn. humanitas sunt miraculorum causa dumtaxat moralis.

ARTICULUS I.

Argumentum pro prima parte.

500.  Rima pars quod Sancti sint aliquo modo causæ miraculorum, probatur, tum quia habemus expresse, quod Christus Dn. (1) *discipulis suis dedit potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* Et ipsemet iisdem dixit, (2) *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Verumtamen in hoc nolite gaudere, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis*: tum quia ut vidimus in utroque Testamento miracula passim prædicantur de Sanctis tamquam eorum authoribus, sive ii viverent adhuc, sive jam obierint, ut constat de Eliseo, qui (3) *in vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*: & de Onia summo Sacerdote ac Jeremia propheta, qui jam mortui promiserunt in visione Judæ Machabæo victoriam, qua (4) *prostraverunt non minus triginta quinque millia* inimicorum.

501. Hinc cognoscimus quanto jure Concilium Tridentinum definierit (5), *juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum decreta bonum atque utile esse suppliciter Sanctos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Iesum Christum Dominum nostrum ad eorum orationes opem auxiliumque confugere* contra Lutheranos, Zuinglianos & Calvinistas, qui

(1) Matt. c. 10. v. 1.
(2) Luc. c. 10. v. 19.
(3) Eccli. c. 48.
(4) Mach. l. 2. c. 15. v. 2.
(5) Trid. sess. 25. Decreto de Invocat. SS.

qui docent Sanctos non esse invocandos : In qua hæresi fuerunt olim Eunomiani , Eustathiani , & Porphyriani , & deinde Vigilantius natione Gallus & Barcinonensis Ecclesiæ presbyter, contra quem multa scripsit S. Hieronymus.

502. Obiicitur. Sancti jam mortui utpote qui amplius nobiscum non sunt, non audiunt nostras preces, & ignorant nostras necessitates: Ergo hi saltem nequeunt esse ullo modo caussa ullius miraculi.

Resp. *nego ant*, quod continet unum ex argumentis, quo hæretici per damnatam jam in citato Tridentini decreto impietatem audent *asserere stultum esse in Cælo regnantibus voce vel mente supplicare*. Quis enim , inquit Calvinus apud Jacobum Gaultier (1) , credat tam longas aures Caelitibus dari, ut audiant nostras preces, aut oculos tam acutos, qui nostras videant necessitates, quasi animæ Sanctorum vel non sint in Cælo ab omni corpore separatæ. vel in hoc statu non habeant modum cognoscendi independentem a corpore , & omnino spiritualem, qualis in Deo est & in Angelis. Cum igitur certa jam sit falsitas hæretici antecedentis, ut distinctius docebunt, qui illud ex professo jam confutarunt Theologi, ut citatus Gaultierus, vir ut ait Alegambe (2) doctus in paucis , & Maldonatus (3), & Becanus (4) , & Brancatus (5), quæri solum potest quonam modo necessitates & preces nostræ notæ illis sint.

503. Quæstionem passim definiunt Theologi cum S. Thoma docentes nota ea esse vel per revelationem divinam, vel per eorumdem visionem in Verbo. (6) *Cogitationes cordium*, inquit S. Thomas in quartum sent. *Solus Deus per se ipsum novit : sed tamen Sancti cognoscere possunt quatenus eis revelantur, vel per visionem, vel quocumque alio modo*: quod deinde in Summa (7) iterum docuit: Et in quæstionibus disputatis hanc etiam hujus doctrinæ rationem proponit, quod (8) *ad Sanctorum beatitudinem pertinet, ut cognoscant eos , qui sua beneficia implorant*, quam Durandus luculenter sic exponit, (9) *Omnes Beati cognoscunt nostras orationes sive mentales sive vocales, quæ ad eos diriguntur, quia secundum B. Augustinum ad beatitudinem requiritur, quod quisque habeat quicquid vult, nec velit aliquid inordinate. Sed quilibet recta voluntate vult cognoscere ea, quæ ad ipsos pertinent: Sed orationes, quas ad eos dirigimus eo ipso ad ipsos pertinent, tamquam mediatores inter nos & Deum*. Quoniam vero Durandus hic potius infert cognitionem in Sanctis nostrarum precum ex quodam S. Augustini

Mm 2 prin-

(1) Gau. Anato. du Calvin. Dilem. 131. Et in Tabulis Chronogr. sæc. 1. Verit. 3.
(2) Ale. Bibioth. Scripto.
(3) Mal. in Jo c. 6. v. 68.
(4) Bec. Manu. contror. l. 1. c. 7.
(5) Bra. de Mirac. n. 600.
(6) S. Tho. dist. 45. q. 8.
(7) Id. 2. 2. q. 83. ar. 4. ad 2.
(8) Id. de Verit. q. 8. ar. 4.
(9) Du. in 4. sent. dist. 45. q. 4.

Dominus Jesus Christus. Surge & continuo surrexit. In hac efficacia ad miracula tunc non solum ab Apostolis, sed ab omnibus fidelibus exorata in nomine Jesu Christi juxta ipsius promissionem (1) Qui crediderint, *in nomine meo Dæmonia eiicient, &c.* præclarum habetur argumentum Divinitatis Christi.

506. Similiter Apostolus volens Elymam punire subvertentem vias Domini rectas dixit, (2) *Ecce manus Domini super te: & eris cæcus*: Et de aliis ejusdem miraculis apertissime scriptum est quod ea (3) *faciebat Deus per manum Pauli*: & omnia quæ acciderunt in prædicatione Evangelii tribuuntur Deo, (4) *Contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus*, cui testimonio consonat, quod dicitur in fine Evangelii S. Marci Deum confirmasse signis sermonem Apostolorum, & quod legitur in Actis (5) *Domino dante signa & prodigia fieri* non a manibus, sed *per manus* Apostolorum, quem modum loquendi supra etiam Scriptura (6) adhibuit, & infra (7).

507. Quin immo Scriptura sæpe expresse dicit a solo Deo fieri miracula, (8) *Benedictus Dominus qui facit mirabilia solus: Confitemini (9) Domino qui facit mirabilia magna solus: Mirabilia (10) opera Altissimi solius.* Hunc loquendi modum tam aperte excludentem a ratione causæ proprie efficientis, cujusmodi est caussa physica omnem creaturam, observavit jam Suarez (11), qui ceteroquin in tertiam partem, ut infra constabit, nobis ex professo opponitur, quantum ad eam propositionis partem, quæ ipsam humanitatem Christi Dni affirmat esse dumtaxat causam moralem miraculorum. Huc facit, quod Deus perquam sæpe appelletur in Scripturis Deus virtutum, quod nomen ex dictis (n. 14) synonimum est miraculo, ut in psalmis 23, 45, 47, 67, & ter in psalmo 79, & iterum ter in psalmo 83, aliis omissis. Et quod eædem Scripturæ non dicunt, quod Sancti, sed Deus fit (12) *mirabilis in Sanctis*: ergo ex Scriptura nulla creatura est caussa physica miraculorum.

508. II. Probatur. Miracula sunt effectus supernaturales (§. 1.): ergo non aliter effici possunt a creaturis sive in terris sint sive in Cælis, quam per tales actiones, quæ terminentur in aliquid, ex quo ea miracula sequuntur, nimirum in preces ad Deum, vel desideria, vel operationes aliquas, quibus positis si Deo libeat, ab ipso tandem physice efficiantur: Atqui ex alibi (13) dictis aliquid efficere per

(1) Mar. c. 16. v. 17.
(2) Act. c. 13. v. 10.
(3) Ibid. c. 19. v. 11.
(4) ad Hebr. c. 2. v. 4.
(5) Act. c. 14. v. 3.
(6) Ibid. c. 5. v. 12.
(7) Ibid. c. 19. v. 12.
(8) Psal. 71. v. 18.
(9) Psal. 135. v. 3.
(10) Eccli. c. 11. v. 4.
(11) Sua. de Angelis. l. 4. c. 39. n. 5.
(12) Psal. 67. v. 37.
(13) De caus. efficie.

per actionem, quæ non terminetur in datum effectum, sed in id, ex quo vi alterius caussæ physicæ sequatur, est esse illius caussam dumtaxat moralem: ergo

Quin immo in aliquibus etiam miraculis alicui Sancto attributis nulla apparet ipsius caussalitas ne moralis quidem, ut in cadavere, quod projectum in sepulcrum Elisei (1) *cum tetigisset ossa ejus revixit*, Ossa enim mortui sunt iners materia, quæ proinde nihil ex se conferre potuerunt ad eam resurrectionem. Solum restat anima Elisei a suo corpore jam separata, quæ potuit divinitus edocta de projectione hujus cadaveris supra ossa a se olim informata exorasse Deum pro eo miraculo. Atque hoc unice modo utique non apparenti fuisset illius caussa moralis: & hoc excluso non aliter Eliseo tribuetur, quam quia in ejus gratiam palam est factum a Deo fuisse.

509. III. Probatur authoritate S. Augustini, qui aperte dicit, (2) *Sancti qui fecerunt miracula, faciebant hæc implorando divinam virtutem, non imperando: & si aliquando talibus imperabant, hoc non erat in virtute propria, sed exprimenda virtutem Christi tamquam ministri non domini*. Idem illud Christi Dn. (3) *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, interpretatur (4) *quod per illos ipse dignaretur eadem & majora facere, qui dixit illis sine me nihil potestis facere*: & infra Christum ipsum inducit discipulis dictum suum sic explicantem, *Non vobis hoc impossibile videatur; Non enim esse poterit major me qui credit in me, sed ego sum facturus & tunc majora quam nunc*. Idem volens suadere opera bona ita a nobis fieri, ut tamen ipsi Deo tribui debeant, ait (5) *Si propterea non est opus Dei, quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud est opus Dei, ut mons transferatur in mare, quia hoc ipsorum operi attribuit dicens, si habueritis in vobis fidem, & dicetis huic monti tollere, fiet: & tamen homo nullo modo facit hoc nisi illo donante & operante*. Mitto alia (6) in quibus eamdem doctrinam inculcat. Brancatus (7) statuens speciatim de Sanctis in Cælo, hos *impetrative tantum posse miracula facere*, credit se id suadere referens multa SS. Patrum & Conciliorum dicta præsertim Tridentini decretum de Invocatione SS., quibus docemur Sanctos suis ad Deum precibus impetrare nobis beneficia. Sed minus efficax reputabunt hoc argumentum, qui observant ex hoc non inferri quod Sancti ipsi physice non efficiant nobis aliqua saltem ex his beneficiis.

510, IV. Probatur authoritate S. Thomæ, cujus doctrina est sæpius re-

(1) 4. Reg. c. 13. v. 24.
(2) Id. in c. 9. Matth.
(3) Joa. c. 14. v. 12.
(4) S. Aug. tr. 72. in Joan.
(5) Id. de spiritu & liter. c. 35.
(6) Id. de Civit. l. 10. c. 12.
(7) Bra. de mirac. n. 583.

repetita, (1) *Ex hoc aliquid dici miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ: hoc autem non potest facere nisi Deus: Unde relinquitur quod solus Deus miracula facere possit*. Quare ibidem negat miraculum esse quicquid Angeli & quæcumque alia creatura propria virtute operantur. Idem alibi loquens de miraculorum potestate concessâ Apostolis expresse docet, quod (2) *Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur: tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo & imperativo, sicuti Act. 3, legitur, quod Petrus dixit claudo, In nomine Jesu Christi surge & ambula*. Plura alia luculenta testimonia S. Doctoris occurrent in decursu propositionis.

511. V. Probatur ex communi hominum consensu, quod sic declaro. Pharao cum ranarum vexationem & flagellum tonitruum & grandinis non posset amplius tolerare, non dicit Moysi & Aaron ad se vocatis, Oro ut auferatis ranas, & desinant tonitrua & grando, sed (3) *Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei & grando*. Similiter Jeroboam Rex Israel amisso usu manus arefactæ simul ac eam extendit contra virum Dei, precatus est illum in hæc verba, (4) *Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me ut restituatur manus mea mihi*. Et Rex Syriæ audiens prophetam esse apud Regem Israel, qui posset tollere lepram a Naaman principe militiæ suæ, ipsum ad eum mittit cum epistola (5) *in hæc verba: scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua*. Profecto Rex Syriæ non credebat curationem faciendam nisi per Prophetam, de quo sibi facta fuerat mentio; attamen quoniam hoc non scribebatur, nec Regi Israel aliunde innotuerat, *cum legisset literas, scidit vestimenta sua, & ait, numquid Deus ego sum. Videte quod occasiones quærat adversum me*: quæ verba videntur dirigi ad suos consiliarios, qui legitimam reputarunt perturbationem Regis cum tota Urbe, cui brevi ea innotuit, ut ad aures Elisei pervenerit. Habemus igitur Regem Israel, ejus proceres & totum populum, qui fatentur Deum solum efficere posse, quod a Rege Syriæ petebatur. Eliseus his auditis jubens mitti ad se Naaman, ipsi septenariam lavationem intra aquas Jordanis præscripsit, qua cum convaluisset, *Reversus ad virum Dei cum universo comitatu suo venit & stetit coram eo, & ait: vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel*. En Naaman & comitatus ejus solum Deum recuperatæ valetudinis, caussam agnoscunt & venerantur. Tandem cum prope portam civita-

(1) S. Tho. 1. p. q. 110. ar. 4. o. Et ibid. q. 114. art. 4. O. Et l. 3. cont. Cent. c. 102.

(2) Id. 3. p. q. 84. ar. 3. ad 14.

(3) Exod. c. 8. v. 8.

(4) 3. Reg. c. 13.

(5) 4. Reg. c. 5. v. 6.

tatis Naim Christus vitam reddiderit filio viduae, qui efferebatur, sensum copiosae multitudinis sic exprimit Evangelium, (1) *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum*, quod est Deum revereri tamquam authorem hujus tam insignis miraculi.

Articulus III.

Argumenta pro tertia parte.

512. Tertia pars, humanitatem ipsam Christi Dn. esse solum caussam moralem, est contra Suarez, & alios, de quibus meminerunt Platelius (2), & Lambertinus (3) qui tenent esse eorum caussam physicam. Quod tamen non affirmant de omnibus; Hoc enim, nisi quis admittat actionem in distans, est evidenter falsum in iis, quae operatus est in subjectis a se remotis, ut in puero Centurionis (4), & in filio Reguli (5), quos sanavit, & in Lazaro, cui vitam (6) reddidit, cum adhuc jaceret in sepulcro. Sed iis qui haec obiiciunt respondet Suarez, (7) *si efficientia physica ad aliquos effectus necessaria non est, non ideo in aliis est neganda.*

513. Itaque sic I. probatur. Nulla neque ex Scriptura neque ex Patribus producitur exceptio humanitatis Christi a communi receptaque doctrina fundata in apertis Scripturae testimoniis jam allatis (n. 504.) quod solus Deus sit caussa physica miraculorum: ergo gratis excipitur.

II. Christus Dnus opus Dei vocavit visum, quem redditurus erat caeco, quem natum dixit (8) *ut manifestentur opera Dei in illo*, ubi notat Chrysostomus apud Maldonatum, quod per ea quae immediate addidit, *me oportet operari opera ejus qui misit me*, se ipsum hoc loco Deum declaravit opera Dei vocans quae ipse facturus erat. Huc pertinent, quae idem Dominus ad Judaeos dicebat, (9) *Opera quae ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & ipse testimonium perhibuit de me*, ubi opera quae faciebat testimonium Patris appellat, quia ea *Pater faciebat ut operibus ipsis declararet Christum filium esse suum* ait Maldonatus approbans hanc prae ceteris interpretationem, quam confirmant illa ejusdem Domini ad Judaeos pariter directa, (10) *Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis*, quia

(1) Luc. c. 7. v. 16.
(2) Plu. de Incarnat. n. 259.
(3) Lam. ubi alias c. 2. nu. 9.
(4) Matt. c. 8. v. 13.
(5) Jo. c. 4. v. 47.
(6) Ibid. c. 11. v. 33.
(7) Sua. in 3. p. dis. 31. sec. 3. §. Ad ultimum.
(8) Jo. c. 9. v. 3.
(9) Ibid. c. 5. v. 36.
(10) Ibid. c. 8. v. 54.

quia pater vester est: Et alia non minus clara, quæ ad discipulos dixit, (1) *Pater in me manens ipse facit opera*. Quid plura? Apostolus expresse loquens de miraculis Christi non dicit facta ab eo fuisse. sed facta a Deo per eum, (2) *Viri Israelitæ Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis. quæ fecit Deus per illum in medio vestri, hunc interemistis*: ergo ipsa Scriptura physicam miraculorum efficientiam Deo definite tribuit non Christo ut homini.

514. III. Restitutio ad vitam Christi Dni facta fuit a Deo non a Christi anima, & multo minus ab ejus corpore, cum non semel Scriptura dicat, (3) *Deus suscitavit eum a mortuis*. Illam etiam Lazari factam legimus a Christo, postquam Deum vel oravit, vel suum de hoc miraculo desiderium manifestavit. Nam scriptum est (4) *Jesus elevatis sursum oculis dixit, Pater gratias ago tibi quoniam audisti me*. Et *hæc cum dixisset, voce magna clamavit, Lazare veni foras*: ubi Glossa ait, *quia secundum hominem minor erat Patre, ab eo petit suscitationem Lazari*. Oratio pariter intercessit in sanatione surdi & muti; Nam scriptum est illam contigisse postquam Jesus (5) *Suspiciens in Cælum ingemuit, & ait illi Epheta*: Et in multiplicatione panum & piscium; Nam dicitur (6) *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus respexit in Cælum, & benedixit illis*: Sed facere miracula per orationem ad Deum, est facere miracula solum moraliter, quatenus Deus per illam movetur ad ea physice efficienda: ergo Christus qua homo fecit hæc miracula non physice sed moraliter: ergo a pari etiam alia.

515. IV. Finis miraculorum Christi erat persuadere hominibus se esse non solum hominem sed etiam Deum & Filium Dei ad ipsorum redemptionem in terras missum a Patre: sed homines non potuissent a miraculis persuaderi ipsum esse etiam Deum, si hæc possent physice effici etiam ab homine: ergo ab homine hæc non possunt sic effici.

V. Tridentinum distinguens singulas nostræ justificationis caussas docet ejus efficientem caussam esse Deum, meritoriam vero, quæ est in genere caussæ moralis esse Jesum Christum, (7) *Justificationis* inquit *caussæ sunt, efficiens, misericors Deus, meritoria autem Jesus Christus*: ergo etiam miraculorum caussa efficiens est solus Deus, moralis autem Jesus Christus scilicet ut homo; Nam ideo primum, quia

(1) Joa. c. 14. v. 10.
(2) Act. 2. v. 22.
(3) Ibid. c. 3. v. 15. Et 1. Petri c. 1. v. 21.
(4) Joa. c. 11. v. 41.
(5) Mar. c. 7. v. 34.
(6) Luc. c. 9. v. 16.
(7) Trid. sess. 6. c. 7.

Justificatio est effectus supernaturalis : sed etiam miracula sunt effectus supernaturales : ergo.

516. VI. Multi ex Patribus expresse tribuunt miracula Christi ipsius Divinitati : humanitati vero actionem duntaxat aliquam præviam, ut contactum, aliaque, quibus proinde non convenit nisi ratio causæ instrumentalis moralis, cum ipse Christus ut homo sit solum moralis causa miraculorum. Ita S. Athanasius loquens de socru Simonis sanata a Christo, (1) *Humano*, inquit, *more manum extendit, divinitas autem morbum compescuit* : Damascenus ait (2) *Humanæ actionis opus fuit, quod puellæ manum pertraxerit : Divinæ quod eam ad vitam revocaverit.* : S. Leo (3) dicit, quod in Christo sunt duæ naturæ. una Divina, quæ coruscat miraculis, altera humana, quæ succumbit miseriis, & similis est loquutio S. Sophronii, (4) *Unus duarum naturarum, secundum aliam divina signa operabatur, secundum aliam humilia recipiebat.* Testimonio S. Leonis utitur S. Thomas, ubi statuit (5) miracula Christi facta fuisse Divina Virtute, propterea quod *vera miracula sola virtute Divina fieri possunt*. Est igitur pro nobis etiam S. Thomas.

517. VII. Ad hominem sic arguo. Juxta Adversarios humanitas Christi Dni est caussa physica etsi instrumentalis miraculorum vel per entitatem sive ut ajunt qualitatem ipsi superadditam, vel per potentiam obedientialem activam : ad alterutrum enim reducuntur omnes adversariorum in hac re explicationes. Sed neutrum jam potest dici, non primum, tum quia qualitates hujusmodi explosæ jamdiu sunt a Philosophia utpote cogitationes arbitrariæ nec intelligibiles philosophiæ peripateticæ : tum quia eas in hac saltem re non habere locum satis luculenter evincit Suarez (6). Non potest autem dici secundum, quia dicere humanam Christi naturam, & generaliter creaturam esse caussam physicam instrumentalem miraculorum per potentiam obedientialem activam, est petere principium. Quod quisque facile concludet, qui audiat eumdem Suarez, qui hanc tenet & propugnat opinionem, dicere hujusmodi potentiam (7) *non esse aliquid a rebus distinctum, sed in unaquaque re creata ipsammet entitatem per se ipsam esse banc obedientialem potentiam ad agendum ut instrumentum Dei*.

AR-

(1) S. At. ser. 4. con. Arian.
(2) Dam. de Fide. l. 3. c. 15.
(3) S. Leo. Epist. ad Flavianum act. 11.
(4) S. Soph. Epist. in Sexta Synod.
(5) S. Tho. 3. p. q. 43. ar. 2.
(6) Sua. in 3. p. disp. 31. sec. 5:
(7) Id. ibid. §. Quod si inquiratur

ARTICULUS IV.

Objectiones contra primam & secundam partem.

518. I. Obiicitur. Scriptura sæpius dicit solius Dei esse facere miracula, ut supra (n. 506.) ostensum est: ergo Sancti nullam omnino causalitatem habent in miraculis. Confirmatur obiectio authoritate S. Thomæ qui his Scripturæ testimoniis innitens concludit, (1) *ne angelos quidem, sed solum Deum miracula facere posse*.

Resp. *conc. ans & nego conseqm.* Ea enim Scripturæ loca opportuna sunt ad excludendam a creaturis caussalitatem physicam miraculorum, non vero moralem, tum quia ipsa Scriptura ex dictis (n.500) testatur convenire Apostolis potestatem miraculorum, adeoque caussalitatem aliquam. Quare omnino male Nicolaus Ghezzi dixit, (2) *Scholasticos definire opus supernaturale, rem quæ superat vires omnes tum physicas tum morales cujuscumque creaturæ etiam possibilis*: Quod pertinet ad S. Thomam, ipse adduci potius debet pro nobis quam contra nos in eo ipso loco, qui obiicitur; Nam ibidem caussalitatem moralem in miracula aperte tribuit Sanctis, dicens (3) *Angelos & Sanctos facere miracula, vel quia ad eorum desiderium Deus miracula facit, vel quia aliquod ministerium exhibent in miraculis quæ fiunt*.

519. II. Obiicitur. Christus dixit, (4) *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Sed si Sancti non possent esse caussæ nisi morales miraculorum, falsum esset illos facere posse opera, & quidem etiam majora iis, quæ Christus fecit; Nam qui facit tamquam caussa moralis, vel revera non facit, vel minus facit, quam qui facit ut caussa physica, ergo.

Resp. *conc. mai. & nego min.* Quod pertinet ad primam probationis partem illa falsa est; Nam qui aliquid facit, dumtaxat ut caussa moralis revera facit, & absolute dicitur facere, ut infra distinctius probabitur. Quod vero pertinet ad secundam probationis partem illa pariter falsa est; Nam qui facit ut caussa moralis, revera facit, atque ita vulgo etiam creditur facere, ut effectus qui sequatur, unice vel magis tribuatur caussæ morali, quam physicæ: Itaque injusta hominis occisio mandanti magis quam sicario, & justa ju-

(1) S. Tho. 1. p. q. 110. ar. 4.
(2) Ghe. Principi di moral filosofia p. 2. n. 10. §. A dissipare
(3) S. Tho. 1. p. q. 110. ar. 4. ad 1.
(4) Joa. c. 14. v. 12.

judici unice tribuitur non carnifici. Quo autem modo sancti etiamsi sint caussæ morales miraculorum dicendi sint facere majora miracula iis, quæ Christus fecit, supra jam (n. 399. & 509.) dixi.

520. III. Obiicitur. Scriptum est, (1) *Convocatis duodecim discipulis suis dedit* (Christus) *illis potestatem spirituum immundorum ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*; Et alibi, (2) Ecce *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: ergo saltem duodecim Apostoli fuerunt causæ plusquam morales miraculorum.

Resp. *conc. ant, & nego consequm.* Rationes propositionis impediunt, ne possimus aliter interpretari & intelligere prædicta verba, quam per hoc, ut ait Cornelius a Lapide in hunc locum, *quod Omnipotentia Dei illis promissa ita semper assisteret, ut quoties vellent Dæmones eiicere, vel ægritudines curare, illico Deus illos eiiceret, & sanitatem conferret*. Quod est esse caussam dumtaxat moralem.

IV. Obiicitur: S. Augustinus dubium se declaravit, utrum (3) *quæ per Martyres fieri dicuntur miracula, eis orantibus tantum & impetrantibus, non etiam operantibus fiant*, & infra (4) *Miracula faciunt Martyres, vel potius Deus vel orantibus aut cooperantibus eis*: sed si Miracula fiant martyribus operantibus, jam ipsi sunt caussæ physicæ non morales dumtaxat: ergo juxta S. Augustinum viri Sancti possunt esse caussæ miraculorum non solum morales sed etiam physicæ.

Resp. *conc. mai. & nego min.* Quod intercedat aliqua sanctorum operatio in quibusdam miraculis probat solum operationem illam esse caussam occasionalem vel instrumentalem moralem miraculi, quandoquidem Sancti ipsi non sunt nisi caussæ morales, etsi in hac linea principales. Hanc responsionem videtur insinuare etiam S. Thomas (5), ubi locum primo obiectum S. Augustini commemorat, & alium S. Gregorii, de quo iam dicam. Ceterum ibi S. Augustinus non quærit de hac quæstione, an Martyres sint caussæ morales vel plusquam morales miraculorum: sed enumeratis disiunctive pluribus modis, quibus hæc fieri fortasse possunt, cujusmodi sunt vel solus Deus, vel Spiritus Martyrum, vel Angeli, vel homines, concludit, hæc *nullo modo comprehendi a mortalibus possunt*.

521 V. Obiicitur. S. Gregorius contendit (6) Sanctos facere miracula non solum virtute orationis, quod credit ille esse aliquid minus, sed etiam ex potestate, quod credit esse aliquid majus: ergo si facere miracula per orationem est esse illorum caussam moralem, face-

ce-

(1) Matt. c. 16. v. 1.
(2) Luc. c. 10. v. 19.
(3) S. Aug. de Civi. l. 22. c. 9.
(4) Id. ibid. c. 10.
(5) S. Tho. de Potent. q. 6. ar. 4.
(6) S. Gre. Dialog. l. 2. c. 30. & 31.

cere ex poteſtate erit eſſe cauſsam pluſquam moralem.

Reſp. *conc. ans*, *& nego conſequm*. Cauſsalitas moralis ſuſcipit magis & minus. Sancti qui impetrant miracula, *quin* ut ait S. Thomas (1) *aliquod miniſterium exhibent in miraculis, quæ fiunt, ſicut colligendo pulveres in reſurrectione communi*, ſunt aliqua illorum cauſsa moralis, ſed inferioris fortaſse conditionis illis, qui impetrant miracula ſolum per preces, & multo magis illis, qui ea impetrant ſolum per deſiderium. Hoc deſiderium S. Thomas loquens de obiecta Gregorii authoritate duobus aliis in locis, in uno vocat (2) *præſentationem quamdam imperii divini, cui natura obedit in miraculis, factam per Sanctos rebus naturalibus*: in alio vocat (3) *interiorem hominis motum*. Atque revera nihil aliud, quam hujuſmodi deſiderium conjunctum cum fide nihil hæſitante per illud vocabulum ex poteſtate exprimi, demonſtrat ſcopus S. Gregorii, qui eſt reſpondere quærenti, an S. Benedictus *miracula virtute ſemper orationis impetraret, an aliquando etiam ſolo voluntatis exhiberet motu*. Eſt quidem Cajetanus (4). qui cenſet S. Gregorium per vocabulum ex poteſtate docere Sanctos ſe aliquando habere ut cauſsas phyſicas etſi inſtrumentales miraculorum, quatenus inquit *Deus elevat aliquem Sanctorum actum etiam interiorem in ſuum inſtrumentum ad opus miraculorum*, eamdemque interpretationem habet Suarez (5). Quod multo magis dicendum ſtatuunt de humana natura Chriſti Dni operantis miracula. Verum minus congruit hæc interpretatio teſtimoniis Scripturæ in probatione allatis, intentioni S. Gregorii, & interpretationi S. Thomæ, quam jam dedimus.

522. Inſtant. S. Thomas alibi de Sanctorum miraculis agens, dicit (6) *Deus principaliter operatur, qui utitur inſtrumentaliter vel interiori motu hominis, vel ejus loquutione, vel etiam aliquo exteriori actu, ſeu etiam aliquo contactu corporali*: ergo S. Thomas excludit in miraculis, quæ a Sanctis fiant ſolam rationem cauſsæ phyſicæ principalis, non vero cauſsæ phyſicæ inſtrumentalis. Huc pertinet, quod alio in loco docet, (7) *Nihil prohibet ſubſtantias ſpirituales in quantum agunt virtute divina miracula facere*.

Reſp. *conc. ans*, *& nego conſeqm*. S. Thomas ibi non meminit niſi de cauſa inſtrumentali, quam invenit in operationibus Sanctorum, & iis quæ quaſi media ad miraculorum exiſtentiam adhibeant. Cum autem Sancti ſint ex demonſtratis cauſsæ ſolum morales miraculorum,

(1) S. Tho. 1. p. q. 110. ar. 4. ad 1.
(2) Id. de potent. q. 6. ar. 10. O.
(3) Id. 2. 2. qu. 178. art. 1. ad. 1.
(4) Cai. in 3. p. q. 13. ar. 2. §. Circa doctrinam
(5) Sua. in 3. p. disp. 31. sec. 3. §. Nihilomiuns
(6) S. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 1.
(7) Id. cont. Gent. l. 3. c. 103.

rum, eorum etiam operationes, ut ungere oleo alicujus lampadis infirmos, & quæ quasi remedia applicabant, ut (1) *massa ficorum* posita ab Isaja supra ulcus Regis Iuda, non possunt habere aliam caussæ rationem nisi instrumentalis moralis, ut alibi (2) etiam explicavi. Adde quod qui velint operationes creaturarum, ipsarumque etiam actus internos esse Deo instrumentum physicum miraculorum, sicuti calamus est instrumentum physicum scriptionis, non poterunt quod dicunt declarare, quia ne potest quidem animo informari.

523. VI. Obiicitur. Virtus faciendi miracula est Gratia gratis data: ergo est quid positivum, inhærens animæ; ergo habet caussalitatem physicam; Nam si hanc non haberet frustra esset.

Resp. *conc. ans*, *& nego conseqm.* & cadunt reliqua; Nam de omni quidem gratia controversum est, an sit entitas quædam seu ut ajunt qualitas inhærens animæ eo modo quo volunt Peripatetici: sed quod Gratia faciendi miracula non sit ulla hujusmodi entitas extra controversiam esse debet, tum ex ratione in obiectione adducta, tum ex hac alia, quod miracula relate ad creaturas, a quibus ei aliquo modo proveniunt, sunt impetratio beneficiorum a Deo. Quis autem concipiat impetrationem esse entitatem positivam inhærentem impetranti, sive habitum conferendi beneficia. S. Thomas hanc rationem sic exponit (3) *miraculorum caussa est Divina Omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, & ideo impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas naturalis manens in anima, sed hoc potest contingere, quod sicut mens prophetæ movetur ex inspiratione divina ad aliquid supernaturaliter cognoscendum, ita etiam mens miracula facientis moveatur ad faciendum aliquid, quod sequitur effectus miraculi quod Deus sua virtute facit*: & similia habet etiam alibi (4). Plura contra hujusmodi positivam qualitatem quasi caussam miraculorum dabit Bordonus (5), qui non paucos nominat Theologos, tum pro nobis, quos ipse sequitur, quam contra nos (6).

ARTICULUS V.

Objectiones contra tertiam partem.

524. OBiicitur. De Christo ut homine scriptum est, (7) *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra*; Nam de Christo ut Deo quis illud ignorabat, aut in dubium revocabat? er-

(1) 4 Reg. c. 20.
(2) De Caus. efficien. n. 80.
(3) S. Th. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad. 1.
(4) Id. de Potentia q. 6. ar. 4. O.
(5) Bord. de Mirac. medit. 2. n. 20.
(6) Id. Ibid. n. 39.
(7) Mat. 28. 18.

ergo Christo etiam ut homini negari non potest potentia physica faciendi miracula.

Resp. *nego ans*. Ipsius Christi sunt veneranda verba, quæ sicuti ad totum Christum ut compositum Theandricum appellant, ita non de Christo ut homine, sed ut homine simul & Deo intelligenda sunt. Itaque interpretatio objecta reiicienda est non solum quia aliena ab obvio verborum sensu, sed etiam quia si sibi Adversarii constent, jam non solum tribuent humanæ Christi naturæ potestatem physicam ad miracula, sed etiam potestatem creativam & infinitam, quod est absurdum.

525. II. Obiicitur. Conveniens est virtutem miraculorum fuisse in Christo ut homine longe majorem quam in quavis pura creatura propter suam unionem cum Divina Persona: ergo cum in puris creaturis sit solum moralis, in Christo ut homine fuit physica.

Resp. *conc. ans & nego conseqm.* Etiamsi potestas miraculorum fuerit in Christo ut homine solum moralis, nihilominus longe major in ipso fuit, quam in puris creaturis, quandoquidem in eo fuit permanens & per modum habitus, (1) *quia*, inquit Suarez, *sicuti habitibus utimur cum volumus ita ipse arbitrio suo poterat miracula facere*, quod declarat exemplo potestatis consecrandi datæ Sacerdotibus, quæ permanens est & per modum habitus, quia quoties id velint, certissime efficiunt. At in Sanctis virtus miraculorum fuit *solum per modum cujusdam actionis transeuntis* vel saltem pro certo vitæ illorum tempore aut circumstantiis, quemadmodum de Apostolis dicendum est.

526. III. Objicitur. Siquando Christus ante quædam miracula oravit, quod non est certum, ut observat Maldonatus (2), non oravit ex indigentia, sed ad instructionem populi de sua a Deo missione. Habemus hoc clare expressum ab ipso Domino, qui professus est (3) *propter populum*, qui circumstabat dixisse elevatis sursum oculis antequam Lazarum suscitaret *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*, si forte quis hic orationem inveniret: ergo ex oratione præmissa miraculis non bene arguitur Christum fuisse causam solum moralem miraculorum.

Resp. *omit. ans. & dist. conseqs.* Non probatur Christum fuisse causam solum moralem miraculorum ex præmissa oratione in hypothesi, quod hæc fuerit solum ad instructionem nostram, *conc. conseqm.* ex oratione, quatenus fuit manifestatio sui desiderii de miraculo, *nego conseqm.* Qui quovis modo morali alium ad physice quid efficiendum movet, ille est ipsius effectus causa moralis. Esto igi-

(1) Sua. in 3. p. disp. 31. sec. 2. §. Dico secundo.

(2) Mal. in Joa. c. 11. v. 41.

(3) Joa. c. 11.

igitur non fuerint preces Christi Dni ad impetrationem miraculi factæ, attamen fuerunt manifestatio sui desiderii de miraculo, qua dico Deum motum fuisse ad illud physice efficiendum.

527. Instant. Chrysostomus & alii Patres apud Maldonatum (1) observant Christum non semper, sed aliquando solum oculos ad Cælum elevasse, dum miracula faceret, ne si semper elevasset, non sua sed aliena authoritate videretur miracula facere: Sed facere miracula sua non aliena authoritate est ea facere potentia plusquam morali: ergo hi patres sentiunt Christum fecisse miracula potentia plusquam morali.

Resp. *dist. mai.* Et ibi Patres loquuntur de Christo ut Deo simul & homine. *conc. mai.* de Christo solum ut homine, *nego mai* Et omissa minori *nego conseqm*, Quam legitimus sit sensus attributus objectis Patribus, alii inter quos ipse Chrysostomus manifestant, qui apud eumdem Maldonatum (2) advertunt de miraculis, quæ Christus fecit post resurrectionem non legi, quod Cælum prius suspexerit, aut gratias egerit, quia tunc non amplius se gerebat ut homo sed ut Deus.

528. IV. Objicitur. Concilium Ephesinum (3) definit carnem Christi propter unionem cum Verbo esse vivificatricem, quod etiam docent Patres: ergo humanitas Christi est caussa plusquam moralis miraculorum,

Resp. *conc. ans*, *& nego conseqm.* Ille enim modus loquendi indifferens est ad effectionem vel physicam vel moralem, quatenus per passionem, quam substinuit, meruit nobis vitam æternam, nec nostrum est ipsum determinare ad physicam, præsertim cum hanc excludant adducta argumenta, & hoc præterea, quod vivificatio, seu sanctificatio Patrum veteris testamenti, quando referatur ad vivificantem Christi carnem necessario dicenda est effecta ab illa influxu solum morali.

529. Instant. S. Cyrillus Alexandrinus, & alii etiam veterum notant, ideo Christum voluisse leprosum quemdam tangendo curare, ut ostenderet esse in ipsamet sua carne vim salutiferam & vivificam. At ratio ab his adducta est ipsis propria; Nam alii apud Maldonatum (4) alias afferunt. Ambrosius contactum adhibitum putat ut humanæ naturæ veritatem probaret: Chrysostomus, Theophilactus, & Euthymius ut ostenderet se non teneri veteri lege, quæ lepram tangere prohibebat. & tamquam legislatorem esse omni legi superiorem: Tertullianus ut doceret se non posse contaminari qui erat finis interdicti leprosorum contactus. Alii tandem ut manifestum

(1) Mal. in Matt. c. 14. v. 17.
(2) Id. in Joa. c. 21. v. 12.
(3) Eph. can. 11.
(4) Mal. in Matt. c. 8. v. 3.

ſtum eſset tibi eam ſanationem deberi, & cum humana natura quam videbant crederent conjunctam Divinam.

530. V. Objicitur. Eccleſia orans quemvis Sanctum non dicit *exaudi nos*, ſed *ora pro nobis*: at rurſus orans Chriſtum non dicit *ora pro nobis*, *ſed exaudi nos*. Atqui hoc ſignificat Chriſtum ut hominem eſse cauſsam phyſicam eorum etiam miracnlorum, quæ ab eo petimus: ergo.

Reſp. *conc. mai*, *& nego min*. Quod Eccleſia eo modo oret Chriſtum vera ratio eſt quam verbis Suarez exponam, (1) *Nos loquentes cum Chriſto & colentes illum ſemper reſpicimus ad dignitatem perſonalem ejus, & ideo loquimur cum illo tamquam cum vero Deo & ideo non loquimur cum illo tamquam cum interceſſore, ſed tamquam cum auctore bonorum omnium*.

531. VI. Obiicitur. S. Thomas dicit (2) humanam *naturam Chriſti Dn. eſſe inſtrumentum Divinæ Virtutis* in miraculis quæ faciebat: ergo juxta S. Thomam ſicuti Divina Virtus eſt cauſſa principalis phyſica miraculorum, ita humanitas Chriſti eſt eorum cauſſa inſtrumentalis phyſica.

Reſp. *conc. ans & nego conſeqm.* Hæc enim illatio non ſolum non habetur apud S. Thomam, ſed ab eo etiam excluditur dum ibidem repetit *vera miracula ſola virtute Divina fieri poſſe*.

Inſtant Suarez. (3) *Ita concedit S. Thomas animam Chriſti potuiſſe efficere miracula, ſicuti negat potuiſſe aſſumi ad creandum vel annihilandum: conſtat autem ſi ſermo eſſet ſolum de concurſu morali potuiſſe animam Chriſti concurrere ad annihilationem & creationem. Loquitur ergo D. Thomas de phyſica effectione*.

Reſp. *diſt. mai.* Et ibi S. Doctor alterum de potentia animæ Chriſti ſive phyſica ſive morali faciendi miracula concedit, quia ut ipſe ait eſt (4) *ordinabile ad Incarnationis finem, qui eſt inſtaurare omnia*, & alterum de ejuſdem animæ potentia creandi negat, quia non eſt ordinabile ad hunc finem, *conc. mai.* Et ibi alterum concedit, & alterum negat ex alia ratione *nego mai.* & conceſſa minori *nego conſeqm.* Diſtinctio eſt legitima, quia deducta ex loco, quem præ oculis habuit Suarez, eademque placere ipſimet debuit, ne cum deinde dicat ſe (5) *non inveniſſe cur ſit impoſſibile, ut creatura aſſumatur a Deo ut ſit inſtrumentum creationis*, cogatur dicere gratis S. Thomam docuiſſe, animam Chriſti non poſſe eſſe cauſſam ullius creationis in quovis genere cauſſæ.

Oo PRO-

(1) Sua. de Relig. t. 2. c. 10. n. 16.
(2) S. Tho. 3. p. q. 43. ar. 2. O.
(3) Sua. ubi ſupra ſec. 3. §. Nihilominus.
(4) S. Tho. 3. p. q. 13. ar. 2. O.
(5) Sua ubi ſupra ſec. 8. §. Ad difficultatem.

PROPOSITIO II.

Sancti quamvis sint caussæ dumtaxat morales miraculorum, nihilominus cum proprietate possunt absolute dici facere miracula.

532. PRopositio est contra Lamindum Pritanium: sub quo nomine latet Ludovicus Muratori, qui visus est contrarium sentire: Habet saltem duram hanc propositionem, (1) *Pro certo habendum esse Gratias & Miracula non fieri a Sanctis*; Et contra Jo. Cadonicum (2), de quo alibi (3) memini, qui idem sentit.

533. I. Probatur cum Benedicto Plazza (4) Esse caussam moralem alicujus effectus sufficit, ut quis absolute dicatur illum effecisse; sic enim communiter dicitur, & in ipso judicio habetur ut Author mali, qui solum illius fuit caussa moralis: Sed Sancti sine controversia ex dictis (n. 500) sunt caussæ morales miraculorum: ergo hoc sufficit ut absolute dicantur facere miracula.

II. Sacramenta novæ Legis in communiori sententia sunt caussæ dumtaxat morales gratiæ, quam qui rite ea suscipit, obtinet, & nihilominus cum omni proprietate dicuntur absolute gratiam conferre: Male enim audiret, qui id negaret, vel accusaret tamquam improprie dictum, postquam Concilium Florentinum (5) dixit differre Sacramenta antiquæ legis a Sacramentis novæ propterea quod *illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant*: *hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*. De quo extat jam definitio facta deinde a Tridentino (6): ergo etiam Sancti possunt dici absolute facere miracula, quamvis sint illorum caussa dumtaxat moralis.

534. III. Cum proprietate dicitur, quod Scriptura, Patres, Theologi & Ecclesia dicunt. Atqui Scriptura, Patres, Theologi, tota demum Ecclesia dicunt absolute Sanctos facere miracula: ergo. Pro minori, quod pertinet ad Scripturam sunt hæc quorum aliqua Brancatus etiam adduxit (7), qui idem jam olim statuit. Eliseus (8) *in vita monstra, & in morte mirabilia operatus est*. (9) *Qui credit in me*, sunt verba Jesu Christi, *opera quæ ego facio, & ipse faciet & ma-*

jo-

(1) Pri. De Christian. devotio. c. 20.
(2) Cad. Confut. di Derham §. 12. pag. 146.
(3) De Mundo n. 114. Et de Malo n. 19.
(4) Pla. Christianorum devotio vindicata c. 20.
(5) Flo. in decreto Eugenii IV.
(6) Trid. sess. 7. c. 6.
(7) Bra de Mirac. n. 559.
(8) Eccli. 48. v. 14.
(9) Joa. c. 14. v. 12.

jora horum faciet. (1) *Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa*. (2) *Stephanus faciebat prodigia & signa magna in populo*. (3) *Alii per spiritum datur gratia sanitatum, alii operatio virtutum*. Ex quibus plane videtur concludi posse, hæreticum esse negare miracula fieri a Sanctis.

Quod pertinet ad Patres, S. Augustinus dicit (4) *Credamus* (Sanctis) *& vera dicentibus, & mira facientibus; dicendo enim vera passi sunt, ut possent facere mira*. Idem interpretans dictum Christi, *Qui credit in me, majora faciet*, sic habet, (5) *Ego facturus sum majora per eum, qui credit in me, quam præter eum per me. Sed quando præter eum, non faciet ipse, quando autem per eum quamvis non per semetipsum, faciet & ipse*. S. Basilius, (6) *Memores estote Martyris, qui quosque sanitati restituit, quibuscumque pueros jam mortuos ad vitam reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogavit*. Similes loquutiones habent SS. Gregorius Nazianzenus (7), Nissenus (8), Chrysostomus (9), Gregorius Magnus (10).

535. Ex Theologis illorum princeps S. Thomas ait (11) *Angeli dicuntur miracula facere, vel quia ad eorum desiderium Deus miracula facit, sicut sancti homines dicuntur miracula facere, vel quia aliquod ministerium exhibent in miraculis quæ fiunt*. Huic doctrinæ inhærens Suarez docet, quod (12) *potest Sanctus cooperari Deo ad aliquod beneficium nobis præstandum non solum orando, sed etiam ministerium aliquod sibi a Deo collatum exhibendo, & tunc licitum est petere a Sancto, ut ipse nobis conferat illud beneficium non solum orando sed etiam cooperando*. Quod tandem pertinet ad Ecclesiam suadent ea, quæ nobis proponit legenda in horis Canonicis, Martyrologiis, & in Historia Ecclesiastica, ita ut aliquos etiam denominet Thaumaturgos.

COROLLARIUM.

536. P*Ossumus sine ulla absurditate Sanctos orare, ut nobis miracula faciant*.

Corollarium est contra Pritanium, qui non agnoscit licitas esse alias orationes ad Sanctos, nisi illas, quibus (13) *oramus Sanctos, ut orent Deum pro nobis*.

O 2 I. Pro-

(1) Act. c. 5. v. 12.
(2) Ibid. c. 6. v. 8.
(3) 1. ad Corinth. c. 12.
(4) S. Aug. de Civit. l. 22. c. 10.
(5) Id. in Joa. tr. 72.
(6) S. Basi. Hom. de S. Mamante
(7) Naz. Orat. in Julian.
(8) Nys. Orat. in 40. Marty.
(9) Chr. con. Genti. Et hom. in 7. Machabæ.
(10) Greg. Dialog.
(11) S. Tho. 1. p. q. 110. ar. 4. ad 1.
(12) Sua. de Relig. to. 2. l. 1. c. 10. n. 7.
(13) Pri. De rec. devo. c. 20.

537. I. Probatur, quia licet ab illis miracula postulare, qui cum omni proprietate dici possunt facere miracula: Atqui Sancti cum omni proprietate dici possunt facere miracala (n.532.): ergo.

II. Probatur. Ideo absurdum esset orare Sanctos, ut faciant nobis miracula, quia hoc significaret credi a nobis Sanctos ipsos per se posse miracula physice efficere: Sed hoc est falsum: Nam vulgi ipsius effatum est, Quod Deus non vult ne Sancti quidem possunt præstare, & melius Theologi cum S. Thoma dicunt (1) *Sancti non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri*. Quare apparet communem esse apud quosvis homines doctrinam, quam idem S. Thomas sic expressit, (2) *Oratio porrigitur alicui dupliciter, uno modo quasi per ipsum implenda, alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, secundario modo orationem porrigimus Sanctis Angelis & hominibus, ut eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum*.

538. III Probatur ex usu SS. Patrum & Ecclesiæ. S. Basilius in Oratione de 40 Martyribus sic perorat, *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret. Ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis*. S. Gregorius Nazianzenus orat S Cyprianum in hunc modum, (3) *Nos de Cælo benignus aspicias, sermonesque nostros & vitam gubernes, sacrumque hunc gregem adjuves*. S. Bernardi nota sunt verba, (4) *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, in periculis in angustiis in rebus dubiis Mariam invoca*. Ecclesia Romana in festo S. Stanislai Episc. & Marty. *Deus*, inquit, *præsta ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum*, nec reprehendit quos supponit implorare ceterorum auxilium.

PROPOSITIO III.

Homines actu etiam mali possunt esse caussæ morales miraculorum.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

539. Propositio est de actu malis; Nam quod faciant miracula qui olim fuerunt, vel deinde evaserunt mali, certum

(1) S. Th. in suppl. q. 72. a 3.
(2) Id. 2. 2. q. 83. a 4. O.
(3) Naz. Orat. 18. de S. Cypri.
(4) S. Be. ho. 2. in Missus. est.

tum eſt. Matthæus enim publicanus, *ideſt*, inquit Maldonatus (1) *publicus peccator*, factus Apoſtolus miracula ut cæteri Apoſtoli patravit: Et Saul qui reprobus obiit paulo ante ſuam in Regem electionem prophetavit (2). I. itaque probatur. In ſcriptura habemus Chriſtum aperte pronunciantem, quod (3) *multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis quia numquam novi vos*, ubi ſermonem eſſe de veris non de falſis miraculis probatur, tum quia non reſpondit Chriſtus eos mentiri: tum quia mirum non eſſet illos, qui falſa miracula faciunt, audituros a Domino, nunquam novi vos, ſed mirum eſt id dicendum aliquibus, qui vera fecerint: tum tandem quia non opus fuiſſet tantopere nos monere ne credamus facientibus falſa miracula, ſed magnæ profecto utilitatis fuit hæc admonitio eorum reſpectu qui vera faciunt, quibus nolit credamus niſi ipſorum mores inſpiciamus, ex quibus prophetæ veri a falſis, ſicuti ex fructibus arbores bonæ a malis diſcernuntur. Huc videtur etiam ſpectare, quod (4) *Joannes dixit, præceptor vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum*. Quod enim Brancatus (5) putaverit illud *eiicientem Dæmonia* ſumi poſſe non tamquam ſignificans effectum, ſed affectum conatumque, minus approbatum fuit a Maldonato, qui poſt expoſitam hujuſmodi interpretationem ſubdit, (6) *Nolo omnibus diſſentientibus auctoribus id primus dicere*.

540. Habemus præterea Saulem, cum jam Dominus ab eo diſceſſerit, in medio prophetarum prophetaſſe, & (7) Ethnicum Balaam edidiſſe præclariſſimas prophetias, miraculi ſpeciem inſignem (n. 28.) de victoriis Hebræorum ex Aegypto redeuntium ſupra gentes Palæſtinam tunc occupantes, de Adventu Meſſiæ, de vaſtatione Aſſyriæ, & ipſiuſmet tandem Palæſtinæ per populos ex Italia venientes, ſcilicet Romanos. Huc per me ſpectat etiam (8) Pythoniſſa femina incantationibus dedita, quæ evocavit a mortuis Samuelem ad petitionem Saulis, qui ipſum repente ſibi præſentem interrogavit de eventu proximæ dimicationis cum Philiſthiim. Nihil enim obſtat, ut luculenter oſtendit Pererius (9) quominus verum miraculum credamus hic interveniſſe, ſed punitionis factum a Deo per occaſionem impiæ curioſitatis Saulis, & damnati exercitii Phythoniſſæ, de qua ſcriptum eſt (10) *Cum vidiſſet mulier Samuelem, excla-*

(1) Mal. in Matt. c. 7. v. 22.
(2) 1. Reg. c. 10. v. 10. & 11.
(3) Matt. c. 7. v. 22.
(4) Luc. c. 9. v. 49.
(5) Bra. de mirac. n. 821.
(6) Mal. in Marc. c. 9. v. 38.
(7) Num. 23. & 24.
(8) 1. Reg. c. 28. v. 7.
(9) Per. in Exod. diſp. 8. c. 7. n. 48.
(10) 1. Reg. c. 28. v. 12.

exclamavit voce magna, quod est iis proprium, quibus aliquid accidit inexpectatum. Quare sicuti (1) ad vindictam impietatis Regis Ochoziæ, illis quos miserat ad consulendum Beelzebub Idolum Accarontis de sua infirmitate jussit Deus Eliam occurrere in via, & prænunciare ejusdem mortem ex illa certo futuram, ita Samuelem nunc misit ad hanc mulierem, quam Saul persuaserat tentare ejus a mortuis evocationem, ut jam tunc vindicaret Saulis iniquitatem, qui malo audito nuncio proximæ cladis cum sua ac filiorum suorum morte plenus terrore (2) *porrectus cecidit in terram*.

541. Brancatus (3) & alii apud ipsum, & præterea Jacobus Serres, & Alphonsus Turretinus apud Hooke (4) nollent hujusmodi Pythonissam hic commemorari, contendentes nullum per eam factum miraculum, quia non Samuel, sed Dæmon sub ejus persona Sauli apparuit. Sed imprimis in ipsis apparitionibus malorum Dæmonum non deest miraculum propter rationes supra (n. 89.) allatas. Deinde dicere Dæmonem, non Samuelem apparuisse, minus congruit Ecclesiastico, qui in laudem Samuelis dicit, quod ipse post mortem (5) *notum fecit Regi* (Sauli), *& ostendit illi finem vitæ suæ & exaltavit vocem suam de terra*: qui locus controversiam videtur decidere post Tridentinum, quod Ecclesiasticum inter Canonicas Scripturas adnumeravit.

542. Tandem opponentium argumenta præcipua, quæ jampridem exposuit Gratianus in suo Decreto (6) ipsorum propositum non evincunt. Alterum enim est, quod Dæmon non potest mortuos evocare. Sed ex hoc infertur, ergo Deus evocavit, quod de hoc miraculo, sicut de aliis omnibus dicimus. Alterum sic habet, si Samuel verus fuisset, non permisisset se adorari a Saule: Dicit enim Scriptura, (7) *Intellexit Saul, quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit*. At quid est, quod cogat accipere hæc verba, sicuti ipsi volunt tamquam significantia Saulem veneratum esse Samuelem aliter quam tamquam virum Sanctum atque Prophetam?

543. Alia duo alibi protulit argumenta Brancatus. Quare tertium erit. Si Samuel verus fuisset non dixisset (8) *duo solemnia mendacia, Cras tu & filii tui mecum eritis*; *In crastino enim non fuit mortuus neque Saul a Deo reprobatus futurus erat in eodem loco, in quo Samuel Sanctus*. At respondetur *Cras* apud Latinos significat etiam fu-

(1) 4. Reg. c. 1. v. 2.
(2) 1. Reg. c. 28. v. 19.
(3) Bran. de Mirac. n. 694. Et in 4. sent. to. 4. disp. 25. ar. ultimo.
(4) Hoo. Relig. nat. Diss. de mir. c. 1.
(5) Eccli. c. 46. v. 23.
(6) Can. Nec Mirum 26. q. 5.
(7) 1. Reg. c. 28. v. 14.
(8) Bra. de Mirac. n. 719.

futurum indeterminatum, ut notant Lexicographi: & ad illud *Mecum eritis*, Emmanuel Sa dicit (1) ideſt *mortui ut ego, vel in altera vita*. Ultimum eſt. (2) *Omnes interpretes cum Auguſtino dicunt, quod Samuel non ſurrexit, neque cum Saule loquutus eſt, ſed Dæmon finxit Samuelem*. At negat hoc præter Pererium jam citatum Emmanuel Sa, cujus eſt hæc notatio, *fuiſſe verum Samuelem graviſſimi Viri ſentiunt, ut Juſtinus, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus*, qui videri poterit, ubi (3) in utramque partem de hac re diſputans (4) *videtur*, inquit Lambertinus, *aſſerere, quod utrumque poſſit affirmari*, quæ fuit ſententia ter repetita a S. Thoma (5), quia ſuo tempore ab aliquibus impune (6) *Eccleſiaſtici authoritas non recipiebatur*, tamquam deducta ex libro tunc non Canonico.

544. Erit fortaſse, qui hoc argumentum exornet ex ſimilibus exemplis, quæ referuntur exhibita ab aliis Necromantiæ cultoribus. Sed equidem ab his abſtineam, quia nulla eſt ratio, quæ cogat ea credere, ut idem Pererius (7) oſtendit. Alii viderint an opportunior argumenti confirmatio ſint Ethnicarum Sybillarum carmina. Hoc enim negabunt quotquot mordicus tenent fabulam eſse ipſam illarum exiſtentiam, & deceptos fuiſse aliquos ex antiquis etiam Patribus, qui ſuppoſuerunt eas revera extitiſse & prophetaſse. Ipſo Origenis tempore erant, qui Sybilliſtas quaſi per contemptum (8) vocabant, qui ipſarum verſibus uterentur. Aliqua pro hac parte argumenta exponit Muſsardus poſt alios, quos citat in ſua *Hiſtoria Deorum Fatidicorum*, & cum his ſentit Bergierius (9). Contra vero hoc affirmabunt, qui hiſtoriam eſse non fabulam Sybillarum prophetias propugnant, quos nuper ſequutus eſt Vincentius Antolini in præfatione præmiſsa ſuæ in Etruſcos verſus verſioni oraculorum, quæ iiſdem tribuuntur. Decem hæ communius numerantur, omniumque (10) *inſigne*, inquit S. Hieronymus, *virginitas eſt, & virginitatis premium divinatio*. Cumæa dicta a Cumis Campaniæ urbe, quam Juſtinus Martyr dicit (11) *de Jeſu Chriſti adventu, & de his omnibus, quæ facturus erat manifeſte prænunciare*. Cumana a Cuma Urbe Joniæ, cui tribuitur prophetia de Verbi Divini Incarnatione: Perſica prædixit præcurſorem Redemptoris: Helleſpontiaca loquuta eſt de doctrina Domini: Lybica de ejus miraculis: Samia de ejuſdem ingreſsu in Jeruſalem ſupra aſellum: Delphica de ejus cruciatibus; Phry-

(1) Sa. Notatio. in Script.
(2) Bran. de Mirac. n. 812.
(3) S. Aug. ad Simplicia. l. 2. q. 3.
(4) Lamb. de Beatific. l. 3. c. 50. n. 3.
(5) S. Tho. 1. p. q. 89. ar. 8. ad 2. Et 2. 2. q. 95. ar. 4. ad 2. Et ibid. q. 174. ar. 5. ad 4.
(6) Id. 1. p. q. 89. ar. 8.
(7) Per. diſp. 7. in c. 7. Exod.
(8) Ori. l. 5. c. Celſ.
(9) Ber. confut. del. eſam c. 2. n. 7.
(10) S. Hie. l. 1. adverſus Jovinia.
(11) Juſt. Admonit. ad Gentes.

Phrygia de ipsius morte. Tiburtina de ipsius resurrectione & ascensione in Cælum: Etythræa tandem ab Erytheris Joniæ Urbe de judicio finali, & æterna cum Christo felicitate pro bonis, & æterna malorum damnatione, præter alia, de quibus meminerunt Clemens Alexandrinus (1), & Augustinus (2): ergo etiam mali possunt esse caussæ morales miraculorum.

545. II. Probatur. Deus qui solus physice operatur miracula (n. 504.) potest moveri ex sua misericordia ad preces vel desideria, vel religiosas operationes hominis etiam mali ad manifestandam veritatem aliquam, vel gloriam suam per aliquod miraculum: & potest etiam ex sua justitia moveri ad concedendum, quod mali desiderant tamquam sibi bonum, quod sibi malum est, & aliqua de ipsorum malitia vindicta: Sed quando Deus sic moveatur ad faciendum aliquod miraculum, homo malus est illius caussa moralis: ergo etiam homines mali possunt esse caussæ morales miraculorum.

III. Gratiæ gratis datæ, quæ sunt (n. 55.) totidem potentiæ ad diversa miracula, non pertinent ad voluntatem, in cujus actibus consistit bonitas morum, ut patet inductione per singulas. Præterea primario conceduntur non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem: ergo non repugnat etiam in malis esse potestatem miraculorum.

546. Consonant his SS. Patres. S. Jo. Chrysostomus (3) inquit, *Ne ipsa quidem miraculorum operatio cuiquam profutura est, si ea operatus fuerit absque possessione virtutum*; idemque alibi (4) fusius persequitur. S. Hieronymus, (5) *Virtutes facere interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad aliorum utilitatem*. S. Augustinus, (6) *Siquando invocatione summi Dei aliquid pro suis malis cupiditatibus impetrant, vindicta est illa non gratia; Non enim frustra dicit Apostolus (7) tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Et sua sunt hæc etiam eodem loco. *Nonnunquam mali Christiani vel Schismatici vel Hæretici per nomen Christi, aut verba aut Sacramenta Christiana exigunt aliquid a potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est*. Quare ad Petilianum Donatistam scribebat, (8) *De exclusione Dæmonum & de potentia miraculorum, quoniam plerique talia non faciunt, & tamen ad Regnum Dei pertinent, plerique autem faciunt, & non pertinent, nec nostri nec vestri debent gloriari, siqui forte ista possint*. Audiatur tandem S. Gregorius, (9) *Probatio San-*

(1) Cle. Orat. ad Gent. Et l. 6. Stromat.
(2) S. Aug. de Civit. c. 23.
(3) Chry. hom. 25. in Matt. 7.
(4) Id. in c. 13. Matt. hom. 13.
(5) S. Hier. in c. 7. Matt.
(6) S. Aug. l. 83. quæst. q. 79.
(7) Rom. 1.
(8) S. Au. l. 2. c. liter. Petili.
(9) S. Gr. l. 20. Mor. c. 8.

Sanctitatis non est signa facere. Plura alia dabit in hac re Anastasius Sinaita. (1)

547. Consonant Scripturæ Interpretes, ut Maldonatus, qui ait (2) *Fecit Judas miracula, dum in Christum credebat; Nam cum aliis gloriatus est, quod sibi Dæmonia subiicerentur & tamen* (3) *fur erat*: advertit tamen paucissima esse miracula quæ per malos facta legimus.

Consonant Theologi, ut Suarez (4), qui pariter ipsorum raritatem observat. Hi sequuntur S. Thomam, qui hoc idem expresse statuens (5) vindicat ab iis, quæ in contrarium obiiciuntur. Idem loquens de Tutia Virgine Vestali, adeoque Idololatriæ addicta, de qua legitur in historia Romana portasse aquam Tyberis in vase perforato in signum conservatiæ pudicitiæ, non esse absurdum credit (6) *dicere in commendationem castitatis Deum verum hujusmodi miraculum fecisse*, ut supra (n. 91.) adnotavi.

548. Consonant pervulgatæ sanationes a dolore Ischiadico, quas usque ad hanc diem per contactum efficiunt quivis ex posteris cujusdam familiæ, quæ adhuc extat Cancellis humili loco Marcæ Anconitanæ, ornata hujus sanitatis gratia a S. Gentium Apostolo Paulo, cum apud ipsam diversaretur. Et alia similis virtus, quæ de illis prædicatur, qui e legitimo thoro nati septimo loco sunt masculi nullo femineo partu intercedente, quam Del Rio datam credit a Deo (7) *ob diei honorem, & mysterii sanctitatem, & honorem conjugii.* Et illa, quam concessam Galliarum Regi (n. 119), sanandi per contactum a strumis habemus non solum ab Annalibus, & Medicorum libris, sed etiam a quotidiana certaque experientia, inquit citatus del Rio (8). Hanc gratiam extendunt aliqui etiam ad Reges Angliæ, quando erant sacro chrismate inuncti, atque Catholici. quod tamen idem DelRio ibidem non credit esse satis comprobatum: Contra vero idem Auctor (9) illam quam in Hispania quidam *Salvatores* appellati, de quibus alias (n. 350. & 426.) memini, dictitabant se habere gratiam curationum, credit resolvi in purum mendacium, vel in effectus diabolicos. Quæ omnia propositionem confirmant, siquidem quis audeat affirmare hos omnes, dum has gratias exercebant, fuisse in Justitia & Sanctitate constitutos.

549. Consonat tandem quod observamus in usu esse in Caussis de Canonizatione Sanctorum, quæ teste Lambertino (10) feliciter

(1) Ana. Quæs. ver. q. 20. in Bibliot. Put. t. 9.
(2) Mal. in Matt. c. 7. v. 22.
(3) Luc. c. 10. v. 17.
(4) Sua. de Fide dis. 4. sec. 3.
(5) S. Th. 2. 2. q. 173. a. 2.
(6) Id. de poten. q. 6. a. 5. ad 5.
(7) Rio. Disq. Mag. l. 1. c. 3. q. 4. §. septimo obiicit.
(8) Id. ibid. §. Denique
(9) Id. Ibid. §. 4.
(10) Lam. de Beatific. l. 3. c. 42.

procedunt ad suum terminum, etiamsi non possit demonstrari de illorum aliquo, quod habuerit Gratias gratis datas, quæ ceteroquin, quando non defuerint, utique producuntur, sed tamquam mera signa, quæ favent præsumptioni de eorum virtutibus heroicis, quasi in illorum testimonium fuerint a Deo collatæ.

Articulus II.

Objectiones & Corollaria.

550. I. Obiicitur. Cæcus natus, cui visum Christus reddidit, argumentatus fuit illum a Deo esse, quia (1) *Deus peccatores non audit, & nisi esset a Deo non poterat facere quicquam*: ipsique Pharisæi audientes aliquos statuere Christum non esse a Deo, quia Sabbato hunc cæcum illuminaverat, dicebant, (2) *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere*: ergo communis opinio est per malos non posse fieri miracula.

Resp. *conc. ans, & dist. conseqs.* Est communis opinio per malos non posse fieri miracula, quæ probent se non esse malos, *conc. conseqm*: quæ aliud quid probent utile & verum, *nego conseqm.* Hæc interpretatio congruit contextui: Nam Christus ad probandam suam missionem, & Sanctitatem hoc miraculum cum aliis fecit, ac propterea eadem Bellarmino (3), & Maldonato (4) placet præ alia, quam ceteroquin approbavit S. Thomas (5), quæ dicit objectas propositiones, quæ generaliter prolatæ falsæ sunt, non esse Spiritus Sancti, sed hominum.

551. II. Obiicitur. Scriptum est (6) *Sapientia Dei in animas Sanctas se transfert, & amicos Dei & prophetas constituit*: ergo mali dum mali sunt tam possunt esse prophetæ, quam possunt esse animæ Sanctæ & amici Dei.

Resp. *conc. ans, & nego conseqm.* Quoniam enim Scripturæ ex dictis prophetias narrant factas a malis, necesse est illud quod obiicitur sumi debere in sensu solum positivo, non vero in sensu etiam exclusivo, quem reipsa non habet; Dicit enim sapientiam Dei in animas sanctas, non vero in solas animas sanctas se transferre.


552. Corollarium I. Miracula non probant esse veram religionem hominis, per quem ea fiant, nisi hæc faciat ad probandam veritatem suæmet Religionis. Prima pars vera intelligitur, quia Deus etiam per infideles potest (n. 540) exhibere miracula. Secunda autem cer-

(1) Joa. c. 9. v. 31.
(2) Ibid. v. 16.
(3) Bell. de bonis operibus in particulari c. 9.
(4) Mald. in Joan.
(5) S. Tho. de Potest. q. 6. ar. 9. ad 5.
(6) Sap. 7. v. 27.

certa est, quia miracula non possunt fieri (n. 141.) in confirmationem ullius erroris.

553. Coroll. II. Miracula non probant Sanctitatem hominis actu viventis, a quo sint. Ratio est eadem ac modo allata. Accedit duplex Christi Dn. testimonium. Alterum est, quo nos monet ut veros a falsis proohetis discernamus per ipsorum fructus idest mores, non vero per miracula prædicens fore ut palam dicturus sit in die extremi iudicii se numquam novisse multos, qui tunc sibi dicent, (1) *Domine in nomine tuo virtutes multas fecimus*: Quo testimonio usus S. Cyprianus in rem nostram dixit, (2) *Prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis utique & admirabilis res est, non tamen regnum cæleste consequitur, nisi recti & justi itineris observatione gradiatur*. Alterum est quod idem Dominus Apostolis dixit post collatam ipsis miraculorum potestatem, (3) *In hoc nolite gaudere: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in Cælis*. Accedit etiam, quod advertit S. Augustinus, (4) *Non omnibus Sanctis potestatem miraculorum tribui, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur*. Accedit tandem consuetudo Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Caussis Beatificationis & Canonizationis iis exceptis, quæ sint de Martyrio, in quo habetur testimonium omnium maximum veræ in Deum caritatis, requirit miracula post obitum patrata, non ante, hæc quidem ut utilia (n 549.), at illa ut necessaria considerans, Cujus consuetudinis ac legis est ea ratio, quod opus sit tum certo argumento de reali & non simulata vitæ Sanctitate, ut observat Bordonus (5), tum testimonio perseverantiæ in bono usque ad mortem, quandoquidem plus nimio nota est hominum dum vivunt mutabilitas ex bono in malum.

LAUS DEO.



(1) Matt. c. 7. v. 22
(2) S. Cypri. de unit. Eccl.
(3) Luc. c. 10. v. 19.
(4) S. Aug. l. 83. qu. q. 79.
(5) Ber. de mirac. medit. 4. n. 14.

INDEX RERUM

NUMERI INDICANT PARAGRAPHOS.

A

ABraham factæ apparitiones. 181
Aesculapii curationes, 364. 375. Ejus templum cur Romæ positum. 207
Aestus maris duratio. 242
Alienatio a sensibus. 253
Aloysii Gonzagæ S. Miraculum. 408
America quomodo post diluvium habitata. 226
Anima Christi non est caussa physica miraculorum. 531
Antiochi mors. 199
Anulus sonans in cyatho. 3
Apollonius Thyanæus quis. 368. 373. 374
Apostoli pauperes & rudes fuerunt. 328. Et omnes Martyres. 391
Apparitiones corporeæ, imaginariæ, & intellectuales. 181. Beatorum, & Damnatorum. 467. Christi redivivi. 333. Et spirituum in forma humana. 138. Cur fiant. 472. Quomodo dignoscantur. 461
Aquarum miracula. 189
Archimedis mors. 253
Argens (de) negat Diluvium universale. 217
Attractio Neutoniana. 246
Aurora Borealis credita portentum. 472

B

BAalam ethnici prophetiæ. 540
Bene operari sed non meritorie est homini naturale. 95
Binghamus Joseph. 147
Blount Carolus. 369
Bolingbroke errores. 128. 200. 25
Bollandistæ. 411
Bordoni definitio miraculi. 118
Boulangerii errores. 264. 319. 38
Brancati definitio miraculi. 121. credit ranas multas productas a Magis. 152. 154
Brun (Le) Petrus. 102. ejus definitio miraculi. 116
Bussierii definitio miraculi. 112
Burneti opinio de diluvio. 235

C

CAbalistica scientia. 127
Caelum tertium Apostoli quid. 68
Calcis ebullitio per aquam. 19
Calvini miraculum. 148
Cancelli humilis locus Marcæ. 548
Canonizationum epocha. 38. harum caussæ quomodo fiant. 444
Canticum Canticorum est allegoria amoris Dei & Ecclesiæ. 259
Caput obtruncatum Sancti an manibus gestaverint. 43
Cardinales in caussis Canonizationum adhibiti. 442
Castoris & Pollucis fabula. 208
Caussæ Canonizationum quando typis edi coeperint. 39
Caussæ finales miraculorum. 83. 465. Non est horum caussa sola fides in Christum. 484
Caussæ incredulitatis. 482
Centuriatores Magdeburgenses. 397
Christi miracula. 266. multa juridice examinata fuerunt. 340. Ille ut homo fuit eorum caussa moralis. 512. An oraverit ante illorum

lorum effectionem . 514. & 526. Cur in patria non fecerit nisi pauca . 352. Neque cum peterent Scribæ . 481. conversiones nobilium & doctorum ab eo factæ.399
Chubb incredulus quidam . 475
Circulatorum artes . 100
Clades prædictæ . 177. & per miraculum . 182. 196. 201
Clarke definitio miraculi . 98. 104. 109
Clericus Jo. quid sentiat de transitu Erythræi . 239. 243
Compulsare acta quid . 441
Constantino imperante Paganismus defecit . 387
Consultores in Caussis canonizationum . 444
Conversio unius rei in aliam est miraculum primi gradus . 27
Conversiones factæ a Christo & Apostolis etiam nobilium & sapientum . 231. 339
Corporis temperamentum non facit miracula . 350
Creaturæ non faciunt physice miracula 86. nec possunt perturbare ordinem naturæ . 89
Cultus publicus non Canonizatis prohibitus . 441.
Cupiditates scelerum caussæ. 360

D

DAmasceni (Jo. S.) manus restituta . 36
Daniel cum Leonibus . 94. Ejus prophetiæ . 177 179.
Deistarum proprietates . 128. hi negant miracula . 166 V. Increduli
Deus est ens supernaturale per dignitatem . 8.
Dæmones miracula large sumpta faciunt 22. stricte sumpta nequaquam 369. 476. Eorum divinationes non sunt prophetiæ 63. 265. Faciunt aliquando morbos 290. Eorum vis 93. 97. Et velocitas 576. Nulla re naturali expelluntur 345. Quando sit miraculum eorum expulsio 32. Quæ fit per exorcismos Ecclesiæ Catholicæ non est miraculum 93. Qualis ea esset quæ per Ethnicos fiebat 392. An unus Dæmon ab alio possit expelli . 342
Dæmoniaci non possunt negari 93. 392. Cur frequentes sub ortum Ecclesiæ 307. 393. Illi quos Christus liberavit . 341
Demonstratio moralis facti quæ . 334
Dictionarium Auctorum Ecclesiasticorum . 16.
Dictionarium philosophicum portatile 102. Ejus errores 228.390.392. Irridet prophetias 258. Et Canticum Canticorum 259. Imaginationis effectus dicit esse miracula 423. Et illa Evangelii habet pro parabolis 264. Negat S. Chrysostomum admittere miracula suorum temporum 414. & sibi contradicit . 468
Dii Ethnicorum quales . 328.
Diluvium universale est miraculum 188. De ejus existentia argumentum sunt S. Scriptura 218. Altitudo aquarum 219. Conchilia in montibus 220. Consensus omnium Scriptorum 221. Ejus aquæ unde venerint 229. Qui illud negaverint . 217.
Discretio Spirituum naturalis 74. supernaturalis . 74
Divisio Erithræi & Jordanis . 239
Donatistarum miracula . 158
Donum linguarum 75. commune olim Fidelibus 76. proprium legis Gratiæ . 296

D

Dumarsais incredulus quidam. 62

E

Ecclesia quæ per miracula cognoscitur vera statuit quæ sint vera miracula sine ullo circulo vitioso. 479
Eclipsis in morte Christi. 293
Ecstasis supernaturalis 69. & naturalis exempla. 253
Effectus naturales a solo Deo facti. 92
Electricæ machinæ effectus crediti ab ignaris diabolici. 491
Elias a corvo provisus cibo 186. Pictoribus dedit ansam ad solis imaginem 184. Ejus jejunium. 202
Elisei prophetiæ. 176
Episcopi non promulgant miracula non Canonizatorum. 439
Erythræi & Jordanis trajectio. 239
Ethnicorum miracula sunt falsa 477. & dissimilia ab illis veræ Ecclesiæ. 362
Evangelia canonica opus admirabile 317. 359. Eorum stylus. 317
Evangelia apocrypha. 318
Evangelistarum qualitates. 317
Exaudi nos dicitur Christo. 530

F

Fabulosa miracula. 101
Fides gratia gratis data quid. 59
Fidei fundamentum & origo 433. Illi non opponitur Scientia. 434
Fleetwodii definitio miraculi 108. Miracula magorum Pharaonis male tribuit Deo 108. 151
Francisci (S.) Stigmata 421
Francisci Xaverii (S.) miracula. 407. 410.
Freretus dubitat de authenticitate Evangelior. 318. Nihil in iis reperit quod Philosophi non dixerint 483. Nollet testimonia profana adduci pro miraculis Christi 323. Infidelitatem Judæorum iis opponit 361. Expulsiones Dæmonum ad imaginationem revocat 423. 427. Citat pro se qui sunt contra se 324. Obliviosus homo est. 302
Funambuli quomodo procurent æquilibrium. 116. 219.

G

Galliæ Reges contactu sanant strumas. 119. 548.
Garmannus Fridericus. 397.
Gloria Dei cur dicantur miracula 16
Gloriæ notio. 465.
Gradus miraculorum cur distinguantur. 38. 39.
Grando prodigiosa. 185
Gratia appellat ad caussam, non ad eos qui eam recipiant 77. Illa sanitatum quid. 60
Gratiæ gratis datæ quid 55. Cur novem. 53
Gratiæ quæ non sunt miracula. 56 134
Gregorii magni (S.) Dialogi. 406
Grotius Hugo favet Socinianis. 258

H

Hæretici modo negant, modo affirmant opus esse miraculis 145. Scripturam male interpretantur. 489
Hallejus mutato centro gravitatis terræ aquis ipsam obrui ostendit. 218
Hebræi cur ubique 50. Exeuntes de Aegypto quot fuerint 205. Illorum divisio in duo regna. 214
Henoch & Eliæ prodigia futura. 155
Heracleo hæreticus. 391
Herodes occidit multos infantes. 269
Hierocles quis. 369. 373
Humanitas Christi est caussa solum mo-

moralis miraculorum. 512. 524
Humes Davidis errores. 326. Impietas. 111. Quomodo definiat miraculum. 110. Negat omnia miracula. 166. Non credit Pentateucho. 128. Nolens probat miracula Pentateuchi. 212. Confert Vespasianum cum Christo. 369. & 371. Ejus infelix ratiocinium. 432

I

Januarii (S.) miraculum perpetuum. 119. 409.
Jaquelotius incredibilia dicit miracula narrata a S. Augustino. 419
Jejunium sumptum pro tenui cibo. 306. Sumptum pro abstinentia ab omni cibo, quando propter diuturnitatem sit naturale, & quando non. 247. Naturalis quæ caussa. 251. Non naturalis caussæ finales. 252
Jejunium Ecclesiasticum quale primo sæculo. 270
Jerosolymæ excidium. 282
Ignatii Loyolæ (S.) exercitiorum liber. 58
Ignis de cælo delapsus. 183
Ignis lambens. 255
Imaginationis vis. 421
Immortalitas naturalis est animæ, sed non corpori. 95
Increduli quales. 213. 330. 482. Hi non flectuntur a miraculis. 336. 486
Inferni locus proprius ignotus. 232
Interpretatio sermonum quid. 78
Jo. Baptista (S.) cur nullum signum fecit. 54
Jo. de Cupertino (S.) raptus. 69
Job calamitas & præmium. 202
Jordanis trajectio. 239. 244.
Josephi Hebræi testimonium de Christo. 321
Josue sistit solem. 245
Ischiadici dolores sanati per miraculum. 548
Judæi de miraculis Christi convincuntur. 315. quæ tribuerint magiæ. 342. Quomodo alia explicent. 127. Eorum religio abrogata. 327
Julianus Apostata dolet de Paganismo destructo. 387
Juramentum solemne quale. 446

K

Kingii definitio miraculi. 107

L

Lamindus Pritanius negat Sanctos facere miracula. 532
Languet Jo. Joseph. 159
Leges naturæ quid. 133. 475
Leibnitii definitio miraculi. 122
Lengletus de Fresnoy. 47
Liberum a necessitate opponitur naturali. 5
Linguarum donum proprium Legis Gratiæ. 296
Lockes definitio miraculi. 105
Lunaticus idem ac Epilepticus. 290
Lutheri miraculum. 148

M

Maffejus Scipio negat dari Magiam. 497
Magiæ nomen & divisio. 491. Alia naturalis. 21. Alia diabolica. 3. 21. Hujus auctor. 493. Hæc exculta ab Ethnicis. Hanc qui negent unquam fuisse. 496. Argumenta pro ejus existentia. 498
Magorum Pharaonis prodigia. 150. 152. facta per Dæmones. 108
Mahumetis miracula. 147

Malebranche. 129. 134. Quomodo definiat miraculum. 115
Mali possunt esse caussa miraculorum. 539
Malum quid dicitur effectu non natura. 47
Manetis mors. 147
Martyres pro factis sunt inter solos Christianos. 382. Hi sunt innumeri. 386.389. Etiam ex testimonio Paganorum. 380
Mattæ divisio miraculorum. 41
Medici in Caussis Canonizationum audiuntur. 459
Mendacium est violatio ordinis moralis. 137
Merlini definitio miraculi. 123
Miracula Christi. 272. Cur conjuncta cum prophetiis. 103. Cur notiora quam illa Sanctorum. 404. 412. Confirmantur ab illis, quæ attributa sunt Vespasiano. 372
Miracula communia primis Ecclesiæ temporibus. 118. Quando hæc cessaverint. 307
Miracula dantur etiam nunc quia Christus promisit. 398. 401. quia ea necessaria ad conversionem gentium. 402. cum ducant ad cognitionem veræ religionis. 475. quia caussæ finales illorum etiam nunc dantur. 403. quia habent fundamentum in optimis testibus. 404. Qui nam sint, qui hæc negent. 397. Quæ nunc non dentur. 417. Quomodo majora facta sint post Christum illis, quæ ipse fecit. 399. 534
Miracula non probant sanctitatem hominis viventis, per quem fiant 546. 553. Et facta post mortem requiruntur in caussis canonizationum. 553
Miracula sunt testificatio Dei. 143. Non fiunt coram solis infidelibus. 493. Cur non fiant pro incredulis 465. Non perturbant ordinem Universi. 429. Non sunt violatio ordinis naturalis. 137. Non sunt essentialiter, quid insolitum. 118. 120. Non sunt petenda, quæ sunt inutilia. 485. Quænam debeant esse facta in instanti. 36. Possunt habere apparentem levitatem. 429 Pauca erunt sub finem Mundi. 413. Impossibilia sunt pro errore. 140
Miracula Ethnicorum derisa ab ipsis Ethnicis. 394
Miracula punitionis numerata. 46
Miracula Sanctorum de quibus meminit Novum Testamentum. 297. Illa S. Petri. 300. Illa S. Pauli. 304. An plura, & majora sint post Christum, quam sub illo. 399. 436. 534
Miracula supra naturam. 42. Præter naturam. 43. Contra naturam. 44. Quoad rem. 36. Quoad modum. 88. Simpliciter. 26
Miracula terræ septem. 18
Miracula Testamenti veteris. 83. Demonstrantur vera. 204. Et illa definite Pentateuchi. 209. & 212 Et illa novi. 311
Miracula vera a falsis quomodo discernantur. 96. 100., & 102.
Miraculi definitio. 1. Etimologia. 84. Synonyma. 10. Extrema & medium. 80. Et variæ acceptiones. 17
Miraculorum gradus tres. 23. Illa primi. 26. Secundi. 30. Tertii. 33. Eo-

33. Eorum possibilitas. 30. Necessitas. 409. Vis ad persuadendum. 314. Quomodo sint æqualia aut contra. 24. Eorum quæ pro Christana Religione facta sunt, qualitates. 363.
Miraculorum potestas quomodo intelligenda. 401. Est nota veræ Ecclesiæ. 403. In Apostolis fuit permanens. 414
Montgeronius. 161
Morbi divinitus inflicti. 199
Mortes divinitus datæ. 200
Mortui redivivi apud Ethnicos. 365
Motus leges sunt a Deo libere stabilitæ. 132
Moysis existentia demonstratur. 214. Ejus jejunium. 202. Ejus vultus splendor. 184. 255
Multiplicationes rerum. 195. Non fiunt per creationem. 27.
Mutatio in Deo non datur. 135.
Muratori Ludovicus. v. Lamindus.
Mysteria, & dogmata Christiana. 312. 331

N

Nathanael an sit S. Bartholomæus. 28
Nativitates per miraculum. 198
Naturæ notiones variæ. 5
Naturæ cursus supponit creationem. 130
Naturalis significationes variæ. 2
Necrologium ridiculum. 381. 385
Nobiles & docti a Christo conversi. 399
Nonnotes definitio miraculi. 113

O

Operatio virtutum quid. 61
Ora pro nobis dicitur Sanctis. 530
Oraculorum existentia. 378
Ordo naturalis quid. 131
Ordinatio ad Divina requiritur ad miraculum. 96

P

Paganismus defecit post Constantinum Magnum. 387.
Paralysis. 291.
Parhelia propria Septemtrionis. 245
Parisii miracula ficta. 158. 490
Pauli S. Conversio. 304. Ejusque miracula. 305
Peccatores quæ miracula possint facere. 550
Pentateuchi veritas demonstratur. 210
Persequutiones in Christianos sævissimæ. 289
Pervicacia Incredulorum. 336
Peyrerius negat diluvium universale. 217
Philosophi non cognoverunt omnia quæ docet Christanismus. 483. Et multa mala & impia docuerunt. 483
Philostratus mendax est. 367. 373
Phlegon miraculum eclipsis in morte Christi commemorat. 295
Pilati acta in caussa Christi. 322
Piscinæ probaticæ miraculum. 190
Plato erravit circa Divinitatem. 468 Approbavit mendacium ad bonum publicum. 366. Narrat mortuum revixisse. 365
Plinius laudat Christianos. 389
Pomponatius Petrus. 425. Negat miracula. 166
Porci cur a Dæmoniis præcipitati. 357
Potestas miraculorum quomodo intelligenda. 401. Est nota veræ Ecclesiæ. 403. In Apostolis fuit permanens. 414

Prade (de) Martinus. 264
Primogeniti in Ægypto occisi. 205
Prodigii notio. 12
Profani, qui Christi miracula commemorant. 321. Cur pauci. 325
Prophetia quid. 62. Est nomen late patens. 64. Plures ejus species. 71. Quæ perfecta. 66. Quæ perfectissima. 68. Est a Deo. 70. Est miraculum primi gradus. 28. Stare potest sine intelligentia prophetæ. 65. Quomodo cognoscatur an vera sit. 460
Prophetiæ Balaam Ethnici. 540
Prophetiæ Christi enunciatæ in Evangeliis. 279. Illæ de Christo. 171. Et de ejus gloria, & triumphis. 260
Prophetiæ Dæmonum quales. 376
Prophetiæ Sanctorum in novo testamento. 309
Prophetiæ Sybillarum. 544
Prophetiæ veteris testamenti. 170. Hæ probant veritatem Christianæ Religionis. 29. Et miraculorum Christi. 344. Male negantur ab Incredulis. 257
Prophetæ sunt in omni ætate conditione sexu. 169. Et tempore. 420
Publicanus erat publicus peccatór. 539
Pythonissæ verus Samuel apparuit. 540

R

Raptus quid. 69
Regis Petri definitio miraculi. 124. 126
Regulæ ad dignoscenda miracula. 79. 451
Relevantia miraculi quid. 81
Religio operantis miracula ex his non probatur esse bona. 552
Reliquiarum usus sanctissimus. 163. 284. 400
Resurrectio Christi, qua hora facta ignotum. 339. facta tamen demonstratur. 333
Resuscitationes. 197. Illæ submersorum quid sint. 356
Revelationum dignoscendarum regulæ. 461
Rousseau L. L. 102. Malus conjector. 379. Sibi contradicit. 379. Affirmat, & negat Dei existentiam cognosci ex Mundo. 468. Et dari miracula. 474. Hæc inutilia dicit. 476. Nec ulla vult facta a Christo pro Christianismo. 481. Et negat ulla esse, quæ suscipiant demonstrationem moralem. 335. Ne illa quidem Evangelii. 254. 364. 451. Excludit omnes prophetias. 460. Male interpretatur, quod dixit Christus de Jona in ventre ceti. 481. Moysem cum incantatoribus comparat. 153. Et Mahumetem cum Prophetis. 265. Admittit interea resurrectionem naturalem. 356

S

Sacramenta novæ Legis sunt causæ morales gratiæ. 533
Sacrificia ex hominibus apud Ethnicos. 328
Sadducæi negabant Spiritus. 357. Et miracula. 165
Salomonis sapientia. 179. Exorcismi illi attributi sunt superstitiosi. 348
Salvatores qui appellentur. 426. 350. 351. Sunt fabulosi vel Dæmoniaci. 548

Sa-

Samaritani erant Pagani. 244
Samuel apparuit Pythonissæ. 540
Sanationes per miraculum quomodo cognoscantur. 454. An dentur sanationes subitæ sine miraculo. 353 Quando sint miracula tertii gradus. 34. Et quando secundi. 35. Utræque debent esse diuturnæ. 458. Illæ quæ narrantur in Veteri Testamento. 191. & quæ de Christo in novo. 284
Sciniphes quid. 153
Sensibilitas miraculi debet esse communis. 85. sufficit, quæ sit per effectus. 82
Sermo sapientiæ quid. 57
Sermo scientiæ quid. 58
Serpens æneus medicina morsus serpentium. 206
Signum cur pro miraculo sumatur. 11
Simonis magi miracula. 101
Sinenses quales. 329
Sol stans ad imperium Josue. 180. 245
Sozomenus mentitur, 157
Spinosa negat possibilia miracula. 128. Ejus definitio miraculi. 125
Stella in Cathedra Cassiopeæ. 148. Illa a Magis visa. 260
Stigmata S. Francisci. 421. 427
Stillingfleetus negat diluvium universale. 217. Nova poscit miracula. 485. & alia opponit ridicula. 367. Contemnit Bollandistas. 411
Suarezii definitio miraculi. 117
Suffocati quomodo curentur. 356
Supernaturalis variæ significationes. 1. & 7.
Sybillæ an extiterint dubium est. 544 Quot sint. 544

T

Talmud a quo compositus, & quando. 127
Telliamedi opinio de diluvio. 236, 238
Tenebræ prodigiosæ. 185
Terra forte populosa magis ante diluvium. 225
Testamentum novum est Verbum Dei. 311
Testes ex Jure qui possint esse. 446. Et quot. 447. Eorum uniformitas qualis esse debeat. 450
Theodorus Mopsuestenus damnatus. 157. Negat prophetias. 259
Tobiæ visus recuperatus an miraculum. 56
Tutia Vestalis tulit aquam in cribro. 547

V

Vaninus Atheus. 381. 384
Velschius auctor negligens. 250
Veritas præcedit falsitatem. 38
Verneti definitio miraculi. 109
Vespasiani ficta miracula. 371.
Vestalium quarumdam miracula. 156
Victoriæ per miraculum. 196
Vigilantius negat miracula. 166
Virgo Deipara habuit donum linguarum. 76
Vires admirabiles. 193
Vires creatæ quid. 474
Vires naturæ quid. 118. 124
Virtutes cur dicantur miracula. 14
Visio dicitur prophetia conjuncta cum ejus intelligentia. 66
Vossius negat diluvium universale. 217

W

Warburtoni liber de Juliano. 282
Whistoni opinio de diluvio. 235. 237
Wierus Jo. negligens auctor. 250
Woodwardi opinio de diluvio. 231
Woolstonius Thomas. 262. 369

FINIS.

ER-

ERRATA CORRIGE.

Pag.	Lin.		
26	33.	collocandis	collocando
136	25	Evangeliſtis tanquam	Evangeliſtis dixit ſumenda eſſe tamquam
145	7	quam	quum
289	1	tibi	ſibi